EX
BIBLIOTH.
SOCIETAT.
CUIUS

397.

J. F. Recke



THVCYDIDIS OLORI F. DE BELLO PELOPONNESIACO LIBRI OCTO,

Iidem Latinè, ex interpretatione LAVRENTII VALLAE, *ab* HENRICO STEPHANO *recognita.*

Quam ÆMILIVS PORTVS, FRANCISCI P. CR. F. paternos commentarios accuratè sequutus ab infinita grauissimorum errorum multitudine nouissimè repurgauit, magnáq; diligentia passim expolitam innouauit.

Quibus præcedit eiusdem Thucydidis vitæ & generis dicendi descriptio à Marcellino exhibita:

Et succedit INDEX omnibus historiarum studiosis longè vtilissimus.

FRANCOFVRTI,
Apud Andreæ Wecheli heredes, Claud. Marnium, & Ioann. Aubrium.
M. D. XCIV.
Cum Priuilegio S. Cesareæ Maiestatis ad sexennium.

SVMMA PRIVILEGII.

S. CAESAREAE *Maiestatis priuilegio cautum est Andreæ VVecheli heredibus, Claudio Marnio & Ioanni Aubrio, ne quis Thucydidis Olori F. de bello Peloponnesiaco libros octo, ex interpretatione Laurentij Vallæ, quam Æmilius Portus Fr. P. filius accuratè repurgauit & indice auxit, per sex annorum spatium, à prima editionis die computandum, intra fines sacri Romani imperij, regnorumque & dominiorum Cæsareæ Maiestati hereditariorum, eodem aut diuerso charactere formave, recudere, aut alió recudendum dare, vel alibi expressum importare, vendere, distrahere, aperte vel occulte, absque supradictorum VVecheli heredum voluntate ac consensu præsumat. Qui secus fecerit, is non solum libris impressis, sed etiam decem auri puri marchis sine vlla venia mulctabitur; vt latius declaratum est in diplomate Cæsareo, dato Viennæ die vigesima quinta mensis Maij, anno M. D. LXXXII.*

Rudolphus.

Io. Baptista VVeber.

Ad mandatum S. Cæs.
Maiestatis proprium.

P. Obernburger.

BIBLIOTECA ROMÂNĂ 2
13865
419 a 1979

NOBILISSIMIS, ET ORNATISSIMIS ADOLESCENTIBVS,

D. IOANNI OLIVARIO, D. DE LEVVILLE, BARONI DE LARIVIÆRE, &c.

Item,

D. RVBERTO RVFO, D. DE TILLY, &c. D.D. SVIS plurimùm colendis,

Æmilius Portus, Franciſci Porti Cretenſis F. S. P. D.

SI præſtantiſſimum illum Hippocratis Aphoriſmũ (nobiliſ. & ornatiſ. DD.) ſemper ob oculos haberemus, quo vitæ breuitatem, artis longitudinem, præcipitem occaſionis celeritatem, experientiæ periculoſam noti-

tiam, iudicij difficultatem, & tam ægrotorum, quàm medicorum officium nobis proponit, vt, quid cuique faciendum, maturè discamus, profectò non inuiti: sed vltrò præstaremus, quæ nobis conducere cognosceremus. Nam, si corpus humanum, quod propter corruptæ naturæ vitium variis morborum molestiis nõ rarò tentatur, tanta cura, tanto cultu, tantoq; studio dignum censemus, meliorem hominis partem, ratione præditam, quæ viuam ac immortalem æternæ diuinitatis imaginem gestat, qua cura, quo cultu, quo studio curandam, & colendam dicemus, vt seruiamus, chariq; simus illi, qui nos cœlestium bonorum participes fecit? Omnipotens enim huius vniuersi creator, Ouid. 1. Metam.

Cùm

Cùm prona aſpiciant animalia cætera terras,
Os homini ſublime dedit, cœlumq́; videre
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Hæc igitur humani corporis figura, quod iter ſit affectandum, & ineũdum, apertè nobis oſtendit, officiiq; noſtri nos aßiduè monet. Sed

Κοίρανος ὑψιμέδων ἀρετὰς ἱδρῶσιν ἀρέσθαι
Θῆκεν. ἄνευ καμ^τχ τὸ κλέος οὐ πορέει. Æ. P.

Quamuis autẽ omnis hominum ſexus, omnis ætas, & omnis ordo crebris monitorum adhortationibus indigeat, ne per ignorantiam, vel etiam ſuæ libidini morem gerens, à recta virtutis via deflectat: præcipuè tamen iuuentus, cùm ob nimiùm celeres animorum motus, & feruoris leuitatem, tum etiam ob ætatis imbecillitatem, quæ iuſtam prudentiæ perfectionem nondum eſt adepta, monitores huiuſmodi requirit, quorum ſa-

pientia regatur, vt ad optatum tranquillitatis, & perennis gloriæ portum, quò (si sapit) suarum cogitationum, & consiliorum cursum dirigit, feliciter appellat. Duæ porrò sunt artes, quæ cæteras excellentia longè superant, quarum auxilio legitimas opes, dignitatem, honorem, amplitudinem, denique quicquid vitam facit beatiorem, nobis gloriosè paramus: quæ meritò liberales appellantur, quod homines liberos, ingenuósque deceant. Harum altera, Philosophiæ nomen habet. Altera, Militiæ nomine gloriatur. Et illa quidem, quòd inter Sapientiæ filias natu sit maxima, principatum obtinet, aliisque præscribit, ac imperat, quod rationi consentaneum, quod honestum, ac vtile iudicat, acerbissimum & supplicium illis minatur, qui

suas

ſuas leges contumaciter violant. Hæc verò, quod inuidiæ ſtimulis agatur, & ad ſummum dignitatis faſtigium aſpiret, cum propria ſorore de principatu perpetuò contendit. In hoc tamen ambæ conſentiunt, quòd eos omnes, qui negligentiam, ignauiam, & ſolam inanium verborum fortitudinem amant, pariter oderint, contemnant, eosque nullis ordinibus, nullis ſtipendiis, nulla prætura, nulloque præmio dignentur: illos verò, quos non tam dictis, quàm factis ſtrenuos, diligentes, & ad ſuam militiã idoneos eſſe norint, ſecum ducere velint, eos conquirant, atque conſcribant, rebusque proſperè geſtis, ſingulos promeritis honorent, opibusque non aſpernãdis cohoneſtatos, dimittant. Licet autẽ (nobiliſ. & ornatiſſ. D. D.) domeſtica ve-

strorum parentum, auorũ, ac maiorum exempla (quæ generosè sectari studetis) non vulgaria nobis abundè suppetant, quos pietate, quos eruditione, quos bellica virtute, generisq́ splendore clarissimos fuisse scio: licet etiam eorum vnumquenque vos blandè compellantem audire mihi videar:

Discite virtutem ex nobis, verumque laborem,
Fortunam ex aliis, nati: sic itur ad astra:

Me tamen à beneuolentia, qua vestræ dignitati, commodisque consultum cupio, nihil alieni facturum puto, si vos vestra sponte iam in hoc artium liberalium stadio fortiter currentes, ad fortius currendum adhorter. Vtinam verò meæ voluntatis ardori vires haberem æquales. Vtinam quod animus desiderat, id etiam præstare posset. Quicquid

tamen

tamen aut hîc, aut alibi, vel nunc, vel posthac, & præsens, & absens efficere potero, vt præclara studia, quibus operam datis, promoueantur, hoc in vestram gratiam à me, pro viribus, Deo fauente, præstitum iri confidatis. Idem autem Deus Opt. Max. vos omnibus & corporis, & animi virtutibus illustres, & incolumes in patriam propitius reducat, vt opinioni de vobis conceptæ respondeatis, vberrimosq; vestrorum laborum fructus sedato bello percipiatis. Interea [Nobiliss. & ornatiss. DD.] tertiam hanc editionis Thucydideæ formam vestro nomini dedicatam, vt meæ mentis obsidem, vestræq; peregrinationis comitem, quem vobis trado, vt virtutis studiũ in pectoribus vestris accensum alat, & quotidianis amicarum adhortatio-

num ſtatibus augeat, auctumq; cuſtodiat, alacriter accipite, meque veſtræ dignitatis ſtudioſiſſimum amate. Valete. Datum Moguntiæ Calend. Martij, CIↃ IↃ XCIIII.

MAR-

MARCELLINI, DE THVCYDIDIS VITA, ET GENERE DICENDI, EXCERPTA ex integra ipsius Historia dissertatio,

Quam Isaacus Casaubonus primum Latinitate donauit, iam verò Æ. P. Fr. P. C. F. accuratè recognouit, & multis in locis noua interpretatione illustrauit.

THEMPVS iam est vt qui Demosthenis, & diuinarum ipsius orationum, & concertationum Mystæ fuerunt, quique sententiis ad deliberatiuum, & iudiciale dicendi genus aptis pleni, & abundè referti sunt, in Thucydidis etiam mysteria introducãtur, [*ipsius q3 sacris initientur.*] Hic enim vir & arte, & orationum pulchritudine, & accurata rerum notitia, & exercitus ductandi scientia pollet, & in deliberatiuo, & demonstratiuo dicendi genere excellit. Sed vitam, & genus hominis primùm declarare est necesse. Illis enim, qui [*derebus*]

bene sentiunt, antequàm ad scripta accedant, hæc sunt inquirenda. Thucydides igitur, ille historiarum scriptor, ex patre quidem Oloro (qui ab Oloro Thracum Rege nomen impositũ habebat) ex matre verò Hegesipyla est procreatus. Traxit autem genus à nobilissimis ducibus, Miltiadem, & Cimonem dico. Antiquitus enim cum Miltiade [*Athenienſium*] duce, & propter Miltiadis genus, cum ipso Æaco Iouis filio cognatione coniunctus erat. Adeò illustribus maioribus historicus iste se natum gloriatur. Atque Didymus hæc suo testimonio confirmat, qui tradit Pherecydem primo historiarum libro ita scribere: *Athenis habitauit Philæus Aiacis filius: huic filius fuit Daiclus, huic Epidycus, huic Acestor, huic Agenor, huic Olius, huic Lyces, huic Typhon, huic Laius, huic Agamestor, huic Tisander, qui quum esset Athenis archon,* * *Illi filius fuit Miltiades, cui filius Hippoclides. qui quum Athenis esset archon instituta sunt Panathenea.* * *Illo natus est Miltiades, qui Thraciæ Cherronesum habitauit.* Idem testatur & Hellanicus in eo libro, qui inscribitur Asopis. Nec verò dicat aliquis, Quid ipsi [*Miltiadi*] cum Thucydide? Hic enim est, huius cognatus. Thraces, & Dolopes bellum cum Apsinthiis vicino populo gerebant. Sed eo bello grauiter afflicti, & grauissima quæq; passi, quòd hostibus semper essent inferiores, ad oracula diuina

diuina confugiunt, quia sciebant solum Deum rationem inuenire posse, quæ vel difficillimas res expediat. Nam (vt & Æschylus canit) Deorum vis est summa. Sæpe enim [*vrbem*] in rebus aduersis consilij inopem à graui molestia [*liberauit,*] & oculis imminentem nubem in bonum vertit. Nec eos sua spes fefellit. Oraculum enim acceperunt, fore vt optimum ducem haberent, eum, qui ipsos errantes ad hospitium inuitasset. Tunc verò temporis Crœsus Lydię Rex erat: Pisistratidæ verò tyrannidem Athenis obtinebãt. Illi igitur dum ab oraculo reuerterẽtur, in Miltiadem ante fines Atticæ sedentem inciderunt, qui [*Pisistratidarum*] tyrannidem iniquo animo ferebat, & iustam ex Attica excedendi occasionem quærebat. Hæc enim Deus, qui responsum dederat, ipsis præparauerat. Cùm igitur [*Miltiades*] eos hominum errantium veste amictos vidisset, quia sciebat quid valeret erratio, ipsos ad hospitium inuitauit, cùm interea se oraculo inseruire nesciret. Illi verò lætati sunt quòd ducem nacti fuissent, à quo ad hospitium fuissent vocati. Cùm autem omnia ipsi narrassent, ipsum ducem sibi crearunt. Sunt autem qui dicunt [*Miltiadem*] Deo prius consulto [*Athenis*] excessisse. Alij verò tradunt eum non sine tyranni voluntate [*inde*] exiisse: sed postquàm tyranno significasset se à Thracibus vocari, sic

demum abiisse. Quibus [*tyrannus*] copias præterea dedit, ac [*eos*] dimisit, quia gaudebat virum magna potentia præditum Athenis exire. Hic igitur factus dux res oraculo prædictas impleuit, [*& ad sunm finem perduxit.*] Et post partam victoriam coloniæ etiam in Cherronesum deductæ dux fuit. Cùm autem is sine liberis obiisset, Stesagoras vterinus eius frater Cherronesi regnum hæreditario iure ad se deuolutum ei succedens accepit. Hoc autem etiam [*sine liberis*] defuncto, successit in regnum Miltiades, qui & idem nomen ferebat, quod prior ille coloniæ in Cherronesum deductæ dux, & vterinus, ac germanus Stesagoræ frater erat. Hic igitur [*Miltiades,*] quamuis ex Attica muliere liberos suscepisset, tamen regnandi cupiditate flagrans, Hegesipylam, Olori Thracum Regis filiam, vxorem duxit, ex qua filius est ipsi natus. Sed quo tempore Persę in Græciam venerunt, [*Miltiades*] res suas conuasatas, magnamque generis partem Athenas misit. Sed accidit vt nauis caperetur, in qua etiam liberi ipsius inerant: non tamen ij, quos ex Thracia muliere susceperat. nam (si modò verum est Herodoti testimonium) à Rege dimissi fuerunt. Miltiades verò ex Thracia fugiens in agrum Atticum saluus peruenit. Sed ne [*ibi quidem inimicorum suorum*] calumnias effugere potuit. Crimina enim

nim ipsi [*intulerunt, eumq; accusarunt,*] narrantes quonam modo tyrannidem [*in Cherroneso*] exercuisset. Sed [*tamen tandem ex hoc etiam periculo*] euasit, [*et*] in bello contra barbaros Imperator est creatus. Ab hoc igitur Thucydidem genus ducere tradunt. Et validissimum [*huius rei*] argumentum esse putant, ingentem ipsius opulentiam, & possessiones, quas in Thracia habuit, & aurifodinas. Quibusdam igitur videtur [*fratris, sororisve*] Miltiadis [*filius*] fuisse, vel ex filia nepos. Porro [*Thucydides*] ipse hanc ipsius generis quærendi occasionem nobis frustrà præbuit, quia nullam eius mentionem fecit. Hoc verò ne ignoremus, Thucydidis patri Ololo nomen fuisse, cuius nominis prima syllaba habet R. secunda, L. Hæc enim [*recta nominis*] scribendi ratio (vt & Didymo placet) [*à nonnullis postea*] corrupta fuit. Quòd enim Orolus sit [*scribendum,*] columna eius monumento imposita apertè testatur, vbi hæc sunt insculpta,

THVCYDIDES OLORI F. HALIMVSIVS HIC IACET. Etenim ad portas, quæ Melirides vocantur, in Cœla sunt quæ appellantur Cimonia monumenta, vbi visuntur Herodoti, & Thucydidis sepulcra. Hinc manifestè patet, illud videlicet, Thucydidem ex Miltiadis genere oriundum esse. nullus enim peregrinus, [*& ab illa familia alienus*] ibi sepelieba-

tur. Idem testatur etiam Polemon in libro de arce [*Athenienſi*]. Vbi etiam hoc præterea scribit, Thucydidi filium fuisse [*Timotheum.*] Hermippus verò & ab ipsis tyrannis Pisistratidis genus eum trahere dicit. Quæ etiam (inquit) causa est cur ille in suis scriptis, de Harmodio, & Aristogitone inuidiosè loquatur, & tyrannum ab iis cæsum fuisse neget. nec enim [*vt inquit ille*] tyrannum: sed Hipparchum tyranni fratrem interfecerunt. [*Thucydides*] autem duxit vxorem è Scapteſyla Thraciæ [*vrbe*] ditissimam, & metallorum fodinas in Thracia possidentem. Has autem opes adeptus, non in delicias consumpsit: sed cùm multo antè bellum Peloponnesiacum motum iri præsensisset, quia cupiebat hoc bellum conscribere, multa Athenienſium, & Lacedæmoniorum militibus, & multis aliis largitus est, vt res [*omnes*] in hoc bello opportunè gestas, dictasque sibi eas memoriæ, literisque mandare cupienti referrent. [*Hîc*] autem quærendum cur & Lacedæmoniis, & aliis pecunias dederit, cùm solis Athenienſibus eas dare, & ex ipsis [*res omnes*] intelligere posset. Respondemus non sine causa, [*certoq; consilio, pecunias*] aliis etiam ab eo datas. Rerum enim [*omnium*] veritatem sibi conscribendam proposuerat. Erat autem verisimile fore, vt Athenienses vtilitati suæ seruientes in rerum à se gestarum relatione mentiren-

tirentur, & sæpè dicerent [*hostes*] à se victos, [*quos tamen*] non vicissent. Quamobrem [*pecuniam*] omnibus præbuit, vt ex multorum consensu veritatis notitiã indagaret, [*ac adipisceretur.*] Quod enim obscurum est, [*id*] multorum concentu, consensuq; declaratur, [*& apertè demonstratur.*] Doctores autem audiuit, in philosophia quidem, Anaxagoram (vnde etiam, Antyllo teste, atheus paulatim haberi cœpit, quòd illius philosophiæ disciplinam auidiùs hausisset:) [*in rhetoricis*] verò [*præceptis,*] Antiphontem Rhetorem, virum in arte rhetorica eximium, cuius in octauo [*suæ historiæ*] libro mentionem facit, eumque autorem fuisse dicit, vt popularis dominatus abrogaretur, & cccc virorum dominatio constitueretur. Quòd autem Antiphontis defuncti cadauer Athenienses extra vrbem, vindictæ studio proiecerint, [*hoc verò Thucydides*] in præceptoris gratiam silentio prætermisit. Sunt enim qui dicunt eius cadauer ab Athenien sibus proiectũ, quòd eo autore popularis dominatus [*Athenis*] mutatus fuisset. [*Thucydides*] autem, qui hanc historiam scripsit, cùm ad virilem ætatem peruenisset, nullis Reipub. administrandæ negotiis se immiscuit, nec ad tribunal, [*& concionem*] accessit: Imperator tamen fuit, & imperium [*sibi à populo delatum,*] primam suorum malorum causam, accepit. nam pro-

):(

pter hoc ipsum in exilium est pulsus. Nam cùm Amphipolin missus fuisset, & Brasidas [*eum*] anteuertisset, ac [*urbem*] illam occupasset, [*hoc nomine ab Athenienſibus est accusatus, huius q; rei apud eos*] culpam sustinuit. eius tamen opera Atheniensibus non prorsus fuit inutilis. Nam ab hac quidem [*urbe capienda*] abertauit: sed Eionem cepit, quæ ad [*fluuium*] Strymonem est sita. nihilominus tamen [*Athenienses*] prius infortunium eius culpæ tribuentes, ipsum exilio mulctarunt. Ille verò pulsus in exilium, cùm Æginæ esset, quia magnas habebat opes, maximam [*suarum*] pecuniarum partem fœnori collocauit. Postea tamen inde quoq; discessit, & in Scapteſyla Thraciæ [*urbe*] degens, sub platano [*suam historiam*] scripsit. Absit enim vt fidem adhibeamus Timæo, qui Thucydidem exilio mulctatum, in Italia vitam transegisse dicit. Verum tamen ne sic quidem iniuriæ acceptæ memor animo erga Athenienses malè affecto [*historiam*] scripsit: sed veritatis amans, & moderatis moribus fuit. siquidem neque Cleon, neque Brasidas (qui calamitatis autor ipsi fuerat) vllo in ipsius scriptis maledicto vt ab irato scriptore est affectus. quanquam plerique suis affectibus inseruientes, veritate prorsus neglecta, historias conscripserunt. Herodotus enim à Corinthiis spretus, ipsos subterfugisse dici

dicit pugnam, quæ ad Salaminem cit commissa. Timæus verò Tauromenita Timoleontem supra modum laudauit, quòd Andromachus ipsius pater potestate regia ab eo spoliatus non fuisset. Philistus verò cum iuniore Dionysio verbis præliatur. Xenophon verò Menonem, Platonis amicum, quòd ipse Platonis esset æmulus, conuiciis incessit. Hic verò [*scriptor*] est moderatus, & æquus, & veritati cedit. Illud autem sciamus, plures fuisse Thucydides. nam & hic fuit, Olori filius, & secundus demagogus, [*qui suis concionibus auram popularem captabat*] Milesij [*filius*] qui & Pericli in Reipub. administratione est aduersatus. tertius verò, genere Pharsalius, cuius mentionem facit Polemon in libro de arce, patrem ei fuisse dicēs Menonem. Fuit etiam quartus alius Thucydides poeta, ex pago Acherdusio, cuius mentionem faciens Androtion in rerum Atticarū historia, Aristonem ei patrem fuisse dicit. Vixit autem teste Praxiphane in libro de historia, iisdē temporibus, quibus Plato comicus, Agatho tragicus, Niceratus epicus poeta, & Cherilus, ac Melanippides. Cæterùm [*Thucydides*] quamdiu quidem vixit Archelaus, vt plurimum nominis obscuri fuit, vt ipse Praxiphanes ait. Postea verò in summa [*apud omnes*] admiratione fuit. Illius autem regionis homines ipsum obiisse di-

cunt, vbi etiam vitam exul degebat, suamque sententiam hoc argumento confirmant, quòd ipsius corpus non fuerit Athenis sepultũ. [*Aiunt*] enim tabulatum eius tumulo impositum fuisse. hoc autem ex instituto, & solemni Athenienſium more manifestũ esse cenotaphij indicium, quoties quis huiusmodi fortuna vsus obierat, nec Athenis sepultus fuerat. Didymus verò [*Thucydidem*] ab exilio reuersum, morte violenta Athenis obiisse tradit. hoc autem à Zopyro memoriæ proditum dicit. Athenienses enim, post cladem in Sicilia acceptam, omnibus exulibus (exceptis Pisistratidis) in patriam reducendi potestatem permisisse. Hunc autem reuersum, violenta morte sublatum, & in Cimoniis monumentis sepultum. quin etiam [*ait*] illorum simplicitatem [*à Zopyro*] derideri, qui Thucydidem peregri quidem obiisse: Athenis verò sepultum fuisse putent. Si enim in paterno monumento clàm positus fuisset, nec columnã adeptus fuisset, nec inscriptionem, quæ ipsius sepulcro imposita nomẽ autoris indicat. Verùm illud constat exulibus in patriam redeundi potestatem fuisse datam, vt & Philochorus testatur, & Demetrius Phalereus, in libr de Archontibus [*Athenienſibus.*] Ego verò Zopyrum nugari puto, qui Thucydidem in Thrac obiisse dicat: licet Cratippus etiam eum ve-

loqu

loquutum censeat. Quòd autem Timæus, & alij eum in Italia sepultum fuisse tradant, [*vereor*] ne [*hoc*] perridiculũ habeatur. Fertur autem Thucydides hanc habuisse formam. vultũ quidem cogitabundũ, caput verò acutũ, & pilos erectos, & reliquã corporis habitudinẽ suis scriptis conuenientẽ. Eum autem obiisse traduntvita vltrà quinquagesimũ ætatis annũ producta, opere instituto ad suum finem nondum perducto. Porrò Thucydides æmulatus est, Homeri quidem dispositionem, Pindari verò grande, & sublime dicendi genus. Obscurè autẽ deinstria loquitur, ne omnibus ad ipsius lectionem aditus pateret, néue [*in contemptionem veniret, ac*] in minori pretio habendus videretur, si à quouis facilè posset intelligi: sed [*potius*] sapientissimis quibusque probatus, apud hos in admiratione esset. Qui enim à præstantissimis viris laudatur, & laudem illorum iudicio est consequutus, in posterum omne tempus honorem literarum monumentis mandatum, nullisque periculis obnoxium est adeptus, quem nulla posterorum iudicum ætas delere poterit. Nonnihil etiam, vt ait Antyllus, Gorgiæ Leontini studiũ est imitatus, vt verba verbis quasi demensa respondeant, & in collatione contrariorũ, quæ tunc temporis apud Græcos maximè probabantur. Prodicum quoq; (eum in ac-

curato verborum delectu [*est imitatus.*] Homerum verò in primis (vt iam diximus) & in verborum electione, & in exquisita eorundem cõpositione, & in elocutionis vi, orationisq; pulchritudine, ac velocitate. Cùm autem scriptores, ac historici, qui eum ætate præcesserunt, historias anima (vt ita loquar) carentes cõscripserint, & nuda, simpliciq; rerum narratione vbique sint vsi, nec vllis personis vllam orationem attribuant, nec vllas conciones [*suis scriptis insertas*] fecerint, cumque Herodotus rem tentarit, nec voti compos fieri potuerit (Herodotus enim conciones paucis verbis expressas fecit, personarum fictionibus similiores, quàm concionibus) vnus hic historiæ conditor conciones & inuenit, & perfectè composuit, ita vt earum vnaquæq; sua capita, & partitiones habeat, & ad certum [*causæ*] statum reuocari possit. Quæ est perfectarum concionum forma. Cùm autem sint tres dicendi formæ, sublimis, tenuis, & media, reliquis neglectis, sublimem elegit, vtpote suo ingenio congruentem, & tanti belli magnitudini conuenientem. Res enim magnas ab hominibus gestas magna etiam oratione declarare decet. Sed vt reliquas quoque dicendi formas cognoscas, scias Herodotum quidem media esse vsum (quæ neq; sublimis, neque tenuis est.) Xenophontem verò

tenui

tenui. Thucydides igitur, vt sublimem faceret orationem, sæpe & poeticis dictionibus, & quibusdam translationibus est vsus. Cæterùm nonnulli de toto hoc scriptionis genere dicere sunt ausi, hanc scribendi formam ad rhetoricam non pertinere: sed ad poeticam: hoc verò vel ex eo falsum esse arguitur, quòd [*historici oratio,*] nulla metri lege sit astricta. Sed siquis nobis obiiciat, non omnem metro solutam orationem esse Rhetorum, vt Platonis, & medicorum scripta, respondebimus historiam certè esse Rhetorũ, quæ & in sua capita diuiditur, & ad illa Rhetorũ genera refertur. In genere quidem omnis historia ad deliberatiuũ [*refertur*] (alij verò & ad demõstratiuũ [*eam*] referunt, quia viros, qui in prœliis rem fortissimè gesserunt, historia laudari dicunt.) speciatim verò historia Thucydidea in vnũ quodq; de illis tribus generib⁹ cadit. Nam in deliberatiuũ quidem cadũt omnes conciones, præter illam, quæ est Platæensiũ, & Thebanorum lib. III. In demonstratiuũ verò, oratio funebris. In iudiciale, conciones Platæensium, & Thebanorum quas paulò antè à reliquis separauimus. Adiuqiciale enim genus pertinere hanc concionem, manifestò ex eo euincitur, quòd causa agitur apud iudices eos, qui Lacedæmone aduenerant: quodque Platæenses in iudicio interrogantur, & interrogati-

ni longa oratione respondent, eique orationi contradicunt Thebani, vt Lacedæmoniorum iram contra Platæenses incendant. ipsa deniq; id arguit orationũ compositio, ratio ac forma. Quidam autem aiunt librum VIII suppositium esse, neque Thucydidis esse: ac sunt qui eum tribuant ipsius filiæ: sunt etiam qui Xenophonti. Nos autem dicimus, filiæ quidem non esse: id verò per se esse manifestum. Non enim muliebris est ingenij, talem virtutem, artisq; præstantiam imitari: deinde, si talis aliqua extitisset, non illa profectò latere voluisset: neq; octauũ tantùm librum scripsisset, sed alia quoque multa ingenij sui monumenta reliquisset. Xenophontis quoque non esse, ipsa dicendi forma hoc propemodum clara voce testatur. Longè enim differt tenue dicendi genus à sublimi. Sed nec Theopompi est, vt nonnullis placet. Quibusdam, iisque peritioribus, Thucydidis quidem esse videtur, nondum tamen perpolitus, sed inchoatus tantùm & rudis, multa summatim complectens, quæ & poliri & dilatari poterant. vnde etiam adducimur vt dicamus videri hunc librum à Thucydide iam ægrotante conscriptum: eamq; esse causam cur & languidius scriptus sit & breuius. Nam quando corpus est infirmum, animus quoque vires nonnihil remittere solet. Est enim inter animum &

corpus

corpus quasi consensus quidam atque naturæ coniunctio. Obiit in Thracia, post Peloponesiacum bellum, dum res eius belli anno XXI. gestas conscriberet. Hoc enim bellum XXVII annos durauit. Res verò gestas reliquis sex annis supplent Theopompus, & Xenophon, quibus rerum in Græcia gestarum historiam annectit. Sciendum verò, Thucydidem, qui Amphipolin dux exercitus missus fuisset, visusque esset serius eò peruenisse, occupata iam vrbe à Brasida in exilium ab Athenienſibus fuisse missum, ob Cleonis (quem ille ideo exosus, tanquam insanum vbique introducit) calumnias: illum verò, Athenis relictis, in Thraciam, vt aiunt, secessisse: vbi pulcherrimam illam historiam cõtexuit. Notauerat enim ille quidem, iam inde à belli initio, quæcunq; memoria digna dicerentur fieréntve: non tamen etiam principio de vllis suæ historiæ ornamentis fuit solicitus: sed satis ei fuit si rerum memoriam sua notatione conseruaret. Postea verò exul, vitam in Scaptesyla, Thraciæ loco, agens, dolauit perpoliuitque quæ initio memoriæ tantùm causa notauerat. Fabulis autem aduersatur, studio veritatis: non enim fecit quod alij historiarum scriptores, qui delectationis studioſiores, quàm veritatis, fabulas in suas historias inseruerunt. Atq; illi quidem ita se gesserunt. At nostri auto-

ris institutum longè aliud fuit: qui sibi proposuit non auditores oblectare, sed studiosos homines erudire. Ideo ait opus hoc suum esse κτῆμα ἐς ἀεὶ (quasi quis dicat, rem in omne tempus vtilem:) non ἀγώνισμα, siue, ad ostentationem elaboratum opus. multa siquidem omisit, quæ ad delectationem faciunt: digressionesq; vitauit, quibus alij delectantur. cuiusmodi sunt apud Herodotum quæ de delphine narrantur, qui audienda lyra delectatur: & de Arione qui musica nauē dirigit: imo totus liber secundus titulum operis mentitur. Contrà hic autor si quid mirabile vel præter institutū opus sit commemorandum, id ille quidem commemorat quia necesse est: verùm ita vt in eius enarratione non diutius immoretur quàm quantum opus est vt rem lector intelligat. Nam Terei meminit, propter Prognes & Philomelæ casus tātùm: Cyclopum etiam mentionem fecit, propter locorum cognitionem: Alcmæonis quoq; obiter meminit de Acarnania & ei oppositis insulis loquens: reliqua non accuratè persequitur. Ac fabulas quidem ita tractat Thucydides. Cæterùm in moribus exprimendis mirabilis planè est: in singulis quidem orationis partibus est perspicuus: at in verborum constructione, quòd longioribus periodis ac sententiis vtitur, interdum obscurus videtur esse.

Gene-

Genere dicendi vtitur grandi & inprimis sublimi. Compositio aspera est, grauis, & hyperbatis scatēs, interdum etiam obscura. breuitas mirabilis, & dictionū plures sensus. In sententiis, quæ ad mores pertinent, excellit. Præstat etiam in narrationibus, dum prœlia naualia, obsidiones vrbium, morbos, ac seditiones nobis narrat. Orationi suæ multiplicia adhibet figurarum lumina, in plerisque Gorgiam Leontinum imitatus, velox in elocutione, austerus supra modum, morum exprimendorum optimus artifex. Itaq; videbis apud eum & Periclis spiritus, & Cleonis quam nescio quo nomine appellem: Alcibiadis iuuentutem, in Themistocle omnia, in Nicia probitatē, superstitionem, & felicitatem, antequam veniſſet in Siciliam: itemque alia sexcenta, quæ suis locis sigillatim conabimur obseruare. Plurimus est apud Thucydidem veteris linguæ Atticæ vsus, quæ ξ pro σ vsurpat, vt quum dicit ξυνέγραψε & ξυμμαχίαν. Per diphthongum scribit quæ reliqui per α: dicitque αἰεί. Et omnino nomina multa noua inuenit. siquidem in Thucydidis dictione, quædam vocabula reperiuntur ipsius ętate antiquiora, vt αὐτοβοεὶ, & πολεμησείοντες, & παλχάλεπον, & ἀμφαρτάδαν ὕλης φακέλους. Quædam apud poetas extant, vt ἐπιλύγξαι, ἐπηλύτας, αὐανῶς, & similia. Quædam ipsi propria, ἀποσίμωσις, & κωλήμη, &

ἀποπίψεις: itemq; alia, quæ apud reliquos scriptores non leguntur, sed apud hunc tantùm. Porrò huic etiam curæ est verborum maiestas, vis argumentorum, ac sententiarum grauitas: & (vt iam diximus) in compositione breuitas. Nam [*sæpe*] multæ res vel vnica voce declarantur. Sæpe etiam res & affectiones pro personis vsurpat, vt in illo ἀντίπαλον δέος. Habet etiam generis demonstratiui nonnihil: vt in oratione funebri: & quòd variis ironiis, atque interrogationibus vtitur: conciones quoque quasdam habet philosophico more conscriptas: sunt enim instar dialogorum, qui philosophis conueniunt, cõpositæ. Ipsius tamen elocutionem, ac verborum compositionẽ plerique reprehendunt, inter quos est Dionysius Halicarnasseus. eum enim reprehendit quasi soluta, ac ciuili oratione vti nequeat [*quod ideo Dionysius facit*] quia ignorat hęc omnia esse cuiusdã eximiæ facultatis & habitus perfectissimi. Herodoti autẽ temporibus videtur vixisse, siquidẽ Herodotus meminit irruptionis in vrbem Platæã factæ, quam historiam narrat Thucydides libro secundo. Aiunt etiam, quum Herodotus suas historias in hominum cœtu recitaret, Thucydidem recitationi illi interfuisse, & quum eas audiuisset, lacrymasse. quod vbi animaduertisset Herodotus, dixisse eum ferunt Oloro patri Thucydi-

dis,

dis, *Filij tui ô Olore ingenium magno impetu ad literarum studia fertur.* Mortuus est in Thracia, & (vt quidem volunt nonnulli) ibi est sepultus: sed alij dicunt, ossa eius clàm à cognatis Athenas fuisse importata, itaque sepulta. neq; enim palam licuit Athenis sepelire eum qui propter crimen proditionis exilio fuisset mulctatus. Erat autem eius sepulcrum prope portam in eo loco agri Attici, qui appellatur Cœla, quemadmodum testatur Antyllus, vir fide dignissimus, historiæq; peritissimus, & ad docendum appositissimus. Fuit etiam, (ait ille) in Cœla habens hanc inscriptionem columna,

THVCYDIDES OLORI HALIMVSIVS. Addiderunt verò quidam hæc, HIC IACET. quod nos facilè intelligi posse ac subaudiri putamus: in inscriptione enim nõ erat. Forma autem, & dicendi genus [*quo Thucyd. vtitur,*] est magnificum adeò vt ne in commiserationibus quidem ab hac magnifica loquendi forma abstineat. Elocutio est grauis, sententię obscuræ, quia hyperbatis delectatur, & multas res paucis verbis declarat. Et verborũ quidem plurimas habet figuras. contrà verò pauciſſimas sententiarum figuras habet. Nam nec ironiis, nec obiurgationibus, nec obliquis dictis, nec vllis aliis callidis artibus, quibus auditorem capiat, vtitur, cùm tamen Demosthenes

in his potissimùm suæ eloquentiæ vim ostentet. Puto autem huiusmodi sententiarum figuras à Thucydide non propter earum ignorationem prætermissas: verùm quia orationem personis, de quibus verba facit, congruentem, atque conuenientem tribuere volebat. Nec enim decebat Pericli, & Archidamo, & Niciæ, & Brasidæ, viris excelso animo præditis, & generosis, & heroica gloria ornatis ironias, & alias artis oratoriæ fraudes attribuere, quasi non liceret ipsis [*alios*] apertè arguere, & palàm accusare, & dicere quicquid vellent. Propterea [*igitur*] simplicem, & minimè figuratam orationem accuratè est sequutus, in his etiam rebus decorum, & artis præcepta seruans. Est enim artificis periti dignitatem [*singulis*] personis conuenientem seruare, & rebus [*quibusque*] congruens ornamentum [*tribuere.*] Sciendum autem est, totam Thucydidis historiam à quibusdã in VIII. libros fuisse diuisam: ab aliis aliter. Frequens tamen, & communis vsus obtinuit, vt totum hoc opus in octo tantùm libros diuideretur, quod & Asclepius suo iudicio comprobauit.

THVCY-

T
OL
OC

Ex Lau

Quam
mentar
rum



his coni
lico app.
terutris
tim, part
facere.]
Græcos
propem
rum] mo
periores
porum v
runt. Se

THVCYDIDIS, OLORI F. LIBRORVM OCTO DE BELLO PELOPONNESIACO, Primus.

Ex Laurentij Vallæ interpretatione, ab Henrico Stephano recognita:

Quam Æmilius Portus, Fr. P. Cr. F. paternos commentarios accuratè sequutus, ab infinita grauissimorum errorum multitudine nouissimè repurgauit, magnaq; diligentia passim expolitam innouauit.

THVCYDIDES Athenienſis, bellum Peloponneſiorum, Atheniēſiumq;, quod inter ſe geſſerũt, conſcripſit, exorſus ſtatim ab eo moto, ſperans etiam fore tum magnũ, tum ſuperioribus longè memorabilius: his coniecturis adductus, quòd & vtriq; omni bellico apparatu florerent, & cæteros Græcos cum alterutris ſe coniungere videret, partim quidem ſtatim, partim verò etiam in animo habere, [*mox idem facere.*] Hic enim motus profectò maximus inter Græcos fuit, quinetiam in quadam barbarorum, ac propemodum (vt ita loquar) in maxima [*cæterorum*] mortalium parte [*maximus extitit.*] Nam ſuperiores, & his longè antiquiores motus, ob temporum vetuſtatem planè comperti eſſe non potuerunt. Sed coniecturis nixus (quas mihi remotiſſi-

mam à nobis antiquitatem ſpectanti cõtingit credere, [*veras eſſe, eos*]) nec in bellicis, nec in cæteris [*rebus ad pacem pertinentibus*] magnos fuiſſe puto. Conſtat enim eam, quæ Græcia nunc appellatur, olim non conſtanter [*ab incolis*] habitatam fuiſſe: ſed primùm frequentes migrationes [*inde*] fuiſſe factas, & facilè ſuos quenque fines deſeruiſſe, ſemper ab aliquo maiore [*hominum*] numero coactum, [*ac ex ſuis ſedibus expulſum.*] Nam cùm nulla eſſet negotiatio, [*nec vlla opera mercaturæ daretur,*] nec vllus inter ipſos tuto cõmercio citra formidinem vel terra, vel mari locus eſſet, cumque ſinguli res ſuas, [*& agros*] eatenus colerent, quatenus vitam parcè, ac duriter agerent, nec magnã pecuniæ vim haberent, nec humum [*arboribus, plantisq;*] conſererent (quia incertum erat, quando quis alius incurſione repentina [*labores alienos*] eſſet ablaturus, ſimul etiã, quia nullis muris erant muniti) & quotidianum, ac neceſſarium victum ſe vbique adepturos exiſtimarent, non grauatè [*ex ſuis priſtinis ſedibus*] migrabant. Idcirco etiam nec vrbium magnitudine, nec alio bellico apparatu valebant. Atque potiſſimùm optimus quiſque ager his incolarum mutationibus, [*ac migrationibus*] ſemper erat obnoxius, [*vt*] & ea, quæ nunc Theſſalia vocatur, & Bœotia, & Peloponneſi magna [*pars,*] præter Arcadiam, & reliquæ [*Græciæ partes,*] quæcunque erãt vberrimæ. Nam inter nonnullos [*illarum partium incolas,*] propter ſoli bonitatem opes admodum auctæ, ſeditiones excitabant, per quas [*ipſi*] profligabãtur, ſimul etiam alienigenarum inſidiis magis appetebantur. Quamobrem Atticam à vetuſtiſſimis vſque temporibus propter agri tenuitatem, ſeditionum immunem, [*ac pacatam*] iidem homines ſemper incoluerunt. Atque rerum [*à me*] dicta-

dictatum hoc non minimum est indicium, ob [*assiduas*] migrationes [*Græciam*] in cæteris [*partibus*] non peræquè adauctam fuisse. Nam qui aut bello, aut seditione ex reliqua Græcia pellebantur, [*eorũ*] potentissimi quiq; ad Athenienses, quòd illorum sedes stabiles, [*tutæq; essent*,] se recipiebant. Et ciuitatis iure donati, statim ab antiquissimis vsque temporibus ciuitatem hominum frequentia longè maiorem fecerunt. Quamobrem etiam, quòd Attica [*omnes alienigenas eò confluentes*] capere, [*ac alere*] non posset, colonias in Ioniam postea emiserũt. Hoc autem etiam priscorum [*hominum*] imbecillitatem non minimè mihi demonstrat, [*atq; confirmat.*] Nam ante bellum Troianum ab Helladis, [*id est, Græciæ,*] ciuitatibus nihil communiter, [*copiisq; coniunctis*] gestum fuisse constat. Ac ne hoc quidem nomen (vt mea fert sententia) vniuersa [*Græcia commune*] adhuc habebat: sed ante ætatem Hellenis Deucalionis [*filij*] cognomen istud nullo prorsus modo [*videtur*] fuisse: sed singulæ gentes, cùm aliæ, tum etiam Pelasgica, quæ latissimè diffusa erat [*locis, in quibus degebant,*] nomen à se ipsis [*videntur*] indidisse. Sed cùm Hellen, eiusq; liberi, rerum in Phthiotide potiti fuissent, & [*cæteri Thessaliæ populi*] eos in alias ciuitates, [*ad se,*] auxilij causa accersérent, ita demum propter diuturnum cõgressum, [*& consuetudinem factum videtur, vt*] singuli [*paulatim eodem cognomẽto*] Ἕλληνες, [*id est, Græci,*] vocarentur. Et tamẽ ne sic quidem longo pòst tempore [*istud cognomen*] ad omnes etiam [*Græciæ populos*] peruenire potuit, ita vt [*omnes hanc appellationem constanter*] obtinerent. Homerus verò præcipuè hoc indicat. Quamuis enim multo post bellum Troianum sit natus, nusquam [*tamen*] vniuersos [*Græciæ populos, Ἕλληνας, id est, Græcos,*] appella-

uit, nec alios, quàm eos, qui cũ Achille ex Phthiotide [*venerant,*] qui etiam primi Ἕλληνες, [*id est, Græci,*] fuerũt. Danaos verò, & Argiuos, & Achæos in [*suis*] carminibus nominat. Nec tamen barbaros dixit, [*nec istam barbari vocem vsurpauit,*] quòd ne Ἕλληνες quidem, [*id est, Græci, à barbaris*] distincti, in vnum [*totius gentis commune*] nomen [*barbaro*] (vt mihi videtur) oppositũ, adhuc coaluissent. Quotquot igitur & singuli [*passim*] Ἕλληνες, [*id est, Græci, erant,*] & quotquot per vrbes sparsi se mutuò intelligebant, & qui vniuersi postea [*communi τῶν Ἑλλήνων appellatione*] nominati fuerunt propter [*virium*] imbecillitatem, & vitæ genus mutuo commercio carens, nihil ante Troiana tempora cõferti, [*& opibus, armisq; coniunctis,*] gesserunt. Sed & ad hanc ipsam expeditionem conuenerunt, quòd in plerisque [*Græciæ partibus*] iam rebus maritimis operam darent. Minos enim, eorum, quos auditu cognouimus, antiquissimus, classem [*sibi*] comparauit, maximamq; partem maris, quod Græcum nunc vocatur, in suam potestatem redegit. & Cycladum insularũ imperium obtinuit, & in [*earum*] pleraſque primus colonias deduxit, Caribus [*inde*] pulsis, suosq; filios [*ibi*] principes constituit. Præterea latrones (vt est verisimile) quoad potuit, è mari sustulit, vt reditus ad se faciliùs, [*tutiusq;*] venirent. Olim enim Græci, & barbari, quotquot in
» continente degebant, mariq; vicini erant, quique
» insulas incolebant, postquàm nauibus alij ad alios
» mare traiicere frequentiùs cœperũt, sese ad latro-
» cinia conuerterunt, virorum potẽtissimorum du-
» ctu, [*quod faciebant*] tum quæstus sui causâ, tum
» etiam vt victum pauperibus quærerent. atque ad-
» orti ciuitates nullis muris munitas, & quæ paga-
» tim incolebantur, [*eas*] diripiebant, & maximam

victus

victus partem hinc [*sibi*] comparabant. Quòd hoc facinus nondum ignominiam haberet, imò verò nonnihil etiam gloriæ potius afferret. Hoc autem nunc etiam cùm alij nonnulli, qui in continente habitant, manifestè declarant, quibus decori est hoc egregiè exercere, tum etiam antiqui poetæ, apud quos illi vltro, citroq; nauigantes, vbiq; eodem modo interrogantur nunquid sint latrones, quòd neque illi, quos interrogant, factum vt se indignum infitientur, nec illi, quibus curæ est [*rem ex illis*] scire [*hoc ipsis vt probrum, & crimen*] exprobrent. In mediterraneis etiam alij alios prædabantur. Et ad hoc vsque tempus multi Græciæ [*populi*] prisco more viuunt, vt Locri, qui Ozolæ [*vocantur,*] & Ætoli, & Acarnanes, & qui finitimam horum agro continentem incolunt. Quinetiam ipse armorum gestandorum mos apud hos continentis incolas ex veteri latrociniorum consuetudine permansit. Omnis enim Græcia gestabat arma, tum quia [*Græci*] domicilia nullis munitionibus septa habebant; tum etiam quia tutò commeare vltro, citroq; non poterant. & vitæ genus armis gestandis assuetum, vt barbari, coluerunt. Græciæ autem populi, qui nunc etiam ita viuunt, [*similem cultum, &*] similia vitæ instituta olim & apud omnes fuisse testantur. Inter hos autem primi Athenienses ferrum deposuerunt, & remissiorem cultum sequuti, ad genus vitæ lautius, & delicatius transierunt. nec multum est tempus, ex quo apud eos illi, qui de senioribus, propter delicatum vitæ genus, erant beatiores, ferre desierunt lineas tunicas, & aureas cicadas, quas capitis comam religantes cincinnis inserebant. Vnde etiam apud antiquiores Iones cultus iste propter cognationem in vsu diu fuit. Modica verò veste, & ad huius ætatis cõ-

ſuetudinem accõmodata primi Lacedæmonij ſunt vſi, & cùm cæteris in rebus, tum verò præcipuè in victu, corporisq; cultu, qui locupletiores erãt, æqualitatem cum plebe ſeruarũt. Iidem etiam primi corpora nudarunt, & veſtes palàm exuentes, certaturi ſeſe oleo vnxerunt. Olim verò in Olympiaco certamine athletæ ſubligacula circum pudenda geſtantes certabant. nec multi ſunt anni, ex quo [*hæc geſtari*] deſierunt. Quinetiam adhuc apud nonnullos barbaros, præcipuè verò Aſiaticos, pugilatus, & luctæ præmia proponuntur, & [*athletæ*] ſubligaculis in certamine vtuntur. Multis etiam aliis in rebus demõſtrarit quis priſcos Græcos eodem vitæ genere vſos, quo huius ætatis barbari vtuntur. Vrbes verò, quotquot nouiſſimè ſunt conditæ, præſertim ex quo nauigandi ratio tutior eſſe cœpit, cùm maiorem pecuniarũ copiam haberent, ad ipſa littora mœnibus cinctæ condebantur, & iſthmos, [*id eſt, terrarum anguſtias inter duo maria ſitas*] occupabant, cùm mercaturæ cauſa, tum potentiæ, [*qua ſe tuerentur*] aduerſus ſuos quæque finitimos. At vetuſtæ vrbes, propter aſſiduam, [*ac diuturnam*] latronum infeſtationem, procul à mari potius ædificatæ fuerunt, tam illæ, quæ in inſulis, quàm quæ in continente ſunt ſitæ. Etenim & alij, qui mare accolebant, licet rebus maritimis operam non darent, tamen ſeſe mutuò populabantur. Et ad hoc vſque tempus mediterranea incolunt. Præcipuè verò inſularum incolæ, vt Cares, & Phœnices latrocinia exercebant. Hi enim plurimas inſulas incolebant. Hoc verò probatur illo [*ſigno quaſi*] teſtimonio. Cùm enim Athenienſes huius belli tempore Delum luſtraſſent, & ſepulcra ſuſtuliſſent, quotquot erant hominum, qui in hac inſula deceſſerant, ſupra dimidium Cares inuenti

ſunt

sunt, tum genere armorum agniti, quæ cum ipsis fuerant sepulta, tum ipso modo, quo nunc quoq; sepeliuntur. Sed cùm Minos classem parasset, maria liberiùs vltro, citroque nauigari cœperunt. Etenim prædones ex insulis ab eo sunt sublati, quo etiam tempore colonias in illarum pleraſq; deduxit. Et homines, qui prope mare degebant, iam parandæ pecuniæ studio magis dediti, constantiùs, [*ac tutius in suis sedibus*] habitabant. Quinetiam quidam, ditiores, quàm antè, facti, [*vrbes*] muris circundederunt. Etenim cupiditate quæstus, & qui imbecilliores erant, potentiorum seruitutem sustinebãt, [*nec illis seruire dubitabant,*] & qui potentiores, quia magnas habebant facultates, minores ciuitates suæ ditioni adiungebant, easq; imperata facere cogebant. Cùm autem hac ratione iam opes, [*ac potentiam non mediocriter*] auxissent, ad Troiam cum exercitu postea sunt profecti. Et Agamemnon mihi videtur classem coëgisse, quòd cæteros illius seculi [*Græcos opibus, ac*] potentia superaret, non autem tantopere, quòd Helenæ procos Tyndarei iureiurando obstrictos [*secum*] ducerer. Etenim qui res à Peloponnesiis gestas, memoriæque proditas, & [*sibi*] à maioribus [*traditas*] acceperunt, & exploratissimè cognouerunt, tradunt, Pelopem primũ cum magna in pecuniarum, quas secum ex Asia ad homines inopes attulerat, parata potentia, quamuis peregrinus esset, tamen illius regionis cognomen obtinuisse, & postea [*potentiam*] lõgè maiorem [*ipsius*] posteris obtigisse, posquàm Eurystheus quidem in Attica ab Heraclidis interfectus fuit; Atreus verò, qui ipsius erat auunculus, & cui Eurystheus, quum ad expeditionem proficisceretur, propter necessitudinem Mycenas, & [*earum*] imperium commiserat (patrem verò

propter Chrysippi necẽ fugiebat, vt aiunt) [*regnum est adeptus.*] Cùm enim Euryſtheus non amplius rediiſſet, Mycenæis etiam volentibus, Heraclidarum metu, ſimul etiam quòd vir ſtrenuus eſſe videretur, & multitudinis beneuolentiam ſibi conciliaſſet, [*ita demum ferunt*] Atreum regno Mycenæorum, & cæterorum omnium, quibus Euryſthæus [*antè*] imperabat, potitum, & Pelopidas Perſidis potentiores [*hac ratione*] factos. Quas opes Agamemnon cùm accepiſſet, & claſſe, [*rerúmque nauticarum potentia*] cæteris longè præſtaret, nõ gratiâ potius, quàm metu copias illas mihi videtur coëgiſſe. Conſtat enim eum [*ad Troianam expeditionem*] & plurimis cum nauibus profectum, & Arcadibus præterea [*naues*] præbuiſſe, vt Homerus hoc declarauit, ſi cui locuples, [*& idoneus*] teſtis videtur. Quinetiam in ipſa ſceptri traditione, dixit ipſum: Multis inſulis, & omni Argo imperare. Nequaquam igitur inſulas, præter [*vicinas, &*] adiacentes (hæ autem non multæ eſſe poſſint) [*Agamemnon,*] qui in continente degebat, in ſua ditione habere potuiſſet, niſi aliquam etiam claſſem habuiſſet. Ex hoc autem bellico apparatu cõiecturam facere licet, quales fuerint ſuperiorum ſeculorum expeditiones. Iam verò quòd Mycenæ paruum oppidum erant, aut ſi quod aliud illorum temporum nunc parui momenti videtur eſſe, nequaquam [*tamen ideo*] aliquis hoc infirmo ſigno vſus minus credat claſſem, [*ac apparatũ illum*] non tantum fuiſſe, quantum & poëtæ dixerunt, & ipſa fama obtinuit. Nam ſi Lacedæmoniorum vrbs vaſtata deſoletur, & [*ſola*] templa, & ædificiorum areæ relinquãtur, exiſtimo multos de poſteris longo temporis progreſſu de illorum potentia valde dubitaturos, neque credituros tantã fuiſſe, [*quan-*

ta

ta nunc est,] si [*rerum futurarum status*] cum [*pri-* «
stina] illorum gloria, [*famaq;*] conferatur. Quam- «
uis enim de quinque Peloponnesi partibus duas possideant, totiusq; principatum obtineant, multisque sociis extra [*Peloponnesum*] imperent: tamen constat [*eorum vrbem fama, & opinione hominum*] inferiorem visum iri, quia neque coædificata est, neque templis, neque ædificiis magnificentioribus est [*instructa, ac*] ornata: sed antiquo Græciæ more pagatim condita habitatur. Sed si Athenien- «
sibus hoc ipsum contingeret, ex manifesta vrbis «
dirutæ specie potentiam duplo maiorem, quàm «
sit, visum iri [*puto.*] Haud igitur nos incredulos esse, [*adeò vt rebus dubiis fidem omnẽ prorsus derogemus,*] nec vrbium speciem potiùs, quàm vires spectare decet, & exercitum illum superioribus quidẽ longè maiorem fuisse: sed ætatis nostræ bellicis apparatibus inferiorem existimare [*debemus,*] si quid hîc quoq; Homeri poësi credere conuenit, quem ab eo, qui erat poëta, verisimile est maiorẽ in modum laudibus exornatum fuisse. verumtamen & sic inferiorem fuisse constat. Nam ex mille, & ducentis nauibus [*eum constare*] scripsit. Bœotorum quidem [*singulas,*] cẽtum, & viginti virorum. Philoctetæ verò, quinquaginta: demonstrans (vt mihi videtur) & maximas, & minimas [*naues.*] At de cæterarum magnitudine in nauium catalogo nullam fecit mentionem. Quòd enim omnes in Philoctetę nauibus essent iidem & remiges, & milites, apertè declarauit. Omnes enim remiges, sagittarios esse scripsit. Vectores verò, præter Reges, & eos, qui maximis præfecturis fungebantur, non multos cum illis nauigasse est verisimile. præsertim quia mare cũ bellico apparatu erant traiecturi, neq; cataphractas, [*tectasq;*] naues habebant: sed

prisco potius, & prædonũ more constructas. Si igitur mediam quandã rationẽ teneas inter maximas, & minimas quasq; naues, non multos, vt ab vniuersa Græcia cõmuniter missos, [*ad istam expeditionem*] conuenisse constat. Huius verò rei causa fuit non tam ipsa hominum, quàm pecuniarũ penuria. Nam propter cõmeatus inopiam copias minores duxerũt, & [*eas tantùm,*] quas ex eo loco, [*in quẽ essent profectæ.*] belligerando victũ sibi paraturas sperabant. Postquàm autẽ [*ad agrum Troianum*] appulerunt, [*hostem*] prælio vicerunt, hoc autẽ est manifestũ, nec enim vallo, [*fossaq;*] castra muniuissent. Quinetiam ne hîc quidem eos omnib. copiis vsos esse: sed ad Cherronesi culturã, & ad latrocinium, propter commeatus inopiam, sese conuertisse constat. Quamobrem etiam ipsis dispersis Troiani per decem annos faciliùs restiterunt, quòd illis, qui semper [*in suo agro*] relinquebantur, pares essent viribus. Sed si cum magna commeatus abundantia, & copiis frequentibus [*eo*] iuissent, sine latrocinio, & agricultura bellum continenter gessissent, [*& Troiam*] prœlio superiores facile cepissent, siquidem vel haud frequentibus copiis: at quadam exercitus parte, quæ fortè semper præstò erat, [*Troianis*] resistebant. Quòd si Troiam assidua obsidione pressissent, & citiùs, & minori cum labore [*eam*] expugnassent. Sed propter pecuniarum inopiam, & quæ ante hoc bellum [*Troianum*] gesta sunt, inualida fuerunt, & hæc ipsa, quæ omnium superiorum sunt celeberrima, re ipsa comperiuntur inferiora famâ, & rumore de ipsis sparso, qui propter poëtas inualuit. Nam vel post res ad Troiam gestas Græci adhuc aliò migrabant, sedesque suas transferebant, ita vt eorum opes per otium non creuerint. Nam & serus Græcorum reditus ab Ilio res mul-

multas innouauit, & [*ideo*] in plerisque ciuitatibus exortæ sunt seditiones, ob quas illi, qui suis sedibus pellebantur, vrbes condebant. Nam & Bœotij, qui nunc sic appellantur, sexagesimo post Ilij expugnationem anno, Arne à Thessalis pulsi, eum agrum, qui nunc quidem Bœotius vocatur, antè verò Cadmeus, incoluerunt. (In hoc autem agro olim erat & quædam gentis Bœotiæ portio, vnde etiam ad Ilium cum exercitu sunt profecti.) & Dorienses octogesimo [*post Troiam captam*] anno, cum Heraclidis Peloponnesum tenuêre. Vixque longo pòst tempore Græcia planè pacata, nec vllis suorum incolarum expulsionibus, amplius infestata, colonias emisit. Et Athenienses quidẽ in Ioniam, & bonam insularum partem colonias miserunt, Peloponnesij verò in Italiam, & maximam Siciliæ partem, & in quædam reliquæ Græciæ loca. Sed omnes istæ coloniæ post bellum Troianum in has regiones missæ fuerunt. Sed cùm Græcia potentiam amplioré [*iam*] adepta fuisset, & pecuniarum vim longè maiorem, quàm antè, sibi comparasset, prouentibus, [*ac opibus*] auctis, [*ita demum*] tyrannides in plerisque ciuitatibus sunt constitutę. (Antè enim regna erant hæreditaria, & certis honoribus definita) & Greci classem parare, rebusque maritimis operam studiosiùs dare cœperunt. Corinthij autem primi feruntur immutasse nauium formam, quæ ad eam, quæ nũc est in vsu, proximè accederet, & Corinthi primùm ex omni Græcia triremes ædificatæ [*traduntur.*] Constat etiam Aminoclem Corinthium, nauium fabricatorem, quatuor naues Samiis fecisse. Ex quo autem Aminocles ad Samios iuit, sunt fere anni trecenti ad huius belli confecti finem. prœliumque nauale omnium, quæ nouimus, vetustissimum, inter Co-

rinthios, & Corcyræos est commissum. Sunt autem etiam ab eo prœlio vsque ad eundem huius belli finem anni ad summum ducenti, & sexaginta. Etenim cùm vrbem incolant Corinthij sitam ad Isthmum, emporium fere semper habuerunt, quia Græci, tam illi, qui intra Peloponnesum, quàm qui extra habitant, terrâ potius, quàm mari, per illorum [*agrum*] commercia inter se quondam habebant. Pecunia quoque præpotentes fuerunt, vt & ab antiquis poëtis est declaratum. Vrbem enim illam opulentam cognominarunt. Postquàm verò Græci nauibus paratis frequentiùs nauigare cœperunt, latrocinia [*de mari*] sustulerunt. Et vtrinque emporium præbentes, [*& mari, terráque mercatum omnibus liberum, ac tutum exhibentes,*] vrbem pecuniarum prouentu potentem habuerunt. Postea verò Iones magnam nauium copiam sibi pararunt, Cyri temporibus, qui fuit primus Persarum Rex, & Cambysis, eius filij, [*ætate.*] Atque [*hi*] bellum Cyro facientes, maris agro suo vicini imperium ad aliquod tempus obtinuerunt. Polycrates quoque, qui Cambysis tempore, Sami tyrannus erat, classe pollens, cùm alias insulas in suam potestatem redegit, tum etiam Rheneam, quam subactam Apollini Delio consecrauit. Phocaenses verò, dum Massiliam conderent, Carthaginienses nauali pugna vicerunt. Hæ enim classes [*cæterarum*] omnium potentissimæ fuerunt. Veruntamen hæ quoque [*classes,*] quæ multis post Troiana tempora seculis extiterunt, paucis quidem triremibus vsæ, nauibus verò quinquaginta remigum, & nauigiis longis adhuc instructæ videntur fuisse, quemadmodum [*erant &*] illæ [*priscæ.*] Paulóque ante Medicum bellum, & Darij mortem, qui post Cambysem, regnum Persarum obtinuit, magna triremium

mium copia fuit & tyrannis in Sicilia, & Corcyræis [*in insula Corcyra.*] Hæ nanque postremæ ante Xerxis expeditionem classes memoratu dignæ in Græcia extiterunt. Æginetæ enim, & Athenienses, & si qui alij [*fuerunt,*] exiguas habuerunt [*classes,*] atque harum magna pars erat nauium quinquaginta remigum. Atq; adeò serò [*eas habuerunt,*] ex quo [*videlicet*] Themistocles, Athenienſibus, cum Æginetis bellum gerentibus, simul etiam imminentem barbari aduentum expectantibus, persuasit vt naues facerent, quibus etiam in nauali prælio sunt vsi, quæ ne ipsæ quidem adhuc omnino constratæ, [*ac tectæ*] erant. Classes igitur Græcorum, & peruetustæ, & recentiores, tales fuerunt. Qui tamen illis operam dederunt, ingentem potentiam sibi compararunt, tam ipso pecuniarum reditu, [*& vectigalibus,*] quàm imperio, quod in alios exercebant. nam [*modò huc, modò illuc*] infesta classe nauigantes, insulas subigebant, & illi præcipuè, qui agrum non satis amplum, nec omnibus alendis sufficientem habebant. Terrâ verò bellum (vnde aliquid potentiæ [*ad aliquem*] accesserit) nullum conflatum, [*gestumq;*] est. Sed & quæcumque fuerunt, hæc omnia contra suos quique finitimos gesserũt. Nam Græci in regiones a suis [*finibus*] valde remotas, aliorum subigẽdorum causa nullas expeditiones [*tunc*] faciebant. Græci enim non adiungebant se maximis quibusque ciuitatibus, quasi illarum imperio parêrent, neque etiam iidem ex æquo communes expeditiones faciebant: sed singuli [*populi*] vicini, potius per se, [*solique*] bellum gerebant. Præcipuè verò in illo peruetusto bello, quod inter Chalcidenses, & Eretrienses gestum fuit, reliqui quoque Græci sese diuiserunt, vt vtrisque, [*alij his, alij illis*] auxilium ferrent. Mox verò & aliis

aliunde contigerunt impedimenta, ne crescerent, & Ionibus (cùm res Persarum magna incrementa cepissent) Cyrus, regnumq; Persicum, Crœso profligato, rebusq; omnibus, quæ erant cis Halym fluuium ad mare vsque, subactis, bellum intulit, & vrbes, quæ in continente erant, in seruitutem redegit. Postea verò Darius, Phœnicum classe victor, insulas etiam [*in suam potestatem redegit.*] Tyranni verò, quotquot in Græcis vrbibus erant, suis tantùm rebus prospicientes, vt & corpus tuerentur, & suam familiam [*ac patrimonium*] amplificarent, quàm tutissimè poterant, vrbes incolebant, [*domiq; se continebant.*] nullumque facinus memoria dignum ab illis est factum, nisi si quod contra vicinos quique suos [*fecerunt.*] Nam [*tyranni,*] qui erant in Sicilia, ad maximam potentiam sunt euecti. Adeò Græcia vndique longo temporis spatio
" fuit impedita, tum ne communiter vllum illustre
" facinus ederet, tum etiã ne in singulis ciuitatibus
" audax esset. Postea verò quàm & Athenienſium, & reliquæ Græciæ, quæ vel antè tyrannide pressa fuerat, pleroſque, & postremos tyrannos, exceptis Siciliæ tyrannis, Lacedæmonij sustulerunt (nam Lacedæmon post vrbem conditam à Dorienſibus, qui eam nunc incolunt, seditionibus conflictata diutissimè [*omnium ciuitatum,*] quas nouimus, tamen ab antiquissimis vsque temporibus & bonis legibus est vsa, & tyrannidis immunis semper fuit. sunt enim anni fermè quadringenti, & paulò plures vsque ad huius belli finem, ex quo Lacedæmonij eadem Reipubl. administrandæ forma vtuntur) & hac ipsa de causa potentiam sibi comparatũt, in aliis quoq; ciuitatibus res composuerunt. Tyrannis verò ex Græcia sublatis, non multis pòst annis

Me-

Medorum quoque prœlium cum Athenienſibus in campis Mararhoniis eſt commiſſum. Et decimo poſt hanc pugnam anno barbarus cum magna claſſe rurſus in Græciam venit, vt eam in ſeruitutem redigeret. Et cùm magnum periculum [*vniuerſis Græcis*] impenderet, Lacedæmonij, quòd cæteris potentia præſtarent, duces fuerunt Græcorum, qui bellum illud communibus auſpiciis, [*opibus, armisq; coniunctis*] geſſerunt, & Athenienſes, Medis aduentantibus, cùm vrbem relinquere in animum induxiſſent, omnesque fortunas conuaſatas [*inde*] abſportaſſent, naues conſcenderunt, & ſe, ſuasque res nauibus commiſerunt, [*& ab eo tempore nauticis rebus operam ſtudioſius dederunt.*] Cũ autem communiter, [*opibus, armisq; coniunctis,*] Græci barbarum repuliſſent, non multo pòſt tam illi, qui à [*Perſarum*] Rege deſciuerant, quàm qui coniunctis armis bellum ei fecerant, partim ad Athenienſes, partim ad Lacedæmonios diuiſi tranſierunt. Nam has duas ciuitates maxima potẽtia præditas fuiſſe conſtat. Hi enim terrâ, illi verò claſſe multùm poterant. Hæc autem armorum ſocietas exiguum temporis ſpatium durauit. Poſtea verò Lacedæmonij & Athenienſes diſſociati bellũ inter ſe geſſerunt, cum ſuis vtrique ſociis, & ex cæteris Græcis, ſi qui vſquam inter ſe diſſidebant, iam ad alterutros proficiſcebãtur. Quamobrem à Medico bello ad hoc vſque continenter, modò quidem, fœdus facientes; modò verò, bellum gerentes, aut inter ſe, aut contra ſocios à ſe deficientes, res bellicas præclarè inſtruxerunt, & peritiores euaſerunt, cum periculis [*in harum ſtudio*] ſeſe exercentes. Et Lacedæmonij quidem ita imperabant, vt ſocios non haberent tributarios: ſed hoc ſolùm ſtuderent, vt illi ſuis officiis deliniti, pauco-

» rum principatu in Reipubl. administratione vte-
» rentur, accommodatè ad suum [*morem, ac*] institu-
» tum. Athenienses verò nauibus hostium tandem
» potiti, imperabant, exceptis Chiorum, & Lesbio-
» rum, [*nauibus,*] tributo etiam omnibus, quod pen-
» derēt, imperato. Et ipsorum apparatus in hoc bel-
lo maior extitit, quàm fuerit vel maximus, quem
olim habuerint, quo tempore cum integra socie-
tate floruerunt. Res igitur vetustas tales esse com-
peri, quibus fides difficulter adhibetur, quamuis
deinceps, [*& per singula tempora*] quodlibet argu-
mentum probandi causa protulerim. Homines e-
nim famam rerum ante suam ætatem gestarum, li-
cet sint domesticæ, sine accurata inquisitione alij
ab aliis pariter accipiunt. Nam Athenienſium vul-
gus Hipparchum tyrannum ab Harmodio, & Ari-
stogitone cæsum putat: & [*tamen*] ignorant Hip-
piam, qui filiorum Pisistrati natu erat maximus,
[*tunc*] imperasse; & Hipparchum, ac Thessalum e-
ius fuisse fratres. Harmodium verò, & Aristogito-
nem suspicatos illo die, & ex tempore aliquid à so-
ciis suæ coniurationis consciis Hippiç indicatum,
ab hoc quidem vt præmonito, [*rerumq; gnaro*] ab-
stinuisse, sed, cùm vellent, antequàm comprehen-
derentur, aliquod [*memorabile*] facinus vel suo cum
periculo facere, Hipparchum, in quem inciderant
ad fanum, quod Leocorium appellatur, in Panathe-
naica pompa exornanda occupatum interfeciſſe.
Alia quoque multa, quæ nunc etiam extant, nec
dum propter vetustatem memoria exciderunt, cę-
teri quoque Græci non rectè opinantur: Veluti,
Lacedæmoniorum Reges in suffragiis ferendis,
non singulis quenque: sed binis vti calculis. &
Pitanatem cohortem apud eos esse, quæ nunquam
fuit. Adeò apud plerosque ipsa veritatis inuestiga-

tio

tio est laboris impatiés, & ad ea, quę sunt in promptu, [*ac facilia*,] potius se conuertunt. Ex his autem necessariis signis, quæ dixi, si quis tamen res à me narratas, tales potissimum esse ducat, [*quales eas esse dixi,*] non errauerit: non autem potiùs credat [*eas esse tales,*] quales ipsi poëtæ celebrarunt, [*eas*] cum ornatu in maius extollentes, neq; quales memoriæ prodiderunt orationis solutæ scriptores, qui, vt auditorum aures, [*animosq;*] capiant, verborum illecebras potiùs, quàm veritatem consectantur, [*quæres*] cùm nullis nitantur argumentis, pleræque etiam ob ipsarum vetustatem in fabulas abierunt, ita vt (quod vsus obtinuit) nulla fides ipsis habeatur. Sed si [*quis*] existimet [*res istas*] ex manifestissimis indiciis [*à me*] satis [*accuratè*] peruestigatas, quoad res vetustæ peruestigari possunt, [*hîc profectò non errauerit.*] Et licet homines præsens bellum, in quo gerendo versantur, semper maximum iudicent, eoque finito, vetera vehementius admirentur, tamen iis, qui ex ipsis rebus gestis [*bella*] perpendunt, [*hoc bellum superioribus*] illis [*se*] maius fuisse demonstrabit. Et omnia quidem, quæ singuli verbis expressérunt, aut cùm bellum essent gesturi, aut cùm iam id gererent, ipsamque rerum dictarum exquisitam rationem memoria retinere, [*& recensere*] difficile fuit, cùm mihi, qui res à me ipso auditas narro, tum etiam aliis, qui [*eas*] aliunde [*acceptas*] mihi renuntiarunt. verùm vt singuli semper de rebus præsentibus ea, quæ maximè consentanea erant, mihi ad vniuersam rerum verè dictarum sententiam, [*summamq;*] quàm proximè [*coniecturis*] accedenti dicere videbantur, sic [*à me*] commemorata sunt. At verò res in ipso bello gestas, non quas à quolibet audiui, dignas duxi, quas scriberem, neque vt mihi videbantur: sed & eas,

quibus ipse interfui, & quas singulatim ex aliis quàm potui accuratissimè inuestigaui. Sed [hæ] difficillimè cognosci poterant, quòd illi, qui singulis rebus interfuerant, dum gererentur, non eadem de rebus iisdem dicerent: sed prout quisque [aut] in alterutros amore propensior erat, aut reminiscebatur [eas ita referret.] Verùm [mea scripta] quia nullæ in ipsis extant fabulæ, [Lectoribus] fortasse minus iucunda videbuntur. Sed qui rerum gestarum veritatem spectare volent, & eorum, quæ rursus aliquando futura sunt eiusmodi, & similia, (vt res humanæ sunt) hoc satis fuerit ad iudicandum ea esse vtilia. nam [mea historia] potius vt perpetuum monumentum, quàm ludicrum certamen, [& opus ostentationis causa scriptum,] quod in præsentia audiatur, est [à me] composita. Bellorum autem superiorum, id, quod cum Medis est gestum, maximum fuit; hoc ipsum tamen duobus naualibus, & totidem pedestribus prœliis celeriter est finitum. At huius belli tum longitudo longè processit, tum clades in ipso Græciæ contigerunt, quales eodem temporis spatio nunquam aliâs [acciderant.] nam [in aliis bellis] neque tot vrbes captæ, vastatæque sunt, aliæ quidem à barbaris, aliæ verò à [Græcis] ipsis bellum inter se gerentibus (nonnullæ etiam captæ incolas mutarunt) neq; tot exilia hominum [contigerunt,] neque tot cædes, aliæ quidem propter ipsum bellum, aliæ verò propter seditiones [factæ sunt.] Et quæ antea famâ quidem ferebãtur, sed re ipsa, [& euentu] rariùs confirmabantur, non incredibilia euaserunt, [vt sunt ea, quæ traduntur] & de terræmotibus, qui [in hoc bello] simul & maximam orbis terrarum partem occuparunt, & vehementissimi fuerunt: & [quæ dicuntur de rebus aliis, vt sunt] solis defectiones, quæ frequentiores acci-

derunt,

derunt, quàm vnquam antè memoratæ fuerint: & apud nõnullos magnæ ſiccitates, & fames ex ipſis natæ, & peſtilens morbus, qui [*Græciam*] non minimo detrimento affecit, quin etiam quandã [*eius partem*] abſumpſit. Hæc enim omnia cum hoc bello [*Græciam*] ſimul inuaſerunt. Eius autem initium fecerunt Athenienſes, & Peloponneſij, ruptis tricennalibus fœderibus, quæ poſt Euboeam captam inter ſe fecerant. Cur autem [*hæc illi*] ruperint, cauſas, & diſſidia iam antè ſcripſi, ne quis aliquando requirat, vnde tãtum bellum inter Græcos ſit conflatum. Nam veriſſimam quidem: ſed ſermone minimè celebratam cauſam [*fuiſſe*] puto, Athenienſes, qui, quòd in dies creſcerent, & terrorem Lacedæmoniis incuterent, belli mouendi neceſſitatem [*ipſis*] impoſuerint. Sed cauſæ, quæ propalam vtrinque ferebantur, propter quas ruptis fœderibus bellum ſuſceperunt, iſtæ fuerunt. Epidamnus eſt vrbs ad dextram ſita nauigantibus Ionium ſinum verſus. Huic autem finitimi ſunt Taulantij barbari, gens Illyrica. Hanc vrbem Corcyræi quidẽ miſſa colonia condiderunt. Sed coloniæ dux fuit Phalius, Eratoclidæ [*filius*] genere Corinthius, ab Hercule oriundus, ex metropoli [*more, ac*] inſtituto priſco accerſitus. Nonnulli etiam Corinthij, & alij præterea Doricæ gentis homines eius coloniæ ſocij fuerunt. Progreſſu verò temporis, Epidamniorum vrbs magna, populoſque frequens euaſit. Sed cùm [*eius ciues*] iam multos annos (vt fertur) ſeditionibus inteſtinis laboraſſent, quodam finitimorum barbarorum bello attriti, magnaque potentiæ parte priuati ſunt. Nouiſſimè verò, ante hoc bellum, illorum plebs potentiſſimos quoſque [*ciues*] eiecit. At illi, cùm [*inde*] diſceſſiſſent, cũ barbaris, [*ad quos ſe receperant,*] eos, qui in vrbe erant,

terra, marique prædabantur. Epidamnij verò, qui in vrbe erant, cùm [*ab illis*] premerentur, Corcyram, vt ad suæ coloniæ matrem, legatos mittunt, orantes ne se perdi sinerent: sed & profugos sibi reconciliarent, bellumque barbarorum finirent. Hæc autem supplices in Iunonis templo sedentes rogabant. Sed Corcyræi preces [*eorum*] non admiserunt: at re infecta [*eos*] remiserunt. Cùm autem Epidamnij nullam à Corcyreis opem sibi latam viderent, ambigebant quonam modo in præsenti rerum statu se gerere deberent, [*vt molestiis illis liberarentur.*] Quare [*legatis*] Delphos missis, Deum consuluerunt an Corinthiis, vt coloniæ deductoribus, vrbem dederent, operamq; darent, vt aliquid auxilij ab illis impetrarent. Ille verò ipsis respondit, vt vrbem [*Corinthijs*] dederent, & eorum auspicia, [*ductúmque*] sequerentur. Epidamnij verò Corinthum profecti, coloniam oraculi iussu [*Corinthijs*] dediderunt, demonstrantes & ipsum suæ coloniæ ducem Corinthium fuisse, & Dei oraculum declarantes. Eosq; rogabant ne se perdi sinerent: sed [*sibi*] opé ferrent. Corinthij verò & propter ipsam causæ æquitatem [*eos in fidem & clientelam receperũt, &*] auxilium [*se ipsis missuros*] promiserunt, (quia coloniam istam nõ minus suam, quàm Corcyræorum esse ducebant.) Simul etiam propter odium, quo Corcyræos prosequebantur, quia [*Corcyræi,*] licet essent [*Corinthiorum*] coloni, ipsos [*tamen*] contemnebant. Nam neque in publicis solennitatibus consuetos honores [*ipsis*] tribuebant, neque in sacrificiis, quum viscera distribuebant, à viro Corinthio auspicabantur, quemadmodum cæteræ coloniæ [*facere consueuerunt.*] Sed illos contemnebant, quòd pecuniarum copiâ, vel ditissimis quibusque illius seculi Græcis pares essent, & bellico apparatu

tu pollerent. quinetiam classe interdum [*se cæteris*] longè præstare gloriabãtur, præsertim quòd Phæaces Corcyram olim tenuissent, qui rerum nauticarum gloria floruerant. quamobrẽ etiam [*ipsi*] classi parandæ operam studiosiùs dabant, nec parum potentes erant. Nam centum & viginti naues ipsis fuerunt, quum bellum gerere cœperunt. Corinthij igitur, cùm omnium istarum rerum [*iustas*] haberent querelas, [*& crimina, quæ Corcyræis obiicerent,*] auxilium, & Ambraciotarum, ac Leucadiorum, atque suorũ [*ciuium*] præsidia lubenter Epidamnum miserũt, omnibus, qui illuc habitãdi causa se conferre voluissent, facta eundi potestate. Hæc autem præsidia itinere pedestri Apolloniam iuerunt, quæ erat Corinthiorum colonia, Corcyræorum metu, ne ab illis mare traiicere prohiberentur. Corcyræi verò, vbi [*nouos*] colonos, & præsidia Epidamnum peruenisse, Coloniamque Corinthiis deditam intellexerunt, rem iniquo animo tulerunt. statimque [*eò*] cum XXV nauibus profecti, deinde cum altera classe, cum insultu ipsis [*Epidamniis*] imperarunt, vt exules reciperent (nam Epidamnij exules Corcyram venerant, demõstrantes monumenta, & cognationem, quam prætendentes, orabant [*eos,*] vt se [*in patriam*] reducerent) & præsidia, quę Corinthij miserant, & [*nouos*] colonos remitterẽt. Sed Epidamnij nulla ipsorum imperata fecerunt. Quamobrem Corcyrei cum infesto quadraginta nauium exercitu, & exulibus (vt [*in patriam*] eos reducturi) ac Illyriis [*ad belli societatem*] assumptis, bellum illis intulerunt. Vrbem autem obsidentes, denuntiarunt, vt & de Epidamniis, qui vellet, & peregrini impunè abirent, alioqui [*illos à se*] vt hostes tractatum iri [*dixerunt.*] Sed cùm [*Epidamnij illis*] non parêrent, Corcyræi quidem (ille autem lo-

cus est Isthmus) vrbem obsidere, [*ac oppugnare*] cœperunt. Corinthij verò, postquàm nuntij Epidamno [*ad ipsos*] venerunt, qui vrbem obsideri nuntiarunt, exercitum parare cœperunt. Simul etiam coloniam Epidamnum deducendam edixerunt, ea lege, vt qui vellet, [*illuc*] iret, pari [*iure,*] pariq; [*honore cum cæteris ciuib. futurus.*] Quòd si quis protinus cum [*cæteris*] nauigare nollet, & tamen coloniæ particeps esse vellet, numeratis quinquaginta drachmis Corinthiis, [*ei in vrbe*] remanere [*licere dixerunt.*] Fuerunt autem permulti, & qui nauigarunt, & qui pecuniam numerarunt. Rogarunt etiam Megarenses, vt suis nauibus se comitari vellét, si fortè suæ nauigationis cursus à Corcyræis impediretur. Illi verò cum illis nauigare octo nauibus parabant, & Palenses Cephallenio rum, quatuor. Epidaurios quoq; rogarunt, [*vt idem facerent,*] qui quinque [*naues*] præbuerunt. Hermionnenses verò, vnicam. Et Trœcenij, duas. Leucadij, decem. Et Ambraciotæ, octo. A Thebanis verò, & Phliasiis pecunias petierunt, ab Eleis naues vacuas, & pecunias. Ipsorum verò Corinthiorum naues triginta, & tria militum grauis armaturæ millia parabantur. Postquam verò Corcyræi hunc apparatum audierunt, Corinthum profecti cum Lacedæmoniis, Sicyoniisque legatis, quos sibi adiunxerant, iusserunt Corinthios præsidia, & [*nouos*] colonos Epidamno deducere, vt ex vrbe, quæ ad eos nihil pertineret. Quòd si eam sibi vendicare pergerent, in Peloponneso, apud illas ciuitates, de quibus inter vtrosque conueniisset, volebant iure disceptare. vtris autem colonia fuisset adiudicata, hos ea potiri [*æquum esse censebant.*] Quinetiam oraculo Delphico [*rem controuersam*] committere volebant. Sed bellum fieri non sinebant, [*idq; dissuadebant.*] alioqui,

qui, si illi vim [*sibi*] facerent, dicebant se coactum iri auxilij, [*præsidiúq;*] causa, illos sibi facere amicos, quos nollent, alterutros eorum, qui potentia tunc præstarent. Corinthij verò ipsis respondérunt, si naues, & barbaros ab Epidamno abducerent, se consultaturos. Nam antè, rem non bene se habere [*dicebant,*] si illi quidem obsiderentur, ipsi verò iudicio contenderent. Contrà verò Corcyræi dicebant se ista facturos, si & illi abducerent eos, qui Epidamni erãt. se etiam paratos esse [*dicebant,*] vt vtrique [*suo*] loco manerent, fœdusq; facerent, tantisper dum iudicium [*de re controuersa*] fieret. At Corinthij nihil horum facere, nec [*ipsis*] parére voluerunt: sed postquàm ipsorum naues [*rebus ad bellum necessariis*] plenæ fuerunt, socij adfuerunt, caduceatore præmisso, qui Corcyræis bellum prius indiceret, portu soluentes cũ septuaginta & quinque nauibus, & duobus millibus grauis armaturæ militum, Epidamnum versus nauigarunt, bellum Corcyræis illaturi. Nauibus autẽ præerat, Aristæus Pellicæ, & Callicrates Calliæ, & Timanor Timanthis [*filius.*] Peditatui verò, Archerimus Eurytimi, & Isarchidas Isarchi [*filius.*] Postquàm autẽ ad agri Anactorij Actium peruenerũt, vbi templum est Apollinis, in faucib. sinus Ambracij, Corcyræi caduceatorem ipsis ad Actium præmiserũt, qui vetaret [*illos*] contra se nauigare, simul etiam naues [*militibus, rebusq; ad pugnam necessariis*] impleuerunt, & vetustas quidẽ iunxerunt, [*& iugis aptarunt,*] vt nauigationi aptæ essent, alias verò refecerũt. Sed postquàm caduceator nihil pacatũ à Corinthiis renuntiauit, & ipsorum naues numero octoginta [*rebus omnibus ad prælium necessariis*] iam expletæ fuerunt, (nam quadraginta [*naues*] Epidamnum obsidebãt) obuiã [*hosti*] processerũt, & acie instructa nauali

pugnam commiserunt. Et Corcyræi longè superiores fuerunt, & xv Corinthiorum naues profligarunt. Eodem autem die ipsis accidit, vt & illi, qui Epidamnum obsidebant, [*Epidamnios*] ad deditionem redigerent, ea conditione, vt peregrinos quidem venderent, Corinthios verò in vinculis seruarent, donec aliquid aliud [*victoribus*] videretur, [*& victores de victis aliter arbitratu suo statuerent.*] Post hoc nauale prœlium Corcyræi, cũ trophæum in Leucimna Corcyræ promõtorio statuissent, cæteros quidem captiuos, quos ceperant, interfecerunt; Corinthios verò vinctos asseruarũt. Postea verò, cùm Corinthij, sociiq́ue nauali prœlio victi domũ rediissent; Corcyræi imperium totius maris, quod est in illis regionibꝰ, adepti sunt, & nauibus ad Leucadem Corinthiorum coloniã profecti, agrum vastarũt, & Cyllenen, Eleorum naualia, incenderunt, quòd naues, pecuniasq́ue Corinthiis præbuissent. Et post illud nauale prœlium maxima eius anni parte, maris illius imperium obtinuerũt, & Corinthiorum socios infesta classe nauigantes vexarunt. Donec Corinthij æstate iam aduentante, nauibus, exercituq́ue misso, cùm ipsorum socij laborarent, ad Actium, & circa Chimerium Thesprotidis, castra posuerunt, vt & Leucadem, & cæteras ciuitates, quotquot sibi erant amicæ, suo præsidio tutarentur. Corcyræi verò & nauibus, & peditatu in Leucimna è regione [*hostium*] castrametati sunt. Et neutri contra alteros nauigabant: sed statiua oppositа habentes, hyeme iam aduentante, domum vtrique se receperunt. Toto autem post hoc prœlium, & insequenti anno, Corinthij grauiter ferentes bellum contra Corcyreos susceptum, naues compegerunt, & naualem expeditionem optimè pararunt, remiges cùm ex ipsa Pelo-

ponn-

ponneſo, tum ex reliqua Græcia cogentes [*eosq;*] mercede ſolicitãtes. Corcyræi verò audito illorum apparatu timere cœperunt, & (nam cũ nulla Græcorum ciuitate fœdere erant coniuncti, neque aut in Athenienſium, aut Lacedæmoniorum fœderibus ſe adſcripſerant) viſum eſt ipſis ad Athenienſes proficiſci, & ſocietatem cum illis contrahere, & operam dare, vt aliquod auxilium ab illis impetrarent. Corinthij verò his [*rebus*] auditis, legatos & ipſi Athenas miſerunt, [*vt Athenienſes orarent,*] ne præter Corcyræorum claſſem, ipſorum quoque [*claſſis hoſtibus*] adiuncta; ſibi impedimento eſſet, ne bellum arbitratu ſuo gererent. Itaque coacta concione in diſceptationem venerunt. Atque Corcyræi quidem hæc verba fecerunt.

CORCYRAEORVM CONCIO.

Æquum eſt, viri Athenienſes, vt, qui ad alios auxilij implorãdi cauſa (quemadmodum nos quoque nunc facimus) veniunt, præſertim ſi nulla magna beneficia extent in eos antè collata, nec ipſis vlla cum illis intercedat ſocietas antè inita, primùm demonſtrent ſua poſtulata maximè quidem vtilia [*fore illis, à quibus ſocietatem, auxiliumq; petunt,*] ſin minus, ſaltem non detrimentoſa. deinde verò ſe firmam ipſis gratiam habituros. Sed ſi nihil horum perſpicuum fecerint, non indignè ferant, ſi non impetrarint [*quæ poſtularint.*] Corcyræi igitur perſuaſum habentes ſe hæc quoque vobis manifeſtè probaturos, nõs [*veſtram*] ſocietatem petituros [*huc*] miſerunt. Accidit autem vt idem inſtitutum nobis ſit & incõſultum apud vos, in hoc negotio, in quo veſtra opera egemus, & in noſtris rebus, in præſentia [*nobis*] infructuoſum. Nam cùm nunquam ante hac cuiuſquam ſocij voluntarij fuerimus, nunc hoc [*ipſum*] ab aliis petituri venimus,

simul etiam in præsenti bello, quod cum Corinthiis gerimus, propter hoc [*nostrum priscum institutum*] sumus deserti, [*nec vllos habemus socios, à quibus iuuemur, ac protegamur.*] Et nostram illam, quæ prius prudentia videbatur, quòd societate cum aliis inita, & sententia cum aliis communicata simul periclitari nollemus, nunc in manifestam imprudentiam, & imbecillitatem constat esse mutatam. Nos igitur soli Corinthios in superiore nauali prœlio repulimus. Verùm quia maiore apparatu tam ex Peloponneso, quàm ex reliqua Græcia [*hostes*] contra nos veniunt, quia etiam videmus nos domesticis tantum viribus fretos non posse [*malum impendens vitare, &*] incolumes euadere, simul etiam [*quia*] magnum est periculum, [*quod cæteris Græcis imminet,*] si in illorum potestatem redigamur, [*idcirco*] & vestra, & cuiuslibet alius auxilia implorare [*nobis*] est necesse. Et venia [*nobis*] est danda, si non malitia: sed potius opinionis errore, superiori nostræ quieti res contrarias [*nunc*] audemus. Quòd si [*nos*] audieritis, hæc nostræ necessitatis societas vobis erit honesta multis de causis. Primùm quidem, quia [*nobis,*] qui iniuriam accipimus, nec aliis iniuriam facimus, opem ferretis. Deinde verò, quia, si [*nos*] in maximarum rerum discrimen adductos, [*in vestram societatem*] recipiatis, beneficium cum æterno testimonio quàm optimè [*apud nos*] collocabitis. Classem autem, vestra excepta, maximam habemus. Quare considerate quænam rarior vestræ prosperitatis occasio, quæve hostibus tristior esse possit, quàm si [*ea*] potentia, quam vel multis pecuniis, magnisque beneficiis antepositis, vt eam vobis adiungeretis, [*si inquam*] ea [*nunc*] adsit, sponte sua, sine periculo, & [*sine*] sumptu seipsam [*vobis offerens, ac*] tradens:

dens: præterea apud multos quidem afferens gloriam, illis verò, quibus opem feretis, gratiam, & vobis ipsis, potentiam. quæ omnia ex omni temporum memoria perpaucis simul contigerunt. pauciqúe sunt, qui [*illis,*] à quibus belli societatem petunt, præsidium, ac ornamentum maius daturi, quàm [*ab ipsis*] accepturi veniant. Quòd si quis vestrum non putat bellum, in quo [*vobis*] vtiles esse poterimus, [*us*] profectò fallitur opinione, nec videt Lacedæmonios vestræ potentiæ metu, belli gerendi cupidos esse, & Corinthios apud ipsos [*Lacedæmonios*] authoritate valere, vobisque inimicos esse, &, dum nos primos nunc aggrediuntur, viam sibi ad vos inuadendos sternere, ne communi odio in eos conspiremus: néve priores alterutra spe ipsos frustremur, aut nos affligendi, [*ac debilitandi,*] aut se ipsos confirmandi. Cùm igitur nos quidem [*nostram*] societatem [*vobis*] offeramus, vos verò [*eam*] accipiatis, illos anteuertere, & insidias anticipare potiùs quàm insidiantibus contrà insidiari, vestræ sunt partes. Quòd si dixerint iniquum esse suos colonos à vobis recipi, discant, omnem coloniam honore prosequi [*suam*] Metropolim, si beneficiis ab ea afficiatur; sed si [*ab ea*] iniuriam accipiat, alienari, [*ac desciscere.*] Nec enim [*coloni in colonias*] emittuntur, ea conditione, vt sint serui: sed vt iis, qui [*in antiqua patria*] relinquuntur, sint pares, [*& eodem iure, ac honore, quo illi fruantur.*] Quòd autem [*isti nobis*] iniuriam fecerint, [*hoc verò*] perspicuum est. Nam ad iudicium de Epidamni controuersia prouocati, crimina, [*quæ nobis obiiciunt,*] armis, quàm iure persequi maluerunt. Atque [*ea,*] quæ in nos [*suos*] cognatos faciunt, vobis sint documento, ne ab ipsis in fraudem inducamini, néve [*ipsis auxilium*] petentibus, ex tempore

morem geratis. Quem enim minimè pœnitet beneficiorum in inimicos collatorum, [*is*] vitam tutissimè degit. Neque verò fœdera frangetis, quæ cum Lacedæmoniis feciſtis, ſi nos [*in veſtram ſocietatem*] recipiatis, quia neutrorum ſocij ſumus. In illis enim dictum eſt; Quæcunque de Græcis ciuitatibus cum nullis ſocietatem habet, ei licere ad vtras partes libuerit accedere. Et ſane iniquum fuerit, ſi iſtis quidem liceat claſſem inſtruere cùm ex fœderatis ciuitatibus, tum etiam præterea ex reliqua Græcia, præcipuè verò ex iis [*ciuitatibus,*] quæ veſtro imperio parent: nos verò ab hac ſocietate propoſita, & ab alio vndecunque auxilio arceant. Deinde verò in criminis loco ponãt, ſi perſuaſum vobis fuerit quod petimus, [*& ſi precibus noſtris adducti, nobis cõceſſeritis, quæ poſtulamus.*] Imò verò nos longè maiorem vos inſimulandi materiam habebimus, niſi rem vobis perſuadeamus, [*& impetremus, quæ poſtulamus.*] Nos enim periclitantes, nec vobis inimicos repelletis. Iſtos verò, qui ſunt veſtri hoſtes, & qui contra [*vos*] veniunt, non ſolùm non impedietis: ſed etiam inſuper copias ex veſtra ditione [*ſibi*] cõparare ſinetis, quas nõ eſt æquum: at [*oportet*] aut illorũ quoque milites mercede conductos impedire, quos ex [*agrõ*] veſtro [*cogũt,*] aut nobis etiam auxilium mittere, quocunque modo vobis viſum fuerit. Potiſſimùm verò [*vos nobis*] in ſocietatem apertè receptis opẽ ferre [*decet.*] Multas autem commoditates (quemadmodum noſtræ dictionis initio monuimus) [*vobis*] demõſtramus, & illud, quod eſt maximum, eoſdem eſſe veſtros hoſtes (id, quod certiſſimum eſt argumẽtum) eoſque non infirmos: ſed ea potentia præditos, qua rebelles incommodo afficere poſſint. Cùm autem naualis, ac non terreſtris ſocietas [*vobis*] offeratur,

alie-

alienatio, [*ac vtriusq; iactura*] non est par. Quamobrem [*oportet vos*] potissimùm quidem operam dare, vt nullos alios classem possidere sinatis: sin minus, vt eorum amicitiam [*vobis*] concilietis, qui [*classe*] sint munitissimi. Cui autem hæc, quæ [*à nobis*] dicuntur, vtilia quidem videntur: sed metuit ne propterea [*nobis*] assensus fœdera frangat, sciat suum quidem metum viribus præditum aduersariis maiorem terrorem incussurum. Fiduciam verò [*suam*] si [*nos in societatem*] non receperit, infirmã, potentibus hostibus minùs formidolosam futuram. Simul etiam [*sciat ille*] se nunc non magis de Corcyra, quàm de Athenis etiam consultare, seq; non optimè illis prospicere, quum præsentem rerum statum, [*pacemq;*] spectans, ad futurum, & tantum non præsens bellum [*feliciter gerendum*] vrbem [*sibi*] adiungere dubitat, quæ maximis cum momentis, [*ac vtilitatibus*] amica redditur, & [*maximis cum damnis, ac detrimentis*] inimica fit. Sita enim est in loco opportuno ad traiiciendum in Italiam, & Siciliam, ita vt nec inde classem contra Peloponnesios venire sinat, & eam, quæ hinc venit, in illa loca deducat, quinetiam aliis in rebus commoditates egregias habet. Vt autem vniuersa, & singula in breuissimam contraham summam, hinc cognoscere poteritis nos non esse deserendos. Cùm enim Græcis tres sint classes memoratu dignæ, vestra, & nostra, & Corinthiorum. si harum duas per vestram negligentiam in vnum coire permiseritis, & Corinthij nos præoccuparint, [*ac in suam potestatem redegerint, antequàm auxilium nobis aduersus illos latum fuerit,*] cum Corcyræis & Peloponnesiis simul nauale bellum geretis. Sed si nos [*in vestram societatem*] receperitis, maiore vestrarum nauium numero, [*nostris ad vestras additis,*] cum ipsis [*Pelo-*

ponnesiis] dimicare poteritis. Atque Corcyræi quidem hæc dixerunt. Corinthij verò post eos hæc [*verba fecerunt:*]

CORINTHIORVM CONCIO.

Quoniam isti Corcyræi non solùm de se in societatem recipiendis verba fecerũt: sed etiam se à nobis iniuriam accepisse [*conquesti sunt,*] seque iniquo bello [*à nobis*]premi [*dixerunt,*] necesse est nos quoque primùm ad vtramque illorum criminationem respondere, atque sic ad reliquam orationem accedere, vt & nostra postulata [*rebus vestris*] rutiora maturè cognoscatis, & istorum vsum, [*ac societatem*] non temerè repudietis. Aiunt autem [*isti*]se modestiæ studio nullius societatem vnquam recepisse. Illi verò hoc institutum sequuti sunt maleficij, non autem virtutis studio, quia nullum [*suorum*] scelerum socium, nullumque testem habere, neque [*aliorum opem*] implorantes erubescere voluerunt. Simul etiam ipsorum vrbs, quæ situ est [*ad maleficia committendum*] apposito, ipsos iniuriarum, quas nonnullis faciunt, iudices potiùs constituit, quàm vt ex pacto [*iudices ab aliis*] fiant, quòd ad alios [*ipsi*] rarissimè nauigent, alios verò necessitate [*illuc*] appellentes sæpissimè excipiant. Atque hac in re situm est illud decorum, quod prętendunt, se ab aliorum societate abhorruisse; non vt aliorum in sceleribus perpetrandis societatem fugerent, sed vt soli scelera perpetrarent, vtque, vbi quidem potentiores essent, [*aliis*] vim facerent, vbi verò laterent, [*& iniurias aliis clàm inferrent,*] plus [*emolumenti*] haberent. Et si quid præterea caperẽt, [*id*] impudenter negarent. Sed si (quemadmodum prędicant) viri essent boni, quo minùs aliorum criminationibus, [*ac reprehensionibus*] obnoxij erant, ipsis eo magis [*suam*] virtutem ostendere licebat, iure [*cum aliis*] disceptando.

do. Sed neque erga alios, neque erga nos tales exiſtunt. Nam cùm noſtri ſint coloni, [*tamen*] cùm ſemper antè [*à nobis*] defecerunt, tum etiam nunc [*nobis*] bellum faciunt, dicentes ſe, nõ vt maleficiis afficerentur, [*in coloniam ex antiqua patria à nobis*] emiſſos. Nos verò [*viciſſim*] reſpõdemus, nec nos equidé ideirco ipſorũ coloniã [*in inſula Corcyra*] collocaſſe, vt ab ipſis contumelia afficeremur: ſed vt ipſorũ duces eſſemus, vtq; conueniens, [*ac debitus*] honor nobis [*ab ipſis*] redderetur. cæteræ enim coloniæ nos honorant, & à [*cæteris*] colonis maximè diligimur. Atque [*hinc*] patet, ſi maiori [*colonorum*] numero grati ſumus, nos iſtis ſolis immeritò eſſe ingratos, [*ac inuiſos,*] neque bellum [*ipſis*] honeſtè illaturos fuiſſe, niſi etiam inſignem aliquam iniuriam [*ab ipſis*] accepiſſemus. Sed, quamuis peccaſſemus, [*tamen*] illis quidem glorioſum fuiſſet, ſi iræ, [*ibidimiq;*] noſtræ ceſſiſſent; nobis verò fœdum, [*ac infame,*] ſi eorum modeſtiam violaſſemus. Sed petulantiâ, opumque licentiâ, cùm alia multa in nos peccauerunt, tum etiam Epidamnum, noſtræ ditionis coloniam, dum [*bello*] vexaretur, [*ſibi*] non vendicarunt; nobis verò auxilij cauſa [*eo*] profectis, per vim captam retinent. Et tamen dictitant ſe [*de re controuerſa nobiſcum*] iudicio priùs diſceptare voluiſſe, quod non illum, qui ſuperior, [*& meliore conditione*] eſt, & qui ex tuto [*alterum*] ad aliquam diſceptationem prouocat, oportet videri ſeruare: ſed illum, qui ante diſceptationem facta verbis æquat. Iſti verò non priuſquàm hanc vrbem obſiderent: ſed poſtquàm nos [*hanc iniuriam*] non neglecturos exiſtimarunt, tunc verò & iſtam ſpecioſam iuris æquitatem protulerunt. Et [*tamen*] huc veniunt, quamuis non ſolùm in illis [*rebus*] peccarint: ſed etiam vt nunc non in belli: ſed in

sceleruṁ societatem suis precibus vos vocent, ac orent vt se, nostros hostes, [*in vestram societatem*] recipiatis. Quos oportebat, quum à periculis erant remotissimi, tunc [*ad vos*] accedere, non autem quando nos quidem iniuriam [*ab illis*] accepimus, ipsi verò periclitantur, neque eo tempore, quo vos nullo fructu ex ipsorum potentia percepto, vestra auxilia [*ipsis*] iam estis impertituri, & [*quo tempore*] vos, qui procul ab illorum facinoribus abfuistis, parem culpam apud nos sustinebitis. Iam pridem autem [*oportuerat illos*] viribus vobiscum communicatis, [*& inita societate,*] cõmunes etiam [*belli, rerumq; casus, &*] euẽtus experiri. [*Vt*] autem solorum criminum socij non fuistis, sic etiam horum [*euentorum,*] quę res gestas sequuntur, [*vos*] minimè participes esse [*oportet.*] Quòd igitur conuenientibus, [*firmisq;*] iuris argumentis instructi [*huc*] ad vos venerimus, isti verò violenti, ac alieni raptores sint, [*iam*] planum est factum. Quòd autem ipsos saluo iure [*in vestram societatem*] recipere nõ possitis, discere [*nunc*] oportet. Nam quamuis in fœdere sit scriptum, cuilibet ciuitatum fœderi non adscriptarum licere ad vtras velit partes se conferre, [*tamen*] hoc fœdus ad illos non pertinet, qui in alterius partis fraudem, [*perniciemq; ad societatem petendam*] veniunt. Sed [*ad illos*] qui ab altera parte non deficientes, salutis præsidio indigent, & qui [*recepti,*] recipientibus (si sapiunt) bellum pro pace non sunt allaturi. Id, quod vobis, nisi nos audiatis, nunc eueniet. Non solùm enim istis auxiliares: verùm etiam pro fœderatis hostes nobis eritis. necesse enim est, si societatem cum ipsis contrahatis, ipsos quoque vobiscum sese tueri, [*& vim illatam propulsare, nosq; vobiscum oppugnare.*] Sed profectò æquum est, vos, præcipuè quidem neutros

vestris

vestris opibus iuuare, sin minus, contrà, nobiscum aduersus hos quidem proficiscì, (nam cum Corinthiis fœdere coniuncti estis: sed cum Corcyræis ne per inducias quidem fœdus vnquam feciistis) neque legem constituere, vt qui ab alteris defecerint, [*ab alteris*] recipiantur. Nam ne nos quidem [*olim*] cùm Samij [*à vobis*] defeciissent, [*&*] cæteri Peloponnesij varias sententias tuliissent, [*dubitantes*] an ipsis auxilium esset ferendum, sententiam vobis contrariam tulimus: sed apertè contra [*illos*] diximus. suos quenque socios persequi debere. Nam si eos, qui aliquod facinus patrarint, [*in vestram societatem*] recipiatis, & opem [*illis*] feratis, erunt etiam ex vestris [*sociis*] non pauciores, qui ad nos palàm transibunt, legemque contra vos ipsos potiùs, quàm contra nos condetis. Atq; hæc quidem sunt, quæ apud vos de iure nostro dicere habuimus, quæ ex Græcorum institutis satis sunt firma: vos verò monemus, & oramus, vt eam nobis gratiam referatis, quam nobis in præsentia referendam cẽsemus, quia non inimici sumus, vt [*vos*] lędamus, neque contrà, amici [*tales,*] vt [*vestra liberalitate*] abutamur. Cùm enim olim ante res Medicas in bello contra Æginetas gerendo longarum nauium penuria laboraretis, viginti naues [*commodatò*] à Corinthiis accepistis. Quamobrem & istud beneficium, & illud [*alterum,*] quod vobis contra Samios dedimus, quum propter nos Peloponnesij auxilium ipsis non tulerunt, fecit, vt Æginetas quidem superaretis, in Samios verò animaduerteretis. Atque iis temporibus hoc factum est, quibus potissimùm homines, qui aduersus hostes suos eunt, propter vincendi studium cætera negligunt. Nam pro amico habent eum, qui [*sibi*] nauat operam, licet antè fuerit inimicus: & [*com-*

trà,] hostis loco ponunt eum, qui [*sibi*] aduersatur, quamuis [*antè*] fuerit amicus, siquidem vel res domesticas propter præsentis contentionis, [*ac peruicaciæ*] studium malè curant. Quæ vobiscum reputantes, & si qui sunt inter vos natu minores, hęc ex maioribus natu cognoscentes, parem gratiam nobis velitis referre. neque existimetis hæc quidem, quæ dicuntur [*à nobis,*] esse iusta: alia verò, si bellum oriatur, esse vtilia. Nam in quo quis minimè peccat, vtilitas potissimùm [*indè*] sequitur. Et imminentis belli periculum (quo Corcyræi vos terrent, & ad iniuriam [*nobis*] faciendam hortantur) adhuc est incertum. Nec [*vos*] decet eo commotos, manifestas, [*minimeq; dubias,*] ac præsentes inimicitias cõtra Corinthios iam suscipere. Quinimo sapientiæ fuerit pristinas suspiciones, [*odiaq;*] propter Megarenses susceptas potiùs minuere, [*quàm fouere, nouasq; inimicitias suscipere.*] Postremum enim beneficium opportunè collatum, licet sit paruum, [*tamen*] maius, [*grauiusq;*] crimen diluere potest. Neque verò eo alliciamini, quòd ad belli societatem vobis ingentem classem offerunt. Nam [*hominibus conditione*] paribus nullam iniuriam facere, firmior est potentia, quàm si repentina præsentium commodorum specie elati, maiora [*quædam*] non sine periculis acquiramus. Cùm igitur in ea inciderimus, quę nos ipsi olim Lacedæmone diximus, [*quum Lacedæmonios monuimus, vt sinerent*] in suos quemque socios animaduertere, nunc vt idē obtineamus à vobis postulamus, vtque, quando nostris suffragiis adiuti, [*& subleuati*] fuistis, ne vestra sententia nos oppugnetis: sed parem gratiam referatis, memores hoc illud esse tempus, quo potissimùm ille, qui suam operam alteri nauat, est amicus, & qui aduersatur, inimicus: neque

Cor-

Corcyræos istos nobis inuitis in societatem recipiatis, neque ipsis opem feratis, qui [*nobis*] iniuriam faciunt. *Hæc si feceritis*, & ex officio, & dignitate vestra egeritis, vestrisque rebus optimè consulueritis. Hæc autem & Corinthij dixerunt. Athenienses verò vtrisque auditis, & concione bis coacta, in priore quidem rationes Corinthiorum non minùs, [*quàm Corcyræorum rationes,*] probarunt. In posteriore verò, mutato consilio statuerunt nullam quidē belli societatem cũ Corcyræis facere, vt eosdem & inimicos, & amicos ducerent. (si enim aduersus Corinthios Corcyrei ipsos secum nauigare iussissent, fœdera, quæ ipsis cum Peloponnesiis erant, rupta fuissent. sed [*tantùm*] subsidiariam societatem fecerunt, vt alteri alterorum agro mutuam ferrent opem, si quis aduersus Corcyram, vel Athenas, vel eorum socios, iret. Nam bellum contra Peloponnesios vel sic fore ipsis videbatur, neque pati volebant, vt Corcyra, quæ tantam classem habebat, in Corinthiorum potestatem veniret: sed eos quàm maximè inter se collidere [*volebant,*] vt cum inualidioribus (si quid opus esset) & Corinthiis, & aliis, qui classem habebant, bellum capesserent, simul etiam hæc insula ad traiiciendum in Italiam, & Siciliam in opportuno loco sita ipsis videbatur. Hoc igitur consilio Athenienses [*in societatem*] Corcyræos receperunt, nec multò post Corinthiorum discessum, decem naues illis auxilio miserunt. Illarum autem duces erant, Lacedæmonius Cimmonis, Diotimus Strombichi, & Proteas Epiclis [*filius.*] Ipsis verò præceperunt ne cum Corinthiis pugnarent, nisi contra Corcyram nauigarent, & [*in eius agrum ex nauibus*] descendere vellent, aut contra aliquod ipsorum oppidum [*venirent.*] Nam ita demum [*se ipsis permittere dixerunt,*

vt illos] pro viribus impedirent. Hæc autem [*ideo*] præceperunt, ne fœdera frangerent. Illæ igitur naues in Corcyrã peruenerunt. Corinthij verò, postquàm [*res omnes ad prælium necessariæ*] paratæ fuerunt, cum CL nauibus aduersus Corcyram cursum direxerunt, quarum erant, Eleorum, decem; Megarensium, duodecim; Leucadiorum, decem; Ambraciotarum, XXVII; Anactoriorum, vna; ipsorum verò Corinthiorum, XC. Harum verò sui præfecti cùm singularum ciuitatum erant, tum verò etiam Corinthiorum Xenoclides Euthyclis [*filius,*] cum quatuor collegis. Postquàm autẽ ad continentem Corcyræ oppositam in vnum conuenerunt, à Leucade vela facientes ad Chimerium agri Thesprotici appulerunt. Est autem portus, & supra eum extat vrbs [*nomine*] Ephyre, procul à mari sita, in ea agri Thesprotici parte, quæ Elæatis vocatur. Iuxta hanc palus Acherusia in mare sese exonerat. Acheron verò fluuius (à quo etiam cognomen est nacta) per agrum Thesproticum fluens in ipsam defertur. Fluit & Thyamis amnis, Thesprotidem, Cestrinenque disterminans, intra quos Chimerium promontorium eminet. Corinthij igitur ad istam continentis partem appulerunt, atque [*hic sua*] castra posuerunt. Corcyræi verò, postquàm intellexerunt illos contra se nauigare, centum & decem naues [*rebus omnibus ad pugnam necessariis*] expleuerunt, quibus præerant Miciades, Æsimides, & Eurybatus, & castrametati sunt in vna insularum, quæ Sybota vocantur, aderant autem [*ipsis*] & decem Atticæ naues. Ipsorum verò peditatus erat in Leucimna promontorio, & [*cum eo*] mille grauis armaturæ milites, quos Zacynthij auxilio ipsis miserant. In [*proxima*] verò continente Corinthiis quoque præstò erant multi de barbaris, qui opem

[*ipsis*]

[*ipsis*]tulerant. Nam qui continentis illam partem incolunt, illis semper sunt amici. Corinthij verò, postquàm [*res omnes ad pugnam necessariæ*] paratæ fuerunt, sumptis trium dierum cibariis, à Chimerio noctu soluerunt eo animo, vt prœlium nauale committerent, primoque diluculo nauigantes, Corcyræorum naues altum tenentes, & contra se venientes conspexerũt. Vbi verò in mutuum conspectum venerunt, aduersam aciem instruxerunt, atque in dextro Corcyræorum cornu Atticæ naues collocatæ fuerunt, alterum verò ipsi tenuerunt, factis tribus nauium agminibus, quorum singulis singuli prætores, qui tres erant, imperabant. Hunc igitur in modum Corcyræi aciem instruxerunt. At apud Corinthios dextrum cornu tenebant naues Megarenses, & Ambracienses. In medio verò [*agmine*]reliqui socij, vt cuique fortè obtigerat, positi fuerunt. Sinistrum verò ipsi Corinthij tenebant cum velocissimis quibusque nauibus, oppositi Athenienſibus, & dextro Corcyræorum [*cornu.*] Postquàm verò signa vtrinque sunt sublata, concurrentes prœlium nauale commiserunt, multos vtrique grauis armaturæ milites, multos sagittarios, & iaculatores in foris, [*ac tabulatis nauium*]habentes, vetusto adhuc more imperitiùs instructi. Hoc autem nauale prœlium erat illud quidem acre; sed non etiam pariter artificiosum: at pedestri pugnæ similius. Nam vbi [*nauibus concitatis*]inter se confligere cœpissent, non facilè [*alteri ab alteris*]diuelli poterant, præ multitudine, turbaque nauium. simul etiam [*illi,*] qui nauibus quietis pugnam statariam committebãt, quia militibus, qui in [*earum*] tabulatis erant, ad victoriam obtinendam maximè confidebant, [*manibus semel consertis, non facilè dirimi poterant.*] Nullæ autem nauium perruptiones e-

rant, [*nec per medias hostium acies perrumpere, erumpere, ac eos eludere dabatur:*] sed animis & robore, magis quàm scientia, pugnabant. Vbique igitur magnus tumultus, & prœlium valde turbulentum erat, in quo naues Atticæ, quæ Corcyræis, sicubi [*ab hoste*] premerentur, præstò erant, metum quidem hostibus incutiebant: sed prœlij initium non faciebant, quòd [*earum*] præfecti metuerent Athenienſium interdictum. Dextrum autem Corinthiorum cornu maximè laborabat. Corcyræi enim, cùm eos x x nauibus in fugam vertissent, & dispersos ad continentem vsque persequuti fuissent, & vsque ad eorum castra nauigassent, & in terram descendissent, tentoria deserta incenderunt, & pecunias diripuerunt. Hac igitur in parte Corinthij, eorumque socij vincebantur, & Corcyræi vincebant. At in sinistro, vbi ipsi Corinthij erant, longè superiores erant, quia ex minore numero x x naues Corcyræorum in hoste persequendo occupatæ aberant. Athenienses verò cũ Corcyræos premi viderent, iã minus dissimulãter, [*ac sine tergiuersatione ipsis*] opem tulerũt: primùm quidẽ ab omni impressione in aduersarios faciẽda sibi tẽperantes, sed postquàm [*Corcyræi*] in fugam apertam, [*minimeq; dubiam*] se dederunt, & Corinthij [*illis*] instare cœperunt, tunc verò vnus quisque manum ad opus admouit. nec vllum amplius erat discrimen: sed eò necessitatis sunt compulsi, vt Corinthij, & Athenienses inter se manus conferrent. Sed versis in fugam hostibus, Corinthij alueos nauium, quas demerserant, religatos nõ traxerunt: at transcurrentes, ad homines potiùs trucidandos, quàm vivos capiendos, se conuerterunt. Et suos amicos per ignorantiam interficiebant, quia illos, qui in dextro cornu erant, superatos fuisse nesciebant.

Nam,

Nam cùm multæ essent vtrorumque naues, & latè mare occuparent, postquàm manus inter se conseruerunt, non facilè dignoscere poterāt, quinam victores, aut qui victi essēt. Hoc enim nauale prœlium Græcorum cum Græcis commissum, nauium numero omnia superiora longè superauit. Corinthij verò, postquàm Corcyræos ad terram vsque sunt persequuti, ad nauium fragmenta, tabulasque colligendas, & ad cadauera suscipienda se conuerterunt. Et maximam eorum partem in suam potestatem redegerunt, ita vt ea ad Sybota comportarint, quò terrestres barbarorum copiæ ad opē [*ipsis*] ferendam venerant. Sybota autē est desertus Thesprotidis portus. Hac re gesta, rursus collecti Corcyræos infesta classe petierunt. Illi verò cum [*suis*] nauibus, quę ad nauigationem adhuc erant aptæ, & quotquot erant reliquę, vnâ cum Atticis, & ipsi infesta classe obuiam [*hosti*] prodierunt, veriti ne [*illi*] in suum agrum descendere conarentur. Iam autem erat diei serum, clamorq; militaris ad concursum, [*& conflictum*] sublatus fuerat, quum Corinthij repentè in puppim remigare cœperunt, xx naues Athenienſium contra se nauigantes conspicati, quas post illas decem priores miserant Athenienses, veriti (id, quod accidit) ne Corcyræi vincerentur, néve suæ decē illæ naues ob numeri paucitatem ab illis vim propulsare non possent. Corinthij igitur has maturè conspicati, & non quot cernebāt: sed plures Athenis venire suspicati, sensim retro abire cœperunt. At Corcyrei eas non videbant, (veniebant enim vnde manifestè [*ab ipsis*] conspici non poterant) & Corinthios in puppim remigare mirabantur, donec quidam, qui naues viderant, illas contra se nauigare dixerunt. Tunc verò & ipsi recesserunt. Iam enim noctis tenebræ e-

rant. Corinthij verò nauibus auersis abierunt diuersi. Ita autem alteri ab alteris dirempti sunt, & hæc naualis pugna ad noctem vsque producta hũc habuit exitum. Cùm autem Corcyræi castra apud Leucimnam haberent, illæ viginti naues Atticæ, quibus Glaucon Leagri, & Andorides Leogori [*filius*,] pręerant, per media cadauera, & naufragia delatę, in castra venerunt, nõ multò pòst quàm conspectæ fuerunt. Corcyręi verò (erat enim nox) timuerunt ne hostiles essent: sed postea [*illas*] agnouerunt, & in suas stationes receperunt. Postridie verò & triginta naues Atticæ, & Corcyræorum, quotquot ad nauigationem erant aptæ, nauigarũt in portum, qui est in Sybotis, vbi Corinthij stationem habebant, eo animo, vt cognoscerent an prælio nauali certare vellent. Illi verò nauibus à terra prouectis, & acie in alto instructa, quiescebant, quia spõte sua prælij initium facere in animo non habebant, quòd integras, [*ac recentes*] Atheniensium naues [*ad superiorem hostium classem*] accessisse, sibique multas difficultates accidisse viderẽt, cùm propter captiuos, quos in nauibus habebant, de quorum custodia erant soliciti, tum etiam quòd in loco deserto naues reficere nõ possent. Sed de reditu magis erant soliciti, considerantes qua ratione domum se recipere possent, veriti ne Athenienses fœdera rupta esse existimantes, quia ad manus venerant, se illinc nauigare non sinerent. Placuit igitur ipsos viros in scapham impositos, sine caduceo ad Athenienses præmittere, & eorum mentem explorare. Per illos autem, quos miserunt, hęc verbà fecerunt: Iniustè facitis, Athenienses, quia bello nos lacessitis, & fœdera frangitis. Nobis enim hostes nostros vlciscentibus impedimento estis, quia arma contra [*nos*] sumpta fertis. Quòd si vobis

bis est animus nos impedire, ne contra Corcyram, aut aliò, si quò libeat, nauigemus, & fœdera rumpitis, nos, qui hîc adsumus, primos comprehendite, & vt hostes tractate. Illi igitur hæc dixerunt. Corcyræi verò, quicunque ex classe [*Corinthios*] audierant, sublato clamore statim dixerunt illos & comprehendendos, & interficiendos esse. Sed Athenienses hoc responsum [*illis*] dederunt. Nec bello vos lacessimus, viri Peloponnesij, nec fœdera frangimus. Sed istis Corcyræis sociis [*nostris*] auxilio venimus. Si quam igitur aliam in partem velitis nauigare, non impedimus. Sed si contra Corcyram, aliquémve Corcyræorum locum nauigetis, pro viribus [*hoc*] non negligemus. Cùm autem Athenienses hoc responsum [*illis*] dedissent, Corinthij quidem se ad nauigationem pararũt, vt domum redirent, & in Sybotis, quæ sunt in eõtinente, trophœum statuerunt. At Corcyrei nauium fragmenta, tabulasq; & cadauera ad se delata susceperunt, eiecta & fluctibus, & vento, qui noctu ortus ea in varias partes disiecerat. Et in Sybotis, quæ sunt in insula, vicissim & ipsi trophœum tanquam victores statuerunt. Hoc autem consilio victoriam vtrique sibi vendicarunt. Corinthij quidem, quòd nauali prœlio ad noctem vsq; vicissent, ita vt plurima nauium fragmenta, & militum cadauera recepissent, & captiuos non pauciores mille haberent, & septuaginta circiter naues demersissent, trophæum statuerunt. Corcyræi verò, quòd [*illorum*] x x x fermè naues profligassent, &, post Athenienſium aduentum, nauium fragmenta ad se [*fluctibus, ventoq;*] delata, militumq; cadauera sustulissent, quodque pridie Corinthij in puppim remigantes ipsis se paulatim recipientes cessissent, naues Atticas conspicati, & cùm [*aduersus eos*] iuis-

sent, ex Sybotis [*sibi*] non occurrissent, hisce de causis trophœum statuerunt. Hoc igitur modo vtrique se victores existimabant. Corinthij verò illinc domum nauigantes, Anactorium, quod in ore sinus Ambracij situm est, per fraudem cœperunt. (erat enim ipsis commune cum Corcyræis) & Corinthiis colonis in eo collocatis, domum redierunt. Et Corcyræorum octingentos, qui serui erant, vendiderunt, ducentos & quinquaginta vinctos asseruarunt, eosq; diligenter, ac officiosè curarunt, vt [*in patriam*] reuersi Corcyram ipsorum ditioni adiungerent. Eorum autem plerique potentia principes erant ciuitatis. Sic igitur Corcyra in bello contra Corinthios gesto superstes remansit, [*& ex imminentibus periculis euasit,*] Atticæq; naues domum inde reuerterunt. Hæc autem fuit prima causa belli, à Corinthiis cõtra Athenienses suscepti, quòd illi cum Corcyræis contra se fœderatos nauali prœlio certassent. Post hæc autem statim accidit, vt hæ quoque simultates inter Athenienses, & Peloponnesios orirentur, [*quæ*] ad bellum gerendum [*illos compulerunt.*] Cùm enim Corinthij hoc studerent, vt ipsos [*Athenienses*] vlciscerentur; Athenienses, quòd eorum inimicitias haberent suspectas, Potidæatas, qui in Pallenes Isthmo habitant, Corinthiorum colonos, suosq; socios, & vectigales, muros Pallenen versus [*ædificatos*] demoliri, & obsides dare iusserunt: & Epidemiourgos, [*magistratus sic appellatos,*] expellere, nec in posterum recipere, quos Corinthij quotannis mittebant: veriti ne à Perdicca, & Corinthiis solicitati, [*à se*] deficerent, cæterosque socios, qui in Thracia erant, ad defectionem secum traherent. Hæc autem Athenienses contra Potidæatas statim post nauale prœlium ad Corcyram cõmissum moliti

liri cœperunt. Nam & Corinthij apertè [*Athenienſibus*] erant infenſi, & Perdiccas Alexandri [*filius,*] Macedonum Rex, [*eorum*] hoſtis erat, cùm antè ſocius, & amicus eſſet. [*Ideo*] autem factus eſt [*eorum*] hoſtis, quòd cum Philippo fratre ſuo, & Derda, communiter, [*opibus, armisq; coniunctis*] bellum contra ſe gerentibus, Athenienſes ſocietatem feciſſent. cumque ſibi [*ideo*] metueret, miſſis Lacedæmonem [*viris,*] operam dedit, vt bellum inter ipſos [*Athenienſes*] & Peloponneſios oriretur, & Corinthios ſibi conciliauit, vt Potidæa defectionem [*ab Athenienſibus*] faceret. Quinetiam cũ Chalcidenſibus, & Bottiæis, qui ſunt in Thracia, egit, vt vnâ [*cum Potidæatis*] defectionem facerent: exiſtimans, ſi ciuitates iſtas agro ſuo finitimas haberet ſocias, ſe bellum cùm illis faciliùs [*aduerſus Athenienſes*] geſturum. Quæ cùm cognouiſſent Athenienſes, & harum ciuitatum defectionem præoccupare vellent, (triginta enim naues, & mille grauis armaturæ milites in eius agrum [*iam*] miſerant, ductu Archeſtrati Lycomedis [*filij,*] cùm decem aliis collegis [*eò*] profecti,) mandarũt nauium præfectis, vt & obſides à Potidæatis acciperent, & [*vrbis*] muros demolirentur, & accuratè cauerent, ne proximæ ciuitates defectionem facerent. At Potidęatæ miſſis ad Athenienſes legatis, ſi fortè ipſis perſuadere poſſent, ne quid noui de ſe ſtatuerent, Lacedæmonem etiam cùm Corinthiis profecti egerunt, vt, ſi foret opus, auxilium [*Lacedæmonij*] pararent. Vbi verò operâ diu conſumptâ nihil pacati ab Athenienſibus impetrare potuerunt, ſed naues [*eorum*] in Macedoniam, & in ſe pariter veniebant; & ſummi Lacedæmoniorum Magiſtratus ipſis promiſerunt, ſe, ſi Athenienſes contra Potidæam irent, in Atticam irrupturos: tunc demum

cum Chalcidenſibus, & Bottiæis cõmuniter coniurati [*ab Athenienſibus*] defecerunt. Perdiccas quoque Chalcidenſibus perſuaſit, vt relictis, & exciſis vrbibus maritimis commigrarent Olynthum, & hanc vnam vrbem [*à mari remotiorem*] communirent. Illis autem, qui [*priſtinas ſuæ patriæ ſedes*] relinquebant, cùm ſui, tum etiam Mygdonij agri partem, quę eſt circa paludem Bolben, dedit incolendam, quandiu bellum contra Athenienſes [*ſuſceptum*] duraret. Atque illi quidem vrbes demoliti in loca mediterranea commigrarunt, & ad bellum ſe parare cœperunt. At triginta Athenienſium naues in Thraciam peruenerunt, & Potidæam, aliasque ciuitates [*iam*] defeciſſe repererũt. Duces verò exiſtimantes ſe cum præſentibus copiis non poſſe [*ſimul*] gerere bellum & aduerſus Perdiccam, & ciuitates, quæ defecerant, in Macedoniam, quò etiam antè miſſi fuerant, ſe conuerterunt. Quò poſtquam peruenerunt, cum Philippo, & Derdę fratribus, qui ex locis mediterraneis [*in Macedoniam*] cum exercitu irruperant, arma iunxerunt, vt bellum [*Perdiccæ*] facerent. Interea verò Corinthij, cùm Potidæa deſciuiſſet, & Atticę naues circa Macedoniam eſſent, illi oppido timentes, & domeſticum exiſtimantes periculum, miſerunt cùm de ſuis voluntarios, tum etiam de cæteris Peloponneſiis mercede conductos, mille & ſexcentos, omnes grauis armaturę milites, & quadringentos leuiter armatos. Illis autem præerat Ariſteus Adimanti [*filius,*] & propter eius amicitiam potiſſimùm, plurimi voluntarij milites Corintho eum ſequuti ſunt. Semper enim Potidæatarum ſtudioſus fuerat. Et quadrageſimo die poſt Potidæę defectionem in Thraciam peruenerunt. Nuntius autem de iſtarum ciuitatum defectione Athenienſi-

bus

bus ſtatim eſt allatus. Qui, cùm intellexiſſent illos etiam, qui cum Ariſteo erant, [eò] prętereà aduenisse, ex ſuis bis mille grauis armaturæ milites, & quadraginta naues, Calliamque Calliadis [*filium*] cum quatuor collegis prefectum, in loca, quæ defecerant, miſerunt. Qui ſimul ac in Macedoniam peruenerunt, illos mille priores iam Therma potitos, & Pydnam obſidentes offenderunt. Pydnam autem & ipſi caſtris, copiisque iunctis oppugnarũt: ſed poſtea facta pace, & ſocietate neceſſaria inita cum Perdicca, quòd Potidæa, & Ariſtei aduentus eos vrgeret, ex Macedonia receſſerunt. Et Berrhœam profecti, & inde reuerſi, eoq; oppido priùs tentato, nec expugnato, itinere pedeſtri Potidęam verſus iuerunt, cum tribus millibus militum grauis armaturę ex ſuis, præterea verò cum multis ſociis, & ſexcentis Macedonum equitibus, qui cum Philippo, Pauſaniaque erant. ſimul etiam ſeptuaginta naues oram maritimam legebant. Et ſenſim, [*ac modicis itineribus*] progreſſi, tertio die Gigonum peruenerunt, ibique caſtra poſuerunt. At Potidęatæ, & Peloponneſij, qui cum Ariſteo erant, Athenienſium aduentum expectantes, in Iſthmo, propè Olynthum caſtra poſuerant, & mercatum extra vrbem agebant. Socij autem totius quidem peditatus ducem elegerunt Ariſteum; equitatus verò, Perdiccam. Protinùs enim ab Athenienſibus iterum defecerat, & Iolao duce in ſuum locum ſubſtituto Potidæatas in bello iuuabat. Hoc autem erat Ariſtei conſilium, cum exercitu quidem, quem in Iſthmo ſecum habebat, Athenienſes diligenter obſeruare, ſi contra [ſe] venirent, Chalcidenſes verò, & ſocios, qui extra Iſthmum erant, & ducentos equites, quibus pręerat Perdiccas, Olynthi manere, & cùm Athenienſes contra ſe venirent, à tergo

impressionem in hostes facere, eosque circumuenire. Contrà verò Callias Athenienſium dux, eiusq; collegæ, Macedonum equites, paucosque ſocios Olynthum verſus miſerunt, vt illos, [*qui Olynthi erant,*] illinc auxilium [*ſuis*] contra [*ſe*] ferre prohiberent. Ipſi verò motis [*inde*] caſtris Potidæam verſus cõtenderunt, & cùm ad Iſthmum veniſſent, & aduerſarios ſe ad prœlium parantes vidiſſent, ipſi quoque aciem [*illis*] oppoſitam inſtruxerunt, nec multò pòſt conflixerunt. Ac ipſum quidem Ariſtei cornu, & quotquot de Corinthiis, aliisque militib. delecti circũ ipſum [*Ariſteum*] erãt,] *hoſtium cornu*] ſibi oppoſitũ in fugam verterunt, eosq; perſequentes longè proceſſerunt. Reliquus verò Potidæatarum, & Peloponneſiorum exercitus ab Athenienſibus ſuperatus eſt, & in vrbem confugit. Cùm autem Ariſteus ab hoſte perſequendo rediret, poſtquàm reliquum exercitum vidit victum, dubitauit vtram partem petens, Olynthúmne, an Potidęam, belli fortunam periclitaretur. Tandem tamen ei placuit, cum ſuis militibus in minimum loci ſpacium contractis, [*& eorum acie confertiſſima*] Potidæam curſu petere, & in eam perrumpere. Et [*in vrbem*] ingreſſus eſt ab ea parte, quæ mari alluitur, prope crepidinem, [*vbi ſaxorum ingentium moles ad fluctus arcendos iacta erat,*] telis petitus, & ægrè [*eò penetrans,*] paucis quidem amiſſis, pleriſque verò ſaluis. Qui verò Olyntho, auxilium Potidæatis laturi prodierant (abeſt autem [*Olynthus à Potidæa,*] ſexaginta fermè ſtadiis, & [*locus, in quo ſita eſt, editus, atque*] conſpicuus eſt,) poſtquàm pugna commiſſa eſt, & ſigna ſublata paululum illi quidem progreſſi ſunt, vt auxilium [*Potidæatis*] ferrent: ſed Macedonũm equites aciem inſtructam [*ipſis*] oppoſuerunt, vt [*eos*] impedirẽt. Poſtquàm autem victoria penes

Athe-

Athenienſes repentè fuit, & vexilla reuulſa ſunt, in vrbem iterum ſe receperunt, & Macedones ad Athenienſes. Neutris autem equites adfuerunt. Poſt pugnam autem Athenienſes trophœum ſtatuerunt, & cæſorum militum cadauera pace ſequeſtra Potidæatis reddiderunt. Ceciderunt autem ex Potidæatis quidem, & ſociis, paulò pauciores trecentis, ex ipſis verò Athenienſibus, centum & quinquaginta, & Callias [*eorum*] dux. Mox autem Athenienſes murum, qui Iſthmum ſpectabat, circumuallarunt, & [*præſidio ibi collocato*] cuſtodire cœperunt. At [*murus*,] qui Pallenen verſus ſpectabat, nullo vallo cinctus erat. Nec enim exiſtimabant ſe [*vno, eodemq; tempore*] & in Iſthmo excubias agere, *eumq; tutari*,] & in [*vrbem*] Pallenen tranſire, eamque munire poſſe: veriti ne Potidæatæ, eorumque ſocij ſe in duas partes diductos inuaderent. Cùm autem Athenienſes, qui Athenis erant, Pallenen nullis muris cinctam eſſe intellexiſſent, aliquanto pòſt mille, & ſexcentos grauis armaturæ milites de ſuis, & Phormionem Aſopij [*filium*,] ducem [*eo*] miſerunt: qui cùm Pallenen petiiſſet, ac Aphytide caſtra mouiſſet, copias Potidæę admouit, paulatim procedens, & ſimul agrum vaſtans. Sed cùm nullus ad prœlium contra [*ipſum*] prodiret, murum, qui Pallenen verſus ſpectabat, vallo cinxit. Atque ita Potidæa iam vtrinque vehementer oppugnabatur, ſimul etiam à mari [*grauiter premebatur*,] nauibus ſtationem aduerſus [*ipſam*] habentibus. Ariſteus verò, cùm vrbs iam eſſet circumuallata, nec vllam ſalutis ſpem haberet, niſi ſi quid ex Peloponneſo, aut [*aliquid*] aliud inſperatum accideret, autor erat, vt, quingentis exceptis, cęteri obſeruato vento [*ſecundo*] nauibus abirent, vt res frumentaria diutius ſuppeteret. [*& qui in vrbe remanſiſſent, obſidionem facilius perferrent, famemq; tolerarent.*] atq;

ipse vnus esse volebat de numero eorum, qui remanerent. Sed cùm [*rem illis*] persuadere non posset, ac ea, quæ his proxima erant, parare vellet, & [*operam daret*] vt quę foris erant, optimè sese haberent, clàm Athenienſium præsidio [*inde*] enauigauit. Et apud Chalcidenses permanens, cùm alias res bellicas administrauit, tum etiam insidiis ad Sermyliorũ vrbem locatis, multos occidit. Quin etiam [*per legatos*] in Peloponnesum [*missos*] egit, vt aliquod auxilium [*Potidæatis*] mitteretur. Post Potidæam circumuallatam, Phormio cum illis mille, & sexcentis militibus, quos habebat, Chalcidenſem, & Botticum agrum vastauit, nonnulla etiam oppidula cepit. Atque hę fuerunt Athenienſibus, & Peloponnesiis criminationes, quibus alteri in alteros antè, [*quàm bellum apertè susciperent,*] sunt vsi. Corinthiis quidem, quòd Potidæam, suam coloniam, & viros Corinthios, ac Peloponnesios, qui in ea erant, [*Athenienses*] obsiderent. Athenienſibus verò contra Peloponnesios [*hæ criminationes fuerunt,*] quòd [*illi*] ciuitatem sociam, & vectigalem, ad defectionem faciendam impulissent, & [*eò*] profecti, pro Potidæatis apertè secum pugnassent, nondum tamen bellum publicè conflatum erat: sed ab armis adhuc abstinebatur. Corinthij enim hæc priuatim egerant. Sed cùm Potidæa obsideretur, non [*amplius*] quieuerunt, cùm de suis viris, qui [*in ea*] erant, tum etiam de oppido, cui timebant, soliciti: & protinus socios orare cœperunt, vt Lacedæmona venirent: & [*ipsi eò*] profecti magnis clamoribus in Athenienses inuehebantur, quòd & fœdera fregissent, & Peloponnesum iniuria afficerent. At Æginetæ, nõ palàm illi quidem legatione missa, quia Athenienses metuebant: sed clam, cum ipsis, bellum maximè

sua-

suadebant, dicentes se ex fœdere non esse sui iuris. Lacedæmonij verò, sociis præterea aduocatis, & si quis alia quapiam in re se ab Athenienſibus iniuriam accepisse diceret, legitimo suæ gentis concilio conuocato, [*eum, qui vellet,*] dicere iusserunt. Tunc verò cùm alij in mediam concionem progressi, prout singuli [*se læsos iudicabant, de Athenienſibus*] conquerebantur, tum etiam Megarenses, demonstrantes cùm alia non pauca, quæ suę Reipub. vehementer interesse dicebant, tum verò præcipuè, quòd ab agri Attici portubus, Atticoque foro, præter fœdus arcerentur. Corinthij verò, cùm Lacedęmonios ab aliis priùs [*ad bellum*] instigari permisissent, in medium nouissimi prodierunt, & [*aliorum verbis*] hæc addiderunt:

CORINTHIORVM CONCIO.

Fides, quam vos, Lacedæmonij, publicè, priuatimque inter vos ipsos seruatis, facit, vt si quid in alios dicamus, minus credatis. Atque ex hac [*fide,*] æquitatis quidem laudem reportatis: sed maiore rerum externarum inscitia laboratis. Nobis enim sæpe prædicentibus detrimenta, quibus Athenienses nos erant affecturi, vos tamen nunquam audire voluistis quæ toties demonstrauimus: sed potius suspicati estis hæc à nobis dici propter priuatas simultates, quę nobis cum illis intercedebant. Ideoque non antequàm iniuriam acciperemus: sed postquàm eam accepimus, socios istos aduocastis, apud quos æquum est nos eo prolixiore oratione vti, quo etiam grauiora crimina habemus, quæ obiiciamus, ab Athenienſibus quidem cum contumelia læsi, à vobis verò neglecti. Quòd si Athenienses in aliquo obscuro loco delitescentes iniuriam Græciæ facerent, nobis demonstratione opus esset, qua vos rerum ignaros doceremus. Iam

verò quid longa oratione opus est [*nobis,*] quorum alios quidem in seruitutem [*ab ipsis iam*] redactos; aliis verò, & præcipuè nostris sociis insidias ab ipsis strui, ipsosque [*ad bellum,*] si fortè vnquã bello appetantur, iam pridem præparatos videtis? nec enim Corcyram clàm, [*& per dolum*] captam nobis inuitis retinerent, & Potidæam obsiderent. quarum vrbium altera quidem est opportunissima ad res Thracię obtinendas, ita vt illis liberiùs vti possimus, altera verò maximam classem Peloponnesiis [*in bello*] suppeditasset. Atque vos ipsi rerum istarum estis autores, qui & tunc primùm eos post bellum Medicum vrbem [*suam*] munire, & postea longos muros ædificare passi estis, quique [*ab eo tempore*] ad hoc vsque perpetuò libertate priuastis non solùm eos, quos illi in seruitutem redegerunt: sed etiam nunc vestros socios. Nam non is, qui [*alios*] in seruitutem redigit: sed is potius, qui potest quidem [*hoc*] impedire; sed [*tamen*] negligit, verè hoc facere est censendus. Præsertim si Græcorum liberatorẽ se esse profiteatur, & præclarum istius laudis titulum præ se ferat. Vix tandem verò nunc congregati sumus, & ne nunc quidem ob certa, [*ac manifesta crimina.*] Nec enim amplius esset consultandum, an iniuria fuerimus affecti: sed qua ratione [*iniuriam acceptam*] vlcisci queamus. Qui enim [*hæc*] faciunt, re iam deliberata, minimeque cunctantes inuadunt homines, qui nihil certi adhuc statuerunt: [*sed hærent inopes consilij.*] Scimus autem qua via, & quo modo paulatim Athenienses in alios grassentur. Et quandiu quidem sua facinora, propter vestrum stuporem, occulta fore putabunt, minus audaces erunt: sed vbi cognouerint vos hæc quidem scire; sed negligere, tunc rem vehementer vrgebunt.

Vos

Vos enim soli Græcorum, Lacedæmonij, desides, [*ac otiosi*] estis, alios non [*armorum*] vi: sed cunctatione vlciscentes. Et soli, hostium vires non crescentes, [*ac infirmas:*] sed [*iam*] duplicatas, [*& firmas*] euersum itis. Atqui cauti, [*& circunspecti*] esse ferebamini: de quibus profectò rumor diuulgatus rem ipsam superabat. Nam & nos ipsi scimus Medum ab extremis orbis terrarum partibus [*olim*] in Peloponnesum prius veniſſe, quàm vos pro [*vestræ Reipubl.*] dignitate cum vestris copiis obuiam [*illi*] prodiretis. Nunc etiam Athenienses [*à vobis*] non remotos, (vt ille [*tunc*] erat:) sed viciños negligitis, & pro bello, quod vos illis inferre debebatis, illos arma vobis inferétes propulsare, & certantes cum hominibus, qui [*nunc longè*] sunt potentiores, [*quàm antè fuerint,*] incertos fortunæ casus subire mauultis: quamuis sciatis vel ipsum barbarum sua ipsius culpa, [*& propter suam temeritatem,*] plerunq; offendisse, [*& clades accepisse:*] quin etiam nos ipsos in bello cum ipsis Atheniensibus gesto, ipsorum erratis potius, quàm vestris auxiliis [*adiutos,*] iam sæpe victoriam ab illis reportasse. Siquidem vestræ spes, [*& auxilia, quæ à vobis expectabantur,*] iam nonnullos adhuc imparatos euerterunt, quòd essent freti [*vestris auxiliis, quæ ventura credebant.*] Neq; verò aliquis vestrum hæc [*à nobis*] magis ob odium, quàm expostulationem dici putet. Nam expostulatio quidem, est [*amicorum conquerentium*] de amicis, qui peccarunt, [*officioq; suo defuerunt.*] Sed accusatio, est contra inimicos, qui iniuriam fecerunt. Præterea si quos alios, ipsi nos dignos esse cẽsemus, qui proximis vitium exprobremus [*eosq; propter id obiurgemus:*] præsertim cùm de magni momenti rebus agatur, quarũ nullum vos sensum nobis habere videmini, nec vn-

quam consideraſſe quales ſint Athenienſes, cum quibus certamen vobis eſt futurum, & quomodo vel omnibus in rebus ſint vobis longè prę̃ſtantiores. Nam illi quidem ſunt rerum nouarũ ſtudioſi, & celeres ad excogitandum, & ad re ipſa exequendum id, quod excogitarint. Vos verò ad res iam partas conſeruandum, & ad nihil noui excogitandum, & ne ad res quidem neceſſarias peragendum [*apti eſtis.*] Præterea, illi quidẽ vel ſupra vires ſunt audaces, & grauiſſima quæque pericula ſubeunt prę̃ter hominum opinionem, & in aſperrimis quibuſque rebus bonam ſpem habent. Veſtra verò ratio, [*ac vitæ genus, hoc eſt,*] res veſtris viribus inferiores gerere, & ne certis quidem, ac exploratis animi conſiliis, [*metu, periculoq; carentibus,*] confidere, & exiſtimare vos periculis nunquam liberatum iri. Quinetiam illi, ſi vobiſcum conferantur, ſunt impigri, vos verò cũctatores. Itẽ illi ſunt peregrinationis cupidi, vos verò veſtris finib⁹ hę̃retis, & otioſi, ac deſides plerunque domi manetis. Exiſtimant enim illi quidem hac abſentia, [*quum peregrè proficiſcuntur,*] ſe aliquid ſibi quæſituros, vos verò, ſi bellum [*aliis inferatis,*] vel rerum præſentium, quas poſſidetis, iacturam vos facturos [*putatis.*] Illi etiam, hoſtibus ſuperatis, longiſſimè progrediuntur, & victi, quamminimum animo conſternantur. Præterea verò, [*ſuis*] corporibus [*vt*] alieniſſimis pro Repub. [*defendenda*] vtuntur, conſiliis verò maximè propriis, vt aliquid pro ea faciant, & niſi cogitata confecerint, ſe rebus ſuis priuari putant: quæ verò armis quæſierint, perexigua iudicant, ſi cum illis conferas, quę ſperant ſe poſtea ſuis actionibus quæſituros. Quòd ſi fortè rei alicuius tentatæ conatus eos fallat, nouam aliarum rerum ſpem ſibi proponentes, id, quod opus eſt,

ex-

explét. Soli enim [*omnium Græcorum*] pariter & habent, & sperant ea, quæ animo conceperint, propter celeritatem, qua vtuntur in aggrediendis, [*ac peragendis*] rebus, quas [*cogitarint, & peragere*] statuerint. Atque hæc omnia cum laboribus, & periculis perpetuò moliuntur, rebusque partis minimùm fruuntur, quia [*res alias sibi*] quærere semper student, & diem festũ nihil aliud esse putant, quàm conficere quæ conducunt, & otium iners plus mali afferre [*existimãt,*] quàm laborioſum negotium. Quare si quis paucis rem totam complexus, eos dixerit ita natos esse, vt neque ipsi velint, neq; alios mortales quiescere sinant, is verum dixerit. Et tamen, Lacedæmonij, cùm talis Respub. sit vobis aduersaria, vos cunctamini: & existimatis illis hominibus diuturnam suppetere quietem, qui suo quidem apparatu, [*ac opibus*] iniuriam nulli faciũt: sed [*tamen*] præ se ferunt, se eo esse animo, vt, si lacessantur iniuria, eam non sint neglecturi: verùm in eo ius, & æquitatem ponitis, si neque alios molestiis, [*& iniuriis*] afficiatis, neq; vos ipsi dum vim, [*& iniurias illatas*] propulsatis, vllum detrimentum capiatis. At hoc vix consequi possetis, quamuis ciuitatem vestræ proximam, & iisdem moribus, ac institutis vtentem haberetis. Iam verò (quod & paulò antè declarauimus) vestri mores, ac instituta nimis sunt antiqua aduersus ipsos [*Athenienses.*] Sed necesse est, quemadmodum artibus accidere solet, nouissima quæque [*inuenta*] semper euincere, [*& potiora esse.*] Et ciuitati quidem pacatę, maximè conducunt instituta, quæ manent immota: sed illis, qui ad multa [*pericula*] coguntur ire, nouis etiam, & commentitiis artibus est opus. Ideo etiam res Athenienſium propter multam experientiam, [*& longum vsum*] magis nouatæ sunt,

quàm vestræ, [*& multò meliores factæ.*] Hactenus igitur hæc vestra tarditas progressa terminetur, [*& vlterius progredi desinat.*] Iam verò cùm aliis, tum etiam Potidęatis (quemadmodum promisistis) opem feratis, in Atticam celeritate, quanta maxima potestis, irrumpentes: ne viros vobis amicos, atque cognatos infensissimis [*hostibus*] prodatis, néve nos cæteros præ desperatione, ad aliquam aliam societatem [*quærendam*] compellatis. Nullum autem flagitium admittemus, non per Deos iurisiurandi præsides, non per homines, qui aliquo sensu sunt præditi. Non enim qui [*à sociis*] destituti ad alios se cõuertunt, hi fœdera frangunt: sed illi, qui opem non ferunt [*sociis,*] quibuscum iurarunt. Sed si vos [*ad opem nobis ferẽdam*] animis promptis esse voluerit is, [*in vestra societate, ac fœdere*] permanebimus. Nec enim piè facerem⁹, si permutata societate vos desereremus, nec alios maiore, quàm vos estis, amicitia, & familiaritate nobiscum coniunctos inueniremus. Quare de his diligentiùs consultate, dateque operam, vt Peloponneso ita præsitis, vt potius augeatis, quàm imminuatis ipsius imperium, quod vestri maiores vobis tradiderunt. Atque Corinthij quidem hæc dixerunt. Athenienſium verò [*legati tunc ibi aderant,*] (casu enim quodam legatio [*Athenienſium*] aliis de causis Lacedęmone iam antè aderat) & cùm hæc verba audissent, ad Lacedæmoniorum magistratus sibi eundum esse censuerunt, non vt ad crimina responderent, quæ ciuitates [*Athenienſibus*] obiecerant: sed vt in vniuersum ostenderent non celeriter [*quicquam ipsis*] decernendum: sed plus tẽporis [*in rerum tantarum*] consultatione ponendum. Simul etiam volebant significare quanta esset suę ciuitatis potentia, & ætate prouectioribus

in

in memoriam reuocare ea, quę nouerant, & iunioribus narrare ea, quorum nullam habebant notitiam. Eos enim ſua oratione audita, ad pacem, quàm ad bellum, propenſiores fore putabant. Cùm igitur ad Lacedæmoniorum magiſtratus acceſſiſſent, ad eorum concionem ſe quoque verba facere velle dixerunt, niſi quid prohiberet. Illi verò eos in medium prodire iuſſerunt. Tunc Athenienſes in medium progreſſi hæc dixerunt:

ATHENIENSIVM CONCIO:

Non propterea ad vos legati fuimus, [*Lacedæmonij,*] vt ad crimina nobis à noſtris ſociis obiecta reſponderemus, & cum ipſis apud vos diſceptaremus: ſed [*aliis de rebus venimus,*] quarum causâ ciuitas [*nos huc*] miſit. Iam verò cùm intellexerimus [*veſtros ſocios*] in nos grauiſſimè inuectos eſſe, in medium prodiimus, non vt ad ciuitatum crimina [*nobis*] obiecta reſpondeamus (neq; enim à nobis apud vos, vt aut noſtri, aut iſtorũ iudices, verba fient) ſed [*vt vos moneamus*] ne celeriter magnis de rebus, veſtrorum ſociorum verbis adducti, malè conſultetis. ſimul etiam quia de tota accuſatione contra nos inſtituta vos certiores facere volumus, [*vt demonſtremus*] nos neque præter [*decorum, &*] ius obtinere, quæ poſſidemus, noſtramque ciuitatem non eſſe contemnendam. Ac peruetuſta quidem quid opus eſt recenſere, quorum ipſi rumores de illis ſparſi potius ſunt teſtes, quàm oculi eorum, qui hęc ſunt audituri? Sed res bello Medico [*à nobis*] geſtas, & quæcunque nouiſtis æquè, atque nos ipſi, quamuis valde moleſta [*ac odioſa*] ſint [*vobis*] futura, quòd hæc ſemper proferamus, [*ac prædicemus, tamen*] commemorare eſt neceſſe. Nam quum [*res illas*] gerebamus, propter [*communem omnium Græcorum*] vtilitatem pericula ſubibamus,

cuius [*vtilitatis, nostriq; præclari*] facinoris [*vos*] quidem participes fuistis, [*nos*] verò non omni [*rerum istarum*] commemoratione, si quid [*nobis*] prosit, priuamur. Hæc autem [*à nobis*] dicentur non tam vt nos excusemus [*& veniam à vobis petamus,*] quàm vt testemur, & declaremus aduersus qualem ciuitatem vobis cõsilium minimè bonum ineuntibus certamen sit futurum. Prędicamus enim [*nos sine vestris auxiliis,*] solos olim in campis Marathoniis magno cum periculo aduersus barbarum pugnasse: &, quum iterum venit, quia terrâ ipsum propulsare non poteramus, [*nos*] vniuersos naues conscendisse, & ad Salaminem prœlium nauale cum eo commisisse. quę res illum impediuit, ne infesta classe singulas vrbes petens [*totam*] Peloponnesum vastaret, quòd [*vestræ ciuitates*] aduersus ingẽtem classem mutuis auxiliis se iuuare non possent. Ipse verò maximum [*huius rei*] documentum dedit. Nam classe victus, quia potentiam [*superiori*] parem non amplius habebat, cum maiore copiarum parte, celeritate, quanta maxima potuit, [*inde*] se recepit. Cùm autem res, quæ [*tunc*] acciderunt, tales fuerint, cumque manifestè pateat Gręcorum fortunas, [*omnesq; salutis spes*] in nauium præsidio sitas fuisse, [*nos*] ad has res [*peragendas*] tria vtilissima contulimus, & maximum nauium numerum, & prudentissimum ducem, & impigerrimam animi promptitudinem. naues quidem ad quadringẽtas, paulo pauciores duabus [*totius*] classis partibus. Themistoclem verò ducem, qui præcipuus autor fuit, vt nauale prœlium in maris angustiis committeretur. quod profectò res [*Græcorum*] seruauit. eique propterea, licet vir esset peregrinus, vos honorem habuistis longè maiorem, quàm vllis aliis, qui ad vos [*antè*] venerint. Animi

verò

verò præsentiam, & studium vel longè ardentissimum demõstrauimus, qui, cùm terrâ nullus opem nobis ferret, & cæteri ad nos vsque [*barbaris*] iam seruirent, decreuimus vrbe relicta, & re familiari euersa, ne sic quidem reliquorum sociorum communionem, [*atq; Rempub.*] deserere, neq; dispersi, inutiles ipsis esse: sed naues conscendere, & periculum adire, nec [*vobis*] succensere, quòd nobis auxilium antè nõ tulissetis. Quamobrem nos non minorem vtilitatem vobis attulisse, quàm nobis à vobis allatam fuisse prædicamus. Vos enim ex vrbibus, quæ habitabantur, [*& integræ erant, profecti,*] vtque [*eas*] in posterum habitaretis, postquàm vobis magis quàm nobis timere cœpistis, auxilium tulistis. quo enim tempore adhuc eramus salui, [*vos nobis*] præstò non fuistis. Nos verò ex vrbe, quę iam nulla erat, profecti, & pro ea, de cuius salute perexiguam spem habebamus, periculis nos obiicientes, & vos pro virili, & nos ipsos vnâ seruauimus. Sed si Medis antè nos adiunxissemus, agro nostro, vt & cæteri, timentes, aut si postea, quasi [*profligati, ac*] deplorati, naues [*vrbe relicta*] conscendere ausi non fuissemus, [*profectò*] vos, qui classem satis firmam non habebatis, [*quam hostibus opponeretis,*] nauali prœlio certare non amplius oportuisset: sed sine certamine res ipsi [*barbaro*] ex animi sententia successissent. An igitur, Lacedæmonij, propter talem animi alacritatem, & prudẽtiam, quam [*pro communi totius Græciæ salute conseruanda*] tunc demonstrauimus, & [*propter*] imperium, quod obtinemus, digni videmur, quibus Græci adeò inuideant? Nam hoc ipsum [*imperium*] accepimus non per vim, sed [*vestro concessu,*] tum quia vos ad persequendas reliquias belli cõtra barbarum gerendi remanere noluistis, tum etiam quia

ſocij ad nos acceſſerunt, & nos orarunt, vt ſuarum copiarum duces eſſe vellemus. Itaque vi, & natura ipſius rei, ipſum [*imperium*] in hunc ſtatum [*in quo, nunc eſt,*] primùm perducere coacti ſumus, præcipuè quidem prę metu; deinde verò, honoris etiam cauſa; poſtremò etiam, vtilitatis gratia: nec amplius tutum nobis eſſe videbatur, cùm multis inuiſi eſſemus, quinetiam cùm nonnullos, qui [*à nobis*] defecerant, iam ſubegiſſemus, vosque nobis non amplius æquè, [*ac antè*] eſſetis amici: ſed ſuſpectos [*nos*] haberetis, nobisque eſſetis inimici, imperio depoſito periclitari. nam qui à nobis defeciſſent, illi ſe vobis adiunxiſſent. Nec vlli mortalium eſt inuidendum, [*aut vitio vertendum,*] ſi in maximis periculis conſtitutus ſuis rationibus proſpiciat, quàm optimè poteſt. Nam vos quoque, Lacedæmonij, ciuitatibus, quæ ſunt in Peloponneſo, imperatis, ea Reipub. adminiſtrandæ forma in ſingulis conſtituta, quam vobis conducere putatis. Quòd ſi tunc in imperio ſemper permanentes, hominum odia vobis contraxiſſetis, quemadmodum nos, ſcimus profectò vos non minùs, [*quàm nos hodie ſumus,*] graues, [*& acerbos*] ſociis futuros fuiſſe, & in neceſſitatem venturos fuiſſe vel imperiosè, [*ac per vim*] dominandi, vel de veſtro capite, & ſalute nõ ſine periculo dimicandi. Ita ne nos quidem vllum admirabile, [*ac inuſitatum,*] aut ab hominum inſtitutis alienum facinus fecimus, ſi imperium [*nobis*] traditum acceperimus, idque [*ſuſceptum*] deponere nolimus, [*tribus*] maximis [*rebus*] coacti, honore, metu, & vtilitate. Neque verò nos primi huius exempli autores fuimus: ſed perpetuo naturæ iure eſt conſtitutum, vt imbecillior à potentiore coërceatur, [*& regatur.*] præterea [*hoc ipſum fecimus,*] tum quia nos [*hoc imperio*] dignos

eſſe

esse iudicabamus, tum etiam quia vel vobis [*eo digni*] visi sumus ad hoc vsque tempus, quo rem vtilitate metientes, quadam æquitatis specie vtimini; quam [*æquitatem*] nullus dum (quotiescunque rei per vim parandæ occasio sese ipsi obtulit) proponens, [*& vtilitati anteponens,*] à rebus suis amplificandis est deterritus. Digniq́ue sunt laude, qui humanum ingenium sequuti, vt aliis imperarent, [*in suo dominatu*] fuerũt æquiores, quàm imperij, quod obtinebant, magnitudo ferret. Profectò si qui alij hoc nostro imperio potirentur manifestissimè (vt arbitramur) declararent quàm modestè nos [*in eo*] geramus. Quamquam ex hac nostra modestia plus vituperationis, quã laudis immeritò reportamus. Quamuis enim in iudiciis de contractu, [*de pactis, & conuentis,*] cum sociis disceptantes, de iure nostro decedamus, quamuis etiam iisdem iudiciis, iisdemq́ue legibus, quibus & nos ipsi apud nos vtimur, [*pariq́, conditione cum illis*] disceptemus, [*tamen*] litigiosi esse videmur: & eorum nemo considerat, cur hoc ipsum crimen cum exprobratione non obiiciatur iis etiam, qui vsquam alibi imperium habent, & qui in subditos minùs modestè se gerunt, quàm nos. Illis enim, qui rei per vim gerendæ potestatem habent, nullis iudiciis est opus. At isti [*nostri socij*] assueti iam æquo iure nobiscum disceptare, si quid illis vel nostro iudicio, vel propter imperij potentiam, vel etiam quomodocumque fuerit detractum, quod ipsi sibi non detrahendum putarint, non habent [*nobis*] gratiam de pluribus non ereptis: sed modicum illud, quod detractum est, grauius ferunt, quàm si statim ab initio, deposito [*nostro*] iuris instituto, apertè vim, [*ac iniuriam ipsis*] feciſſemus. Illo enim modo ne ipsi quidem contra nos dicere potuissent, non oportere

inferiorem ſuperiori cedere. Homines enim (vt eſt veriſimile) quum iniuria afficiuntur, magis indignantur, quàm quum vim patiuntur. Nam quod ab eo proficiſcitur, qui eſt pari conditione, id propter pluris habendi cupiditatem contra iuris æquabilitatem fieri videtur. Quod verò fit à potentiore, hoc ab ineuitabili neceſſitate proficiſci [*videtur*] Idcirco etiam [*noſtri ſocij*] quamuis [*iniurias*] his grauiores à Medo] *factas, olim*] paterentur, [*eas tamen*] tolerabant. At noſtrum imperium [*nunc ipſis*] durum eſſe videtur nec immeritò, nam præſens rerum ſtatus ſubditis eſt ſemper grauis. Sed vos, ſi [*nobis deuictis, &*] euerſo dominatu noſtro, dominaremini, fortaſſe beneuolentiam, quã propter noſtri metũ ſuſcepiſtis, [*in maleuolentiã*] mutaretis, ſi modò nunc quoq; talia facinora vobis facienda cẽſeretis, qualia vel tunc illo exiguo tempore edidiſtis, quo in bello contra Medũ gerendo, [*Græcis*] præfuiſtis. Veſtra enim inſtituta cũ nullis aliis cõmunia habetis: præterea quũ vnus quiſq; [*de vobis*] peregrè proficiſcitur, neq; his [*veſtris inſtitutis*] vtitur, neq; illis, quib. reliqua Græcia ſolet vti. Quare maturiùs conſultetis, vt pote de rebus non paruis: neque conſiliis, & criminationibus alienis inducti, laborem proprium præter ſuperiores [*vobis nunc*] imponatis. Incertos autem belli euentus, eorumque magnitudinem, antequàm in ipſo verſemini, animo præcipite, [*& conſiderate.*] Bellum enim, quod producitur, plerunque calamitoſos, [*ac funeſtos*] exitus habere ſolet. A quibus [*vtrique*] & pariter abſumus, & vtro modo res ſit ceſſura, incerta alea tentatur. Et homines [*plerique*] quum ad bellum proficiſcuntur, *bellumq; temerè, ac inconſultè ſuſcipiunt*] res prius aggrediuntur, quas poſtea gerere oportebat. Quum autem malis iam premuntur,

tur,[*tunc*]verbis,[*& consultationibus*] vtuntur. Cùm igitur neque nos ipsi adhuc in vlla huiusmodi culpa simus,neque vos [*in ea*]esse videamus, vos monemus, dum integrum est vtrisque rectè consultare,ne fœdera frangatis,néve iusiurandum violetis: sed controuersias iudicio dirimatis ex fœderis pacto. alioqui Deos fœderum, ac iurisiurandi præsides contestati, vos, si bello nos lacessatis,propulsare conabimur,ea [*via,*] qua præiueritis, [*& quales erga nos in bello nobis inferendo fueritis, tales nos etiam erga vos in eo propulsando erimus.*] Hæc Athenienses dixerunt. Postquàm autem Lacedæmonij audierunt sociorum querelas aduersus Athenienses,& quæ Athenienses dixerant summotis omnibus, inter se ipsos de rebus præsentibus consultare cœperunt. Atque maior illorum pars consentiens eandem tulit sententiam, Athenienses iam iniustè agere,& quamprimùm bellum esse faciendum. Archidamus verò ipsorum Rex, qui & prudens, & modestus vir esse videbatur, in medium progressus,hanc habuit orationem:

ARCHIDAMI CONCIO.

Ipse quoque, Lacedæmonij,multorum iam bellorum sum peritus, & illos de vobis, qui sunt eadem ætate, qua ego, [*pari rerum bellicarum peritia præditos esse*] video: ita vt propter imperitiam nullus [*ipsorum*]belli cupidus sit futurus,(quod multis accidit)neque[*id*]bonum,ac tutum sit iudicaturus. Hoc autem bellum, de quo nunc consultatis, si quis ipsum sapienter perpenderit, non minimum fore comperietis. Nã aduersus quidem Peloponnesios, & finitimos, nostræ vires sunt pares, & citò ad singula [*eorum oppida*] venire possumus. Sed aduersus viros, qui & agrum procul [*à nobis*] incolunt, & præterea rerum maritimarum sunt pe-

ritissimi, & cæteris omnibus rebus [*ad bellum necessariis*] optimè sunt instructi, & priuatis, & publicis opibus, & nauibus, & equis, & armis, & hominum copia, quanta in nulla alia Græciæ parte est, in vno duntaxat loco, (Præterea verò multos socios vectigales habēt.) quo tandem modo bellum aduersus istos facilè suscipere oportet? & qua [*re*] fretos, cùm simus imparati, [*nos adeò*] festinare [*oportet?*] An classe? At [*hac*] inferiores sumus. Sed si ei parandæ operam demus, & nos aduersus [*illos*] instruamus, [*& classem illorum classi parē opponere velimus, in hac paranda*] tempus teretur. An pecunia? at ista multò etiam sumus inferiores, nec in ærario [*publicam*] habemus, nec [*vllam*] ex priuatis [*facultatibus*] promptè conferre possumus. Confidat forsitan aliquis, quòd armis, & hominum multitudine illos superemus, vt illorum agrum incursionibus vastare possimus. At illis est etiam alius ager longè, lateq; patens, quem in sua ditione habent, & res, quibus indigebant, [*in vrbem suam*] mari vectas importabunt. Quòd si [*eorum*] socios ad defectionem solicitare conemur, quoniam horum maior pars insulas incolit, his etiam auxilium classe ferre oportebit. quodnam igitur erit hoc nostrum bellum? Nam nisi aut classe simus superiores, aut illorum vectigalia, vnde classem alunt, subtrahamus, plus damni capiemus, [*quàm dabimus.*] Atque in hoc rerum statu ne honestum quidem amplius fuerit bellum deponere, [*pacemq; facere:*] præsertim si nos dissidij, [*belliq; moti*] autores præcipui fuisse videamur. Neque verò illa spe efferamur, hoc bellum citò sedatum iri, si agrum ipsorum vastemus. Imò verò vereor ne liberis etiam [*nostris*] ipsum relinquamus. Verisimile [*enim*] est Athenienses adeò excelso esse animo,

mo, vt neque agro seruiant, neque tanquam imperiti bello consternentur. Verumtamen non sum etiam vobis autor, vt & nostros socios [*ab illis*] lædi stupidè sinatis, & [*illos nobis*] insidiantes, in facinore manifesto deprehensos non arguatis. Sed [*censeo*] arma nondum mouenda: at legatos mittendos [*Athenas,*] & [*de iniuriis, quas sociis fecerunt,*] expostulandum, ita [*tamen,*] vt neque nimis apertè bellum declarent, neque [*significent nos*] permissuros, [*vt hæc diutius faciant.*] Interea verò [*censeo*] nostras ipsorum res parandas, & socios, tam Græcos, quàm barbaros [*nobis*] cõciliandos, si fortè vel classis, vel pecuniæ vires aliquas alicunde [*nobis*] præterea adiungere possimus. Non est autem inuidendum, [*nec vitio vertendum illis,*] qui [*insidiis appetiti*] (quemadmodum & nos ab Athenienſibus [*nunc*] insidiis appetimur) saluti suæ consulunt, non solùm Græcos: sed etiam barbaros sibi [*conciliantes, ac*] adiungentes. Simul etiam nostras fortunas expromamus. Quòd si nostros legatos audierint, hoc erit optimum. Sin minus, duorum, triúmve annorum elapsorum spatio, iam meliùs instructi, bellum illis, si visum fuerit, inferemus. Et fortasse, quum nostros apparatus iam cernent, & verba ipsis idem significantia, faciliùs cedent, & agrum adhuc integrum habentes, & de præsentibus bonis, & nondum [*ab hoste*] corruptis deliberantes. Nihil enim aliud ipsorum agrum esse putetis, quàm obsidem, quem habetis: atque eo magis, quo meliùs est excultus: cui quàm diutissimè parcere, neque illos ad desperationem [*à vobis*] compulsos, expugnatu difficiliores reddere oportet. Si enim imparati, sociorum criminationibus solicitati, [*ac impulsi*] ipsum vastemus, videte ne plus dedecoris, ac damni, [*quàm decoris, ac emolumenti*] Peloponne-

» so afferamus. Nam publicæ quidem, ac priuatæ cri-
» minationes dilui, [*tolliq;*] possunt. Bellum verò,
» quod priuatorum causa ab vniuersis est susceptum,
» cuius incertus euentus sciri non potest, honestè
» deponere non [*est*] facile. Neque cuiquam ignauia
videatur esse, quòd multi vnicam ciuitatem celeriter non inuadant. Sunt enim & illis non pauciores, [*quàm nobis,*] socij, qui tributum pendunt. Et
» bellum geritur non tam armis, quàm pecuniis, quę in eo gerendo consumuntur, & propter quas ipsa arma sunt vtilia, præcipuè verò hominibus mediterraneis aduersus maritimos. Primùm igitur has paremus, [*& promamus,*] neque sociorum verbis impulsi, [*ad bellum mouendum*] prius feramur. Qui enim eorum, quæ sunt euentura, causam in vtranque partem magis sustinebimus, [*quàm vllè alij,*] iidem etiam per otium aliquid eorum prouideamus. Nec tarditatis, atque cunctationis, quam [*socij*] in nobis maximè reprehendunt, vos pudeat. Nam si [*ad bellum*] properetis, seriùs [*id*] finietis, quòd imparati [*id*] susceperitis. Simul etiam liberam, & clarissimam ciuitatem semper incolimus. Atque hoc [*quod nobis vitio vertitur,*] modestia pru-
» dens maximè esse potest. Soli enim propter hoc ipsum & secundis rebus non sumus insolentes, &
» aduersis minùs quàm alij cedimus, [*minusq; consternamur.*] Neque mouemur illecebris eorum, qui, præter nostram sententiam, cum laudatione ad pericula subeunda nos instigant. Et si quis cum vituperatione [*nos ad idem*] incitet, [*ei tamen*] non magis, dolore commoti, assentimur. Et propter hanc
» modestiam & bellicosi, & circumspecti sumus. at-
» que hac quidem bellicâ virtute prediti sumus, quia
» verecundia plurimum habet modestiæ, & fortitu-
» do [*plurimum habet*] verecundiæ. Circunspecti ve-

rò

rò. [*sumus*] quia sic instituimur, vt leges contemnere nesciamus, iisque vel seueritate adhibita modestè potius pareamus, quàm per licentiam eas negligamus. simul etiam quia in rebus inanibus non sumus admodum solertes, ita vt hostium apparatum oratione magnifica vituperantes, re ipsa dissimiliter [*eum*] persequamur. Sed [*ita instituimur,*] vt & aliorum cogitationes [*nostris*] similes esse, & fortunæ casus, [*ac incertos rerum euentus*] oratione explicari non posse existimemus. Semper autem, vt aduersus bene consultos, [*ac prudentes*] aduersarios, re, [*factisq;*] nos præparamus; neq; spes [*nostras*] in peccatis, quæ forsitan illi committent: sed in nostra ipsorum cautione, [*prudentia,*] tutisque cõsiliis collocare oportet. nec existimandum est multum interesse inter hominem, & hominem: at [*existimandum est*] illum, qui in maxima necessitate, [*maximisq; periculis*] eruditur, præstantissimum esse. Hæc igitur instituta, quæ [*nostri*] maiores nobis tradiderunt, quæque nos ipsi perpetuò retinentes iuuamur, [*& ex quibus accuratè seruatis maximũ fructum capimus,*] ne abiiciamus, néve in exigua diei particula, de multis capitibus, de [*multis*] pecuniis, de [*multis*] vrbibus, & de gloria, properantes decernamus: at per otium [*hisce de rebus maturè consultemus.*] Hoc autem nobis magis, quàm aliis, propter potentiam [*facere*] licet. Et [*legatos*] ad Athenienses mittite, [*qui cum illis expostulent*] de Potidæa; mittite etiam [*qui conquerantur*] de iniuriis, quibus socij se [*ab illis*] affectos dicunt, præsertim cùm ipsi parati sint [*de rebus controuersis*] iure disceptare. Et verò, qui se iudicio offert, bellum vt iniuriam facienti prius inferre non licet. Simul etiam bellum, [*& res ad hoc necessarias*] parate. Hæc enim si faciatis, cõsilium & [*vobis ipsis*]

optimum, & aduersariis maximè formidandum inibitis. Et Archidamus quidem hæc dixit. Sthenelaidas verò, qui tunc vnus erat ex Ephoris, postremus in medium progressus, ita Lacedæmonios est alloquutus.

STHENELAIDAE CONCIO.

Equidem longam Athenienſium orationem non intelligo. quamuis enim in ſuis laudibus prędicandis multi fuerint, nuſquam tamen [*ad obiecta crimina*] reſponderunt, noſtros ſocios, & Peloponneſum iniuria à ſe affectam negantes. Atqui ſi contra Medos [*quidem*] olim boni fuerunt, iam verò contra nos improbi ſunt, duplici pœna ſunt
" digni, quòd mali ex bonis ſint effecti. Nos verò [*ſemper noſtri*] ſimiles & tunc [*fuimus*,] & nunc ſumus, neque (ſi ſapimus) ſocios [*noſtros*] iniuria affici per negligentiam ſinemus, neque auxilium [*ipſis*] mittere cũctabimur. Ipſi enim ſine vlla cunctatione mala patiuntur. Aliis enim multæ ſunt pecuniæ, naues, & equi; nobis verò, boni ſocij, qui Athenienſibus non ſunt tradendi: neque indiciis, verbisque [*de controuerſiis*] eſt diſceptandum, cùm & ipſi [*noſtri ſocij*,] non verbis: [*at factis*] lædantur. Sed celeriter, totisque viribus auxilium [*ipſis*] eſt ferendum. Nec doceat nos quiſquam decere nos conſultare, quum iniuria nobis infertur. Imò verò eos, qui iniuriam [*aliis*] facere parant, diu conſultare decet. Quamobrem, Lacedæmonij, è dignitate Spartę bellum decernatis, nec Athenienſes maiores fieri ſinatis, nec ſocios prodamus: ſed Deorum auxilio freti bellum illis, qui faciunt iniuriam, inferamus. Hæc loquutus, quoniam ipſe Ephorus erat, in Lacedæmoniorum concione ſententias rogauit, [*& ad ſuffragia ferenda eos vocauit.*] Tunc autem ([*Lacedæmonij*] enim voce, non calcu-

lis

lis suffragia ferunt) dixit se non posse dignoscere vtra vox esset maior. Sed quia volebat ipsos sententiam apertè dicentes, ad bellum mouendum promptiores esse, dixit: Cui vestrum, Lacedæmonij, fœdera rupta esse, & Athenienses iniuriam facere videntur, surgat, & in locum illum (quēdam locum ipsis ostendens) discedat: cui non videntur, in alterum [*discedat.*] Illi autem, cùm surrexissent, discessionem fecerunt, & longè plures fuere, quibus fœdera rupta videbantur. Accitisque sociis, dixerunt sibi quidem videri Athenienses iniustè agere, velle tamen & [*cæteros*] omnes socios ad suffragia ferenda accire, vt de communi consilio, si videretur, bellum facerent. Atque illi quidem his confectis domum abierunt. Postea verò & Athenienſium legati rebus transactis, quarum causa [*eò*] venerant, [*inde recesserunt.*] Hoc autem illius concionis decretum de fœderibus, quæ rupta videbantur, factum est anno ab initis tricennalibus fœderibus decimo quarto, quę post res in Eubœa gestas inita fuerunt. Lacedæmonij autem fœdera rupta esse, & bellum gerendum esse decreuerūt, non tam sociorum verbis inducti, quàm metu ne Athenienses fierent potentiores, quia magnā Græciæ partem illorum imperio iam subiectam videbant. Nam Athenienses hoc modo ad res gerendas venerunt, per quas creuerunt. Postquàm Medi ex Europa discesserunt, nauali pariter, ac pedestri pugna à Græcis victi, & qui ex illis ad Mycalen nauibus confugerant, profligati fuerunt, Leotychides quidem Lacedęmoniorum Rex, Gręcorum, qui apud Mycalen erant, dux, domum abiit, cum sociis, qui ex Peloponneso venerant. Athenienses verò, & socij, qui ex Ionia, & Hellesponto venerant, cùm à Rege iam defeciſſent, [*in illa expeditio-*

ne] perseuerantes, obsidebant Sestum, quam Medi tenebant, & [*ibi*] hyemantes, eam a barbaris derelictam ceperunt. Postea verò ex Hellesponto in suas quique vrbes nauigarunt. Athenienſium verò commune, postquam barbari ipsis infesti ex regione discesserunt, statim absportarunt [*illinc*,] vbi deposuerant, liberos, vxores, & quicquid supellectilis supererat: seque ad vrbis ædificia, & muros instaurandos parabant. nam & exiguæ ambitus [*murorum partes in variis locis adhuc*] stabant, & ædes pleræque conciderant, paucæque supererant, in quibus ipsi Persarum principes manserant. Lacedæmonij verò, cùm intellexissent quod futurum erat, legati venerunt, partim quidem, quòd & ipsi libentius visuri fuissent nec illos, nec alium quemquam muros vnquam habentem: partim verò, idque præcipuè, quòd socij illos instigarent, & metuerent cùm classis eorum magnitudinẽ, quæ paulò antè ipsis non suppetebat, tum etiam audaciam, quam in bello Medico demonstrarant. Postularũt autem ab ipsis ne muros reficerent: sed potius omnium etiam vrbium, quæ extra Peloponnesum erant, quarumcumque ambitus adhuc starent, eos secum demolirentur: voluntatem quidem [*suam,*] animique suspicionem, quam de Athenienſibus habebant, non declarantes: sed [*speciosam causam prætendentes,*] ne barbarus, si rursus [*Græciæ*] bellum inferret, vllum locum munitum haberet, vnde [*contra Græcos*] proficisceretur, quemadmodum tunc ex Thebanorum vrbe [*fecerat.*] Et Peloponnesum omnibus receptaculum, & perfugium satis tutum fore dixerunt. Athenienses verò de Themistoclis sententia Lacedæmonios, qui hæc dixerant, confestim dimiserunt, illis dato responso; legatos hisce de reb⁹, quas dixissent, à se ad eos missum

sum iri. Themistocles autem [*Athenienſibus*] erat autor, vt se Lacedæmona primo quoque tempore mitterent, aliosque legatos, præter se, electos, non subitò emitterent: sed tandiu retinerent, donec murum ad iustam altitudinem erexissent, ita vt ex altitudine maximè necessaria vim hostis propulsare possent. Idem etiam autor erat, vt omnes, qui erant in vrbe, ex omni ordine, ætate, sexuque, & ipsi, & vxores, & liberi, muros ædificarent, nulli aut priuato, aut publico ædificio parcentes, vnde aliquid vtilitatis ad illud opus faciendum percipi posset: sed omnia diruentes. Cùm autem ille hæc docuisset, & addidisset, se curaturum cætera, quę essent illic agenda, discessit. Cumque Lacedęmona venisset, non adiit Magistratus: sed rem trahebat, & speciosas causas fingebat, [*ac prætendebat:*] & quoties aliquis de summis Magistratibus eum interrogasset, cur ad Reipub. Magistratus non accederet, suos collegas à se expectari: sed eos aliqua occupatione impeditos [*in vrbe*] remansisse, dicebat. se tamen sperare eos propediem venturos, & se mirari eos nondum adesse. Illi verò, cùm [*hæc*] audirent, Themistocli, quidem fidem habebant, propter amicitiam, quæ ipsis cum illo intercedebat: sed cùm alij venirent, & apertè arguerent muros ædificari, atque adeò iam sublimes esse, facere non poterant quin crederent. quod cùm ille intellexisset, suasit ipsis ne verbis se falli paterentur: sed potius de suorum ciuium numero, probitatis, fideique spectatæ viros [*Athenas*] mitterent, qui rem diligenter inspectam, [*ac exploratam,*] fideliter renuntiarent. Illi igitur [*hos*] miserunt. Themistocles verò Athenienſibus horum aduentum per nuntios clàm significauit, suadens vt quàm occultissimè possent eos retinerent, neque dimitterent ante-

quàm ipsi [*domum*] rediissent. (Iam enim eius etiam collegę ad ipsum venerant, Ambronychus, Lysiclis, & Aristides, Lysimachi [*filius,*] murũ iam satis altũ esse nũtiantes.) metuebat enim ne Lacedęmonij, vbi rẽ planè resciuissent, se nõ amplius dimitterẽt. Athenienses igitur legatos retinuerunt, vt [*ipsis*] per nuntios fuerat significatum. Themistocles autem cùm ad Lacedæmoniorum magistratus iuisset, tunc demum apertè dixit, vrbem suam muris iam esse cinctam, ita vt eos, qui in ipsa habitarent, tutari posset. Sed si Lacedæmonij, sociive legationem aliqua de re ad se mittere velint, [*dixit oportere illos*] posthac [*ad se*] venire, vt ad homines, qui bene dignoscerent quid suorum, quid etiam communium commodorum ratio postularet. Quum enim visum fuisset satius esse vrbem relinquere, & naues conscendere, sine illorum consilio, re cognita, [*hæc facere*] se ausos fuisse dixerunt. Et quibuscunque de rebus cum illis consultare [*placuisset,*] se consilio, nullo inferiores visos esse. Sibi igitur nunc etiam videri melius esse suam vrbẽ mœnibus esse cinctam, idque cùm priuatim singulis ciuibus, tum etiam publicè vniuersis sociis vtilius fore. fieri enim non posse, vt qui non idem præsidium habent, idem consilij capiant, & idem, ac cæteri, statuant, quum de rebus publicis est consultandum. Dicebat igitur aut omnes ciuitates fœderatas oportere sine muris esse, aut [*eos*] existimarò [*his*] auditis, nullam quidem apertam indignationem contra Athenienses demonstrarunt: (non enim vt eos prohiberent: sed vt consilium ipsis darent, scilicet, vtque ipsos monerent, ad [*eorum*] Rempub. legatos miserant. Simul etiam quia [*Lacedæmonij*] ipsos [*Athenienses*] tunc temporis amo-

re

re maximo [*adhuc*] prosequebantur, propter singulare illorum aduersus Medos studium) suo tamen voto frustrati, rem iniquo animo clàm tulerunt. Ita autem vtrorumque legati citra [*querelam, &*] criminationem domum redierunt. Hoc [*igitur*] modo Athenienses exiguo temporis spatio vrbem muris cinxerunt. & ex ipsa murorum structura, quæ nunc etiam extat, eos festinanter ædificatos fuisse patet. Nam fundamenta substrata sunt ex omni lapidum genere constructa, qui nonnullis etiam in partibus non sunt politi, [*neq; coagmentati:*] sed vt quisque fortè [*eos ad opus faciendum*] afferebat. multæ etiam columnæ ex monumentis detractæ, & saxa polita [*in his muris ædificandis*] sunt congesta. Ambitus enim [*murorum*] ab omni vrbis parte maior, [*quam esset antè,*] eductus est. Et propterea omnia pariter mouentes festinabãt. Themistocles etiam [*Athenienſibus*] persuasit, vt reliquas Piræi [*partes*] ædificarent: (Eius enim pars ædificati prius est cœpta, quo tempore ipse annuum Magistratum gerens Athenis præfuit.) tum quia existimabat locum illum esse opportunum, quòd tres portus natura munitos haberet, tum etiam quia ipsos [*Athenienſes,*] qui rebus nauticis operam dare cœperant, magnum adiumentum ad opes parandas habituros [*ſt erabat.*] Primus enim [*Athenienſibus*] ausus est dicere, eos debere maris imperium sibi vendicare, & cõfestim eos in hoc imperio parando iuuare cœpit. Illius etiam sentẽtiam sequuti murum ea latitudine extruxerunt, quæ nunc quoque circa Piræum extans apparet. nam duo plaustra [*per murum*] occursu aduersо saxa portabant. Intus verò neque cœmentum, neque lutum erat: sed magna, & ad normam incisa, & quadrata saxa, coagmentata, [*&*] extrinsecus ferro plumboque

inter se ferruminata. Altitudo verò ad dimidiam partem eius, quam [*Themistocles*] animo statuerat, est perducta. nam & altitudine, & latitudine [*murorum,*] donatus, [*& incursiones*] hostium volebat propulsare: & paucorum, eorumque infirmissimorum hominum præsidio locum facilè custodiri posse, cæteros verò naues cõscensuros existimabat. Nam in rem nauticam potissimùm incumbebat, quia (vt mea fert opinio) Regis [*Persarum*] copias mari faciliùs, quàm terrâ [*Græciam*] inuadere posse animaduertebat. & Piræum plus vtilitatis, quàm superiorem vrbem, Athenienſibus allaturum putabat. atque adeò sæpe hortatus est eos, si fortè vnquam terrâ premeretur, vt in eum descenderent, & classe omnibus resisterent. Athenienses igitur statim post Medorum discessum hoc modo vrbẽ muris cinxerunt, & cætera extruxerunt. Pausanias verò Cleombroti [*filius,*] Lacedæmonius, Græcorum dux, cum viginti nauibus ex Peloponneso est emissus: eumque Athenienses cum triginta nauibus sunt comitati, magnusque aliorum sociorum numerus [*cum eodem nauigauit*] & cum infesto exercitu in [*insulam*] Cyprum iuerunt, eiusque multas [*vrbes*] subegerunt. deinde Byzantium à Medis occupatum petierunt, & huius auspiciis, ductuque expugnarunt. Cùm autem hic insolentiùs, ac tyrannicè iam imperaret, cùm alij Græci remiquo animo ferebant, tum verò præcipuè Iones, & quotquot regio dominatu recens fuerant liberati. Quamobrem ad Athenienses profecti, pro necessitudine, quæ illis cum ipsis intercedebat, eos rogarunt, vt sibi præessent, nec [*iniuriæ faciendæ,*] si quam vim inferre vellet, [*licentiam*] Pausaniæ permitterent. Athenienses verò hæc verba [*libenter*] acceperunt, atque animis in istam curam incubue-

cubuerunt, vt eos non neglecturi, & cætera constituturi, quemadmodũ è re ipsorum maximè futurum intelligerent. Interea verò Lacedæmonij Pausaniam accersunt, quæstionem habituri de rebus, quas audierant. Etenim multa eius iniusta facinora deferebantur à Græcis, qui [*Lacedæmona*] veniebant: & belli administrandi ratio, qua ille vtebatur, tyrannidi potius, quàm præturæ similis erat. Fortè autem accidit vt, dum ille [*à Lacedæmoniorum Magistratibus*] vocaretur, eodem temporis articulo socij quoque ad Athenienses transirent, præter milites ex Peloponneso profectos. Lacedæmona autem profectus, priuatarum quidem iniuriarum priuatis illatarũ damnatus est: maximarum verò, [*& publicarum*] est absolutus, & innocens habitus. Præcipuè verò accusatus est, quòd cum Medis sensisset, [*eorumq́; partibus fauisset,*] & [*crimẽ ei obiectum*] videbatur esse manifestissimum. Et [*propterea*] illum quidem non amplius prætorem emiserunt: sed Dorcin, & cum eo nonnullos alios, non magnum exercitum habentes; quibus socij imperium non amplius detulerunt. Illi verò hac [*re*] cognita discesserunt. nec vllos alios Lacedæmonij postea ampliùs emiserunt, veriti ne illi, qui ad bellicas expeditiones proficiscerentur, cum suæ Reipub. damno deteriores fierent. id, quod in Pausania animaduerterant. Simul etiam quia bello Medico liberari cupiebant, & Athenienses satis idoneos duces esse, & tunc temporis adhuc sibi amicos ducebant. Athenienses igitur, cùm imperium hoc modo [*sibi delatum*] accepissent, sociis volentibus, propter odium, quo Pausaniam prosequebantur, statuerunt, à quibus vrbibus pecunias, & à quibus naues aduersus barbarum præberi oporteret. Hæc enim erat speciosa causa, quam

prætexebant, vt [*videlicet*] iniurias [*à barbaris*] acceptas vlciscerentur, Regis agrum vastantes. Et tunc primùm apud Athenienses constitutus est Magistratus [*eorum, qui vocabantur*] Ἑλληνοταμίαι, [*id est, Græcorum Quæstores.*] qui τὸ φόρον. [*id est, tributum*] recipiebāt. Sic enim appellata est ἡ τῶν χρημάτων φορὰ, [*id est, pecuniarum collatio.*] Primum autem tributum, quod cōstitutum fuit, erat quadringentorum & sexaginta talentorum. Eorum verò ærarium fuit Delos, & in eius templo conuentus fiebant. Cùm autem initiò sociis imperarent liberis, eosque suis legibus viuere sinerent, & de communi consilio in publicis conciliis consultarent, ad tantum imperium peruenerunt bello, rerumq; inter hoc, & Medicum bellum administratarum opera, quas ipsi gesserunt & contra barbarum, & contra suos socios, qui res nouas moliebantur, & cōtra Peloponnesios, qui casu singulis [*belli*] semper intercerant. Res autem istas scripsi, & digressionem ab institutа narratione feci hac de causa, quia [*hic locus*] ab omnibus, qui ante me scripserunt, est prætermissus. Nam illi vel res ante bellum Medicum à Græcis gestas, vel ipsum bellum Medicum conscripserunt. In hoc autem numero est & Hellanicus, qui in Attica historia has res attigit, & breuiter, temporibusq; non accuratè distinctis mentionem earum fecit. Simul etiam [*hæc scripsi, quia hæc historiæ pars*] apertè demonstrat quo modo Athenienſium imperium fuerit constitutum. Primùm igitur Eionem, quæ ad Strymonem est sita, quam Medi tenebant, obsidione expugnarunt, & incolas vrbe direpta in seruitutem abduxerūt, duce Cimone Miltiadis [*filio.*] Deinde verò Scyrum insulam in Ægæo sitam, quam Dolopes incolebāt, incolis in seruitutem abstractis diripuerunt, & co-

Ionia

lonia eò missa ipsi incoluerunt. Cum Caryſtiis etiam, siue aliis Euboensibus, bellum gesserunt. tandemque certis conditionibus compositionem fecerunt. Postea verò Naxiis, qui defecerant, bellum intulerunt, & obsidione in deditionem receperũt. Atque hæc prima ſociarum ciuitatum præter iuris consuetudinem in seruitutem est redacta. mox & aliæ prout cuique contigit. Defectionis verò causæ cùm aliæ fuerunt, tum verò præcipuæ, tributorum, & nauium eiurationes, & militiæ recusatio, si cui contigisset. Nam Athenienses [*pecuniam*] seuerè exigebant, & molesti erant, quòd [*hominibus*] necassuetis, nec volentibus ærumnas perpeti, necessitatem imponerẽt. Aliis etiam de causis Athenienses [*ſocios erant molesti,*] quia eadem comitate, qua consueuerant, non amplius imperabant, neq; ex æquo cum [*ſocijs*] militabant, quòd eos, qui deficerent, in suam potestatem, ac ditionem facilè redigere possent. Quarum acerbitatum ipsi socij fuerunt autores. Nam ob hanc militiæ detrectatæ pigritiam, eorum plerique, ne domo abessent, pecunias nauium loco, ad sumptus faciendos, pro rata [*quiq;*] portione conferre statuerunt. Atque Athenienſium quidem res naualis augebatur hac pecunia, quam illi sumptuum [*militarium*] causa conferebant. ipsi verò, quum defectionem faciebant, imparati, & opibus minimè instructi bellum suscipiebant. Posthæc autem Athenienses, eorumque socij cum pedestre, tum nauale prœlium in Pamphylia ad flumen Eurymedontem cum Medis commiserunt. Et eodem die Athenienses ex vtroque victoriam duce Cimone, Miltiadis [*filio,*] reportarunt, & Phœnicum triremes partim ceperũt, partim etiam corruperunt, in vniuersum ad ducentas. Postea verò accidit, vt Thasij ab illis defi-

cerent, orta inter illos controuersia de emporiis, quæ erant in aduersa Thracia, & de metallis, quæ possidebant. Athenienses autem cum nauibus in Thasum profecti, [*Thasios*] nauali pugna vicerunt, & in terram descenderunt: cumque sub idem tempus ad Strymonem decem millia colonorum, tum suorum, tum socialium misissent, vt sibi vendicarent, [*ac in suam potestatem redigerent*] oppidū, quod tunc quidem Ἐννέα ὁδοί, [*id est, Nouem-viæ,*] vocabatur, nunc verò Amphipolis, illo quidem oppido, quod Edoni tenebant, ipsi potiti sunt: sed in mediterranea Thraciæ loca progressi, ad Drabescum Edonicam profligati fuerunt ab vniuersis Thracibus, quibus infestus erat locus ille, qui condebatur, Nouem-viæ appellatus. Thasij verò [*variis*] prœliis victi, & obsessi, Lacedæmoniorum auxilium implorabant, eosque hortabantur, vt irruptione in Atticam facta opem sibi ferrent. Illi verò se hoc facturos clàm Athenienſibus promiserunt, ac feciſſent: sed terræmotu impediti fuerunt: in quo [*terræmotu, id est, cuius terræmotus tempore*] & Helotes, & ex finitimis Thuriatæ, & Ætheenses Ithomen secesserunt. Fuerunt autem ex Helotibus plurimi ab antiquis illis Messeniis tunc in seruitutem redactis oriundi, quamobrem etiam omnes vocabantur Messenij. Lacedæmonij igitur bellum susceperunt aduersus illos, qui erant Ithomę. Thasij verò tertio obsidionis anno Athenienſibus sese dederunt his conditionibus, vt [*vrbis suæ*] muros demolirentur, naues traderent, & imperatam pecuniam persoluerent, tam eam, quam in præsentia, eos numerare, quàm eam, quam in posterum pendere oportebat, vtque ipsis & continente, & metallis cederent. Lacedæmonij verò, cùm bellum aduersus eos [*susceptum,*] qui Ithomæ erant, pro-

du-

duceretur, cùm aliorũ sociorum, tum etiam Athenienſium opem, [*auxiliumq́*] imploratunt. Illi verò Cimone duce cum non exiguis copiis [*ad eos*] iuerunt. Illos autem potiſſimùm euocarunt, quòd ad murorum, [*& vrbium*] oppugnationem ſtrenui eſſe viderentur. Cùm igitur ipſis longa eſſet obſidio, hac re opus eſſe videbatur. Illud enim oppidum per vim cepiſſent. Et ob hanc expeditionem diſſenſio tunc primùm inter Lacedæmonios, & Athenienſes apparuit manifeſta. Lacedæmonij enim, cùm oppidum per vim nõ caperetur, metuentes Athenienſium audaciam, & ingenium ad res nouandas promptum, ſimul etiam illos alienigenas eſſe rati, ne quid noui, ſi diutiùs [*ſecum*] manſiſſent, ab illis, qui Ithomæ erant, impulſi molirentur, ſolos [*omnium*] ſociorum dimiſerunt, [*ſuam*] quidem ſuſpicionem non declarantes: ſed ſe illorum auxiliis non amplius indigere dicentes. Athenienſes verò ſe non bona de cauſa: ſed aliqua ſuſpicione orta dimitti cognouerunt. Quare facinus hoc atrox, & minimè ferendum iudicantes, nec ita de Lacedæmoniis ſe meritos eſſe exiſtimantes, vt hanc iniuriam ab illis acciperent, ſtatim, ſimul ac domum redierunt, relicta ſocietate, quam cum illis contra Medum contraxerant, nouam cum Argiuis illorum hoſtibus inierunt. Simul etiam vtrique adhibito iureiurando, iiſdem conditionibus ſocietatem cum Theſſalis fecerunt. Illi verò, qui Ithomæ erant, decimo demum anno, cùm [*hoſtis*] diutius reſiſtere non poſſent, compoſitione cum Lacedæmoniis facta, ſe [*ipſis*] dediderunt, his conditionibus, vt fide publica freti ex Peloponneſo excederent, nec vnquam amplius in eam reuerterentur. quòd ſi quis [*in eam reuerſus*] caperetur, eius, qui eum cepiſſet, ſeruus eſſet. Erat etiam oraculum

quoddã Pythium Lacedæmoniis antè redditum, [*quo monebantur,*] vt Iouis Ithomitæ supplicem dimitterent. Exierunt autem ipsi, & liberi, & vxores. Athenienses verò ipsos exceperunt, & propter odium, quo iam Lacedæmonios persequebantur, Naupacti collocarũt, quam [*vrbem*] à Locris Ozolis occupatam nuper ceperant. Megarenses etiam à Lacedæmoniis defectione facta, quòd eos Corinthij de agri finibus [*contendentes,*] bello premerent, Athenienſium partibus sese adiunxerunt, & societatem [*cum ipsis*] inierunt. Et Athenienses tenuerunt Megara, & Pegas. Et longos muros Megarensibus ab vrbe ad Niſæam vsque ædificarunt, eosq; ipsi [*suo præsidio*] tuebantur. atq; hinc præcipuè natum est primum illud, & vehemẽs Corinthiorum odium in Athenienses. Inarus autem Psammetichi [*filius,*] Afer, Rex Afrorum Ægypto finitimorum, ex vrbe Marea, quæ supra Pharum est sita, profectus, maiorem Ægypti partem ad defectionem à Rege Artaxerxe faciendam impulit. Et ipse [*copiarum*] dux creatus Athenienses [*ad belli societatem*] acciuit. Illi verò (tunc enim fortè cum ducentis nauibus, tum suis, tum sociorum, bellum Cypro intulerant) Cypro relicta [*eo*] iuerunt, & ex Mari Nilum ingressi, & flumine ipso, & duabus Memphidis partibus potiti, ad tertiam partẽ, quę Murus--albus appellatur, bellum gerebant. Ibi autem inerant Persę, & Medi, qui [*eo*] confugerant, & quotquot de Ægyptiis [*à Rege*] cum aliis non defecerant. Athenienses verò nauibus ad Italias egressi, prœlium cũ Corinthiis, & Epidauriis commiserunt, & Corinthij [*eos*] vicerunt. Posteaque Athenienses nauali pugna ad Cecryphaleam cum Peloponnesiorum classe conflixerunt, & [*tunc*] Athenienses victores fuerunt. Postea autem bello

aduer-

aduersus Æginetas ab Athenienſibus moto, magnum nauale prœlium ad Æginam inter Æginetas, & Athenienſes commiſſum eſt. & [*in eo*] ſocij vtriſque adfuerunt. Athenienſes verò [*Ægmetas*] vicerunt, captisque illorum ſeptuaginta nauibus, in terram deſcenderunt, & duce Leocrate Strœbi [*filio, vrbem*] obſidere cœperunt. Deinde Peloponneſij, cum opem Æginetis ferre vellent, trecentos grauis armaturę milites, qui Corinthiis, & Epidauriis auxilium antè tulerant, in Æginam tranſmiſerunt, & Geraneæ ſumma iuga occuparunt. Corinthij verò cum ſociis in agrum Megarenſem deſcenderunt, quòd Athenienſes, propter abſentiam magnarum copiarum, quæ partim in Ægina, partim etiam in Ægypto erant, Megarenſibus opem ferre non poſſe exiſtimarent: & ſi opem illis ferrét, ſe ex Ægina motis caſtris diſceſſuros [*ſperarent.*] Sed Athenienſes copias quidem, quę ad Æginam erant, ſuo loco non mouerunt: at ex reliquis, qui in ciuitate erant, tam ſeniores, quàm iuniores, duce Myronide Megara ſe cõtuleruut. Et pugna æquo Marte cũ Corinthiis cõmiſſa, alteri ab alteris diréepti ſunt, & vtrique, non deteriore, conditione rem in prœlio à ſe geſtam exiſtimarunt. Ac Athenienſes quidem (nam [*licet alteri victoriam ſibi vendicarent,*] tamen longè ſuperiores fuerant) poſt Corinthiorum diſceſſum, trophœum ſtatuerunt. Corinthij verò, quia probroſis vocibus carpebantur à ſenioribus, qui in vrbe erant, duodecim fermè diebus pòſt inſtructi venerunt, & trophœum è regione [*alterius*] ipſi quoque tanquam victores ſtatuere volebant. Sed Athenienſes clamore ſublato, & eruptione Megaris facta, & illos, qui trophœũ erigebant, interfecerunt, & cũ cæteris congreſſi, [*eos*] ſuperarũt. Illi verò, ſuperati diſcęſſerunt, quędã autẽ

eorũ non exigua pars, quę ab hoste insequẽte premebatur, & à recta via aberrauerat, incidit in cuiusdam hominis priuati prædium, in quo magna erat fossa, quæ [*illos*] vndique includebat, nec vllum exitum habebat. Athenienses verò [*hac re*] cognita, oppositis à fronte grauis armaturę militibus [*illos*] exitu prohibebant, & leuis armaturæ militibus circuncirca collocatis eos omnes, qui [*locum illum*] ingressi fuerant, lapidibus obruerunt. Atque clades ista, quam Corinthij [*tunc*] acceperunt, fuit insignis. Reliqua verò illorum exercitus turba domum rediit. Sub eadem tempora Athenienses longos etiam muros ad mare vsque cœperunt ædificare alterum, ad Phalerum vsq; [*portum*,] alterum, ad Piræum. Cùm autem Phocenses expeditionem suscepissent contra Dorienses, Lacedæmoniorum metropolin, Bæum, Cytinum, & Erineon, cumque vnum ex his oppidis cepissent, Lacedæmonij duce Nicomede Cleombroti [*filio*,] pro Pleistoanacte Pausaniæ Regis [*filio*,] qui adhuc erat iunior, Dorienſibus opem tulerunt, cum mille, & quingentis militibus de suis, & decem millibus sociorum. cumque Phocenses deditione certis conditionibus facta vrbem reddere coëgissent, [*domum*] redierunt. Eos autem, si per sinum Crissæum mari transire voluissent, Athenienses nauibus circumuecti impedituri erant. Per Geraneam verò transire non tutum ipsis esse videbatur, quod Atheuienses Megara, & Pegas tenerent. Nam Geranea & transitu difficilis erat, & Athenienſium præsidio semper custodiebatur. Tunc autem præsenserunt fore vt illi hac quoque parte se [*transire*] prohiberent. Quamobrem visum est ipsis apud Bœotos subsistere, & despicere quanam ratione quàm tutissimè transire possent. Quinetiam Athenienſium

non-

nonnulli clàm ipsos solicitabant, quia democratiam, [*id est, popularem dominationem*,] & longos muros, qui ędificabantur, tolli posse sperabant: Athenienses verò copiis ex omni totius populi genere, ordine, ac ætate collectis, & Argiuorum mille, & ex cæteris sociis, prout quique [*ad illam expeditionem venire potuerant.*] (vniuersorum autem fuerunt quatuordecim hominum millia) obuiam illis prodierunt. Cùm enim existimassent [*hostes*] nescire quâ, [*aut quomodo*] trâsire possent, [*ita demùm*] cum infesto exercitu illis obuiam processerunt. Erat etiam quædam suspicio Lacedæmonios adesse, vt popularem statum euerterent. Thessalorum etiam equites ex societatis iure ad Athenienses venerunt, qui in ipso prœlio ad Lacedęmonios transierunt. Prœlio autē ad Tanagram Bœotiæ cōmisso, Lacedæmonij, eorumque socij vicerūt, & vtrinq; magna strages est facta. Et Lacedæmonij quidem in agrum Megarensem ingressi, arboribusque cæsis, per Geraneam, & Isthmum, domum reuerterunt. Athenienses verò altero, & sexagesimo ab hac pugna die expeditionem in Bœotios duce Myronide susceperunt. Et apud Oenophyta Bœotos prœlio superarunt, agrumque Bœotium, ac Phocensem in suam potestatem redegerunt, & Tanagræorum muros demoliti sunt, & Locrorum Opuntiorum centum viros opulentissimos obsides acceperunt, suosque longos muros absoluerunt. Posthæc Æginetæ quoque se Athenientibus dediderunt, his conditionibus, vt [*vrbis*] muros demolirentur, naues traderent, & imperatum tributum in posterum penderent. Peloponnesum etiam Athenienses nauibus circumuecti sunt, duce Tolmide Tolmæi [*filio,*] & Lacedæmoniorum naualia incenderunt, & Chalcidem Corinthiorum vrbem

ceperunt, & exscensu è nauibus in terram facto Sicyonios prœlio vicerunt. Athenienses verò, & socij, qui in Ægypto erant, adhuc [*ibi*] manebant, & varia bellorum genera, [*variosq; casus*] experti sunt. Primùm enim Athenienses Ægypto potiebantur: sed [*Persarum*] Rex misit Lacedæmona Megabazum, virum Persam, cum pecuniis, vt Peloponnesiis ad irruptionem in agrum Atticum faciendam impulsis, ab Ægypto etiam Athenienses auerteret. Sed cùm [*res ex animi sententia*] ipsi non succederet, & pecuniæ frustrà consumerentur, Megabazus quidem cum pecuniis, quę reliquæ erant, in Asiam rediit. Megabazum verò Zopyri [*filium*,] virum Persam, cum ingentibus copiis [*eo*] misit, qui terrestri itinere profectus, & Ægyptios, & socios prœlio vicit, & Græcos, Memphide expulit, tandemque in Prosopitide insula [*eos*] conclusit: ac in ea annum integrum, & sex menses obsedit, donec exsiccato fossę alueo, & aqua aliò auersa, effecit vt naues in sicco considerent, & magna insulę pars continentis instar esset: insulamque cum peditatu [*eò*] traiiciens cepit. Sic igitur perierunt res Græcorum, qui bellum [*in Ægypto*] sex annos gesserant. & ex multis pauci per Africam transeuntes, Cyrenem salui peruenerunt: at plerique perierunt. Ægyptus verò in Regis ditionem rediit, præter Regem Amyrtæum, qui in Paludibus regnabat. hunc enim propter paludis magnitudinem expugnare nequiuerunt: simul etiam [*quia*] qui paludes [*illas*] incolunt, sunt Ægyptiorum bellicosissimi. Inarus verò Afrorum Rex, qui fuerat autor omnium harum rerum, quę in Ægypto sunt gestę, per proditionem captus, in crucem est actus. Athenienses verò, aliique socij, qui quinquaginta triremibus vecti, suis succesturi, in Ægyptum nauigabant, rerum gestarum

tum prorsus ignari, ad Mendesium, [*Nili*] cornu appulerunt. Cùm autem [*hostes*] à terra impressionem in ipsos fecissent, & à mari Phœnicum classis [*eos inuasisset.*] pleraſque naues [*illorum*] profligarunt: at pauciores fuga, se retro propipientes, euaserũt. Illa igitur magna Athenienſium, & ſociorum expeditio in Ægyptum facta hunc habuit exitum. Oreſtes autem Echecratidę Theſſalorum Regis filius, ex Theſſalia profugus, Athenienſibus perſuaſit, vt ſe [*in patriam*] reducerent. Athenienſes verò aſſumptis Bœotis, & Phocenſibus ſociis, expeditionem aduerſus Pharſalum Theſſalię ſuſceperunt: & [*tantum*] agri in ſua poteſtate habebant, quantum à caſtris, [*ſigniq́*,] non longè progreſſi [*ſibi parare poterant*,] Theſſalorum enim equites [*eos*] prohibebant) ſed vrbem non ceperũt, nec [*eorum*] aliud quicquam, quorum cauſa illam expeditionem ſuſceperant, ipſis ſucceſſit: ſed cum Oreſte, quem ſecum ducebant, [*domum*] reinfecta redierunt. Nec multò poſt hęc mille Athenienſes, naues conſcenderunt, quæ Pegis erant (ipſi enim Pegas tenebant) duce Pericle Xantippi [*filio*] contra Sicyonem nauigarunt. & exſcenſu è nauibus in terram facto Sicyonios, qui ſecum conflixerant, prœlio vicerunt. cumque ſtatim Achæos aſſumpſiſſent, & in vlteriores partes traiecissent, Oeniadis Acarnaniæ ciuitati bellum intulerunt, eamque obſederunt, ſed tamen non ceperunt: ac domum reuerterunt. Poſtea verò intermiſſo triennio, fœdera quinquennalia inter Peloponneſios, & Athenienſes inita ſunt. Et Athenienſes Græco quidem bello ſuperſederunt: ac cum ducentis tum ſuorum, tum ſociorum nauibus Cypro bellum intulerunt, Cimonis ductu. Atque ex his ſexaginta naues in Ægyptum nauigarunt, quas Amyrtæus, qui

in Paludibus regnabat, accerſiuerat. reliquę verò Citium obſidebant. Sed Cimone vita defuncto, fameque exorta, à Citio receſſerunt: curſumque nauigationis tenentes ſupra Salaminem, quæ eſt in Cypro, cum Phœnicibus, & Cypriis, & Cilicibus naualem, ac pedeſtrem pugnam ſimul commiſerunt. & victoria ex vtroque prœlio reportata domum redierunt. Et naues, quæ ex Ægypto redierant, cum ipſis [*diſceſſerunt.*] Lacedæmonij verò poſt hæc bellum, quod Sacrum appellatur, ſuſceperunt: potitique templo, quod eſt Delphis, [*id*] Delphis tradiderunt. Athenienſes verò, contrà poſt illorum diſceſſum, cum exercitu [*eo*] profecti, & [*Delphis*] ſuperatis [*templum*] Phocenſibus tradiderunt. Interiecto deinde tempore, poſtea cum Bœotorum exules Orchomenum, & Chæroneam, necnon alia quædam Bœotiæ oppida tenerent, Athenienſes cum mille grauis armaturæ militibus ex ſuis, & ex ſociorum [*ciuitatibus.*] prout ſingulis [*aut venire, aut milites pro ſe mittere iuberat*] in illa loca, quæ inimica erant, expeditionem Tolmidæ Tolmæi [*filij*] ductu ſuſceperunt. Et Chæroneam captam, ac direptam, [*& incolis in ſeruitutem abſtractis,*] præſidio [*in ea*] collocato diſceſſerunt. Bœotorum verò exules, & cum ipſis Locri, & Euboenſium exules, & alij quotquot earundem partium erant, Orchomeno facta eruptione illos reuertentes, ad Coroneam inuaſerunt: cumq; [*ipſos*] prælio ſuperaſſent, Athenienſium alios quidem interfecerunt, alios verò, viuos ceperunt. Athenienſes verò totam Bœotiam reliquerunt, inducis ea conditione factis, vt captiuos reciperent. & Bœotorum exules, cæterique omnes [*eo*] reuerſi, rurſus liberi, ſuisque legibus vixerunt. Neque multò poſt hæc Euboea ab Athenienſibus defecit.

fecit. Cùm autem Pericles cum Athenienſium exercitu in eam iam traieciſſet, ipſi nuntiatum eſt Megara defectionẽ [*ab Athenien.*] feciſſe, & Peloponnenſios irruptionem in Atticam facturos, & Athenienſium præſidiarios milites Megarenſibus cæſos, illis exceptis, qui Niſæam confugiſſent. Megarenſes enim Corinthiis, Sicyoniis & Epidauriis aſcitis, defecerunt. Pericles verò confeſtim copias ex Eubœa reduxit. Poſtea verò Lacedæmonij irruptione facta in Atticæ Eleuſina, & Thriaſios campos, [*eos*] populati vaſtarunt, duce Pliſtoanacte, Pauſaniæ Lacedæmoniorum Regis [*filio.*] Nec vlterius progreſſi, domum redierunt. Et Athenienſes duce Pericle in Eubœam rurſus tra iecerunt, totamque ſubegerunt. Et reliquas quidem eius partes deditione certis conditionibus facta in fidem, ac ditionem receperunt, ſed Heſtiæenſibus ſede ſua pulſis, ipſi agrum [*eorum ſibi ſervatum*] tenuerunt. Ex Eubœa autem reuerſi, non multò pòſt cum Lacedæmoniis, Sociisque tricennalia fœdera percuſſerunt, redditis Niſæa, Achaia, Pegis, & Trœzene. Athenienſes enim hęc tenebant, quę ad Peloponneſios pertinebant. Sexto autem anno bellum inter Samios, & Mileſios pro Priene eſt excitatum. Et Mileſij, cùm armis eſſent inferiores, ad Athenienſes profecti, in Samios inuehi cœperunt. Illos autem adiuuabant & ex ipſa Samo nonnulli homines priuati, qui rerum nouarum ſtudio, Reipub. ſtatum immutare cupiebant. Athenienſes igitur cum quadraginta nauibus Samum profecti, ſtatum popularem [*ibi*] conſtituerunt, & obſides à Samiis acceperunt, quinquaginta pueros, totidemque viros, quos in Lemno depoſuerunt, & præſidio [*ibi*] relicto diſceſſerunt. Quidam autem ex Samiis (nonnulli enim erant, qui

[*dominatum populare*m] ferre non potuerant: sed in continentem fugerant) cum potentissimis quibusque ciuibus, qui Sami degebant, & cum Pissuthne Hystaspis [*filio*] qui tunc Sardibus præerat, inita societate, collectisque septingentis fermè auxiliariis militibus, sub noctem in Samum traiecerunt. Et primùm quidem factionem popularem aggressi sunt, & maximam eius partem in suam potestatem redegerunt. Deinde verò suis obsidibus ex Lemno surreptis, defecerunt, & Athenienſium præsidium, & præfectos, quos penes se habebant, Pissuthnæ tradiderunt. Expeditionem etiam in Miletum statim parare cœperunt. Cum illis autem & Byzantij defectionem fecerunt. Athenienſes verò his auditis, cum sexaginta nauibus aduersus Samum profecti; harum quidem sexdecim nauibus non sunt vsi: (aliæ enim in Cariam iuerant, vt Phœnicum naues specularentur; aliæ verò in Chium, & Lesbum, vt auxilia inde euocarent) quatuor verò & quadraginta nauibus, Pericle duce, cum nouem collegis, ad insulam Tragiam cum Samiorum septuaginta nauibus, (in quarum numero erant viginti, quæ milites vehebant, omnes autem Mileto veniebant.) pugnarunt. & Athenienſes victores fuerunt. Postea verò auxilium ipsis tulerunt quadraginta naues Athenis profectæ, & Chiorum, ac Lesbiorum x x v. Et exscensu è nauibus in terram facto, pugnaque pedestri victores, vrbem tribus munitionibus, simul etiam à mari obsederunt. Pericles verò sumptis sexaginta nauibus ex iis, quæ erant in statione, Caunum versus, & in Cariam quàm celerrimè contendit, quia nuntium acceperat Phœnicum naues contra se nauigare. Iam enim & Stesagoras Samo abierat cum quinque nauibus, & alij, aduersus Phœnicum classem. Interea verò

Samij

Samij repentina eruptione nauibus facta, castraq; nullis munitionibus septa aggressi, naues, quę pro castris manebant in statione, profligarunt, & cæteras, quæ contra [*se*] in aciem eductę fuerant, prœlio nauali superarunt, & mare finibus suis proximum per quatuordecim fermè dies in sua potestate tenuerunt, & quæcunque voluerunt, [*in vrbem*] importarunt, & [*indè alio*] exportarunt. Sed reuerso Pericle, nauibus iterum conclusi fuerunt. Postea verò Athenis & aliæ quadraginta naues cũ Thucydide, Agnone, & Phormione, suis subsidio venerunt, & viginti cum Tlepolemo, & Anticle, & ex Chio, ac Lesbo, triginta. Samij autem quandam quidem naualem paruam pugnam commiserunt: sed cùm [*diutius hosti*] resistere non possent, nono mense expugnati sunt, & Athenienſib⁹ sese his conditionibus dediderunt, vt [*vrbis*] muros demolirentur, obsides darent, naues traderent, & pecunias, quę [*in bellum*] fuerant impensæ, certis, statisque temporibus persoluerent, prout ipsis imperatum fuerat. Byzantij quoque compositionem [*cum Athenienſibus*] eà conditione fecerunt, vt illorum imperio, sicut antè, parerent. Iam verò non multis post hęc annis acciderũt ea, quę suprà commemoraui, ea [*videlicet*,] quę cum Corcyræis, & Potidæatis sunt gesta, & quæcunque interea huius belli causa esse cœperunt Hæc autẽ omnia, quę Græci vel inter se, vel aduersus barbarũ gesserunt, intra quinquaginta fermè annos gesta sunt, à discessu Xerxis vsq; ad huius belli initium. Quorũ annorum spatio Athenienses imperium confirmarunt, [*quod foris in socios habebant*,] & ipsi [*domi*] in magnam potentiam prouecti sunt. Lacedæmonij verò, quamuis [*hoc*] intelligerent, [*tamen eos*] non impediebant, nisi aliquatenus, [*ac remisse*,] maio-

remq́ue temporis partem ab armis abstinuerunt (tum quòd vel antè ad bella suscipienda non admodum celeres essent, nisi cogerentur, tum etiam quòd bellis domesticis [*tunc*] impediterẽtur) priusquàm Athenienſium potentia apertè crescere, cœpissent, ipsiq́; suos socios iam aggredi ausi fuissent. Tunc enim rem non amplius ferendam iudicarũt: sed hoc bellum omni studio sibi suscipiendum, totisq́ue viribus in hoc incumbendum, operamq́ue dandam censuerunt, vt [*illorum*,] si possent, potentiam euerterent. Lacedæmonij igitur apud se quidem statuerant fœdera esse fracta, & Atheniensses iniustè facere. Sed [*tamen legatis*] Delphos missis, Deum interrogarunt an res sibi feliciter esset successura, si bellum susciperent. Ille verò (vt aiunt) ipsis respondit, illos, si totis viribus bellum gererent, fore victores. Quinetiam dixit se & vocatum, & non vocatum ipsis adfuturum, [*opemq́; laturum.*] Rursus autem socios accitos in suffragia mittere volebant, vt de bello decernerent, vtrum gerendum esset nẽne. Cùm autem legati à sociis missi venissent, & concilium haberetur, cùm alij dixerunt, quę voluerunt, accusantes pleriq; Atheniensses, & bellum suscipiendum censentes, tum etiam Corinthij, qui vel antè singulas ciuitates separatim orauerant, vt suis suffragijs bellum decernerent, quia Potidææ metuebant, [*& verebantur*] ne prius euerteretur, [*quam ei auxilium ferretur.*] Cùm autem tunc etiam [*illic*] adessent, & postremo loco in medium prodiissent, habuerunt hanc orationem.

CORINTHIORVM CONCIO.

De Lacedæmoniis, ô socij, non amplius conqueri possemus, quasi nec ipsi bellum decreuerint, neque

neque nos nunc ad hoc [*ipsum nostris suffragiis comprobandum*] conuocarint. Decet enim eos, qui præsunt [*aliis*,] quemadmodum ab his maximè coluntur, & cæteris anteponuntur, sic etiam publicis eorum commodis æquè consulere, atque suis ipsorum priuatis commodis consulunt. Quotquot verò de nobis commercium cum Athenienſibus iam habuerunt, non sunt admonendi, vt ab illis caueant. Sed illos potiùs, qui loca mediterranea incolunt, nec in locis maritimis habitant, scire oportet, [*ipsos*,] nisi hominibus loca maritima incolentibus opem ferant, maiore cum difficultate fructus, quos quatuor anni tempora ferunt, [*in suas urbes*] comportaturos, & vicissim [*commodorum, ac*] fructuum, quos maris vsus continenti suppeditat, perceptionem difficiliorem habituros. Nec [*oportet*] eos malos esse iudices rerum, quę nunc [*à nobis*] dicuntur, quasi ad ipsos minimè pertineant, at existimare, si res hominum oram maritimam incolentium neglexerint, calamitatem istam ad se quoque tandem peruenturam, & nunc de se non minus, [*quàm de aliis*] consultare. Quamobrem etiam non oportet eos segnes esse ad bellum pro pace sumendum. Nam virorum quidem modestorum est, quiescere; nisi lacessantur iniuria. fortium verò, si iniuria afficiantur, pacem cum bello commutare: sed si fauore diuino freti rem feliciter gesserint, bello depositio, paceq; facta in gratiam redire. Nec [*oportet quenquam*] felici bellorum successu extolli, neque pacis tranquillitate, ac voluptate captum iniurias perferre. Qui enim propter voluptatem, [*quam ex pacis otio percipit*,] à bello abhorret, is, si quiescat, [*& ab armis abstineat*,] celerrimè priuabitur hac tranquillitatis, [*otiiq;*] iucunditate, propter quam otio, ac desidię indulgens ab

armis abhorret. Qui etiã felici rerũ successu in bellis insoleſcit, is ſe audacia infida, efferri nõ animaduertit. Multa enim malè cõsulta, quũ hoſtes inconſultiores nacta ſunt, felicem exitum habuerunt. & longè plura, quæ rectè conſulta videbantur contrà, turpiter ceciderunt. Nemo enim eodem animi impetu res gerendas exequitur, quo in ipſa conſultatione de his deliberat, fiducia fretus, [*metuq́, vacans:*] ſed cum ſecuritate quidem [*audaciter de rebus futuris*] decernimus: at in ipſa rerum adminiſtratione, cum metu deficimus. Nos verò, qui & iniuriam paſſi ſumus, & multa crimina habemus, quæ [*Athenienſibus*] obiiciamus, nunc bellum excitamus: & poſtquàm Athenienſes vlti fuerimus, hoc opportunè deponemus. Multis autem de cauſis veriſimile eſt nos fore victores, primùm quidem, quia & [*militum*] numero, & rerum bellicarum peritia præſtamus: deinde verò, quia pariter omnes ad imparata faciendum imus. claſſem autem, qua [*illi multum*] pollent, inſtruemus cùm ex priuatis facultatibus, quas ſinguli pro rata parte conferent, tum etiam ex Delphicis, & Olympicis pecuniis. Nam pecuniam mutuati peregrinos illorum nautas maiori mercede [*propoſita*] ſubducere poſſumus. Athenienſium enim copiæ ſunt magis mercenariæ, quàm domeſticæ. ſed noſtris hoc minus contingit, ſiquidem plus corporibus, quàm pecuniis pollent. Quòd ſi [*noſtrorum hoſtium copiæ*] vel vnico nauali prœlio ſuperatæ fuerint, vt veriſimile eſt, capientur, [*ac in noſtram poteſtatem redigentur.* ſed ſi [*nobis*] reſiſtant, nos etiam interpoſito maiori temporis ſpatio res nauticas meditabimur, [*& in eas incumbemus.*] quum autem parem [*illis*] ſcientiam fuerimus aſſequuti, animi certè fortitudine ſuperiores erimus. Nam bonum,

quod

quod nos naturâ insitum habemus, hoc illi disciplinâ nunquam adipiscentur. Id verò, in quo illi propter scientiam præstant, meditatione, [*& exercitatione*] nobis est superandum. Pecunias etiam conferemus, vt [*satis pecuniarum*] habeamus ad ipsas [*res nauticas parandas, & classem instruendam.*] Alioquì facinus indignum fuerit, si illorum quidem Socij, vt seruitutem ipsis seruiant, pecunias conferre non defatigentur; nos verò, vt hostes vlciscamur, & nos ipsi simul seruemur, nullas pecunias consumere velimus, & ne his [*pecuniis*] ab illis priuati, his ipsis malè mulctemur, [*ac opprimamur.*] Adsunt nobis præterea aliæ quoque belli gerendi viæ & sociorum defectio, quæ est præcipua ratio, quæ illorum prouentus subtrahere potest, in quibus sita est ipsorum potentia, & ædificatio munitionum, quæ illorum agrum oppugnent, & multa alia, quæ nullus iam prospicere posset. Belli enim progressus nulla certa lege, [*ac ratione*] fiunt: sed ipsum per se in singulis occasionibus oblatis, [*ex tempore*] multa comminiscitur. In quo is quidem, qui in eo [*administrando,*] moderatè se gerit, [*ita, vt varios eius casus, & calamitates æquo animo ferat,*] constantior, [*ac tutior*] existit. Is verò qui in eo irascitur, [*& qui belli calamitates animo nimis iniquo fert,*] non leuiter offendit. Cogitemus autem, si singulis quidem nostrûm cum paribus aduersariis de agri finibus esset controuersia, hoc ferendum esse. Iam verò Atheniensis & aduersus nos vniuersos satis virium habent, & aduersus singulas [*nostras*] ciuitates, vires longè maiores habent. Quare nisi & frequentes, & per [*singulas*] nationes, & per singulas ciuitates vno [*cunctorum*] consensu ipsos propulsemus, nos diuisos, [*& alios ab aliis separatos,*] sine labore in

ſuam poteſtatem redigent. Et victoriam, [*quam illi à nobis reportabunt*,] licet hoc alicui ſit futurum auditu moleſtum, [*is tamen*] ſciat nihil aliud, quàm ſeruitutem manifeſtè [*nobis*] allaturam. Quod vel dubia oratione commemorare turpe eſt Peloponneſo, & tot vrbes ab vna vexari. Qua in re aut meritò [*hæc*] pati, aut propter ignauiam [*hæc*] perferre, & à maioribus, qui Græciam liberauerunt, degenerare videbimur. Nos verò ne nobis quidem ipſis hoc, [*atque libertatem iſtam*] ſtabilimus: ſed ciuitatem quidem inter [*nos ipſos*] tyrannum fieri ſinimus: tyrannos verò, qui ſunt in vna ciuitate, de medio tollere volumus. Nec intelligimus hæc tribus maximis vitiis non carere, imprudentia, & ignauia, & negligentia. Nec enim ab iſtis [*vitiis*] alieni, acceſſiſtis ad contemptionem, quæ plurimos iam læſit. quæ [καταφρόνησις, i. *contemptio*,] quod multos in errorem induxerit, ἀφροσύνη [i. *ſtultitia*,] nomen [τῆ φρονήσει, i. *prudentiæ*,] contrarium adepta, mutato nomine vocatur. Sed quid opus eſt de præteritis conqueri diutius, quàm quatenus rebus præſentibus expedit? At futurorum [*commodorum*] causâ, [*nos*] rebus præſentibus, [*quæ grauiter laborant*,] opem ferre. & [*pro his conſeruandis*] labores præterea ſubire oportet. Nobis enim patrium eſt virtutes, [*opum, commoda, & gloriam*] laboribus parare: nec mores mutare [*vos decet*,] licet diuitiis, ac potentia nunc aliquantum [*illos*] ſupereris. Nam non eſt æquum, res paupertate partas, diuitiis perdi. ſed [*oportet nos*] confidenter ad [*hoc*] bellum ire, cùm multis aliis de cauſis, tum propter Dei oraculum, & auxilium, quod ſe nobis laturum promiſit, tum etiã quia tota reliqua Græcia, partim metu, partim vtilitate nos adiuuabit. Nec [*ideo*] fœdera priores rumpetis: (quæ vel ipſe

pse Deus, qui bellum fieri iubet, violata censet:) sed potius fœderibus ruptis opem feretis. Non enim qui vim illatam propulsant: sed qui priores aliis vim inferunt, fœdera rumpunt. Quamobrem cùm omnibus de causis bellum vobis honestè suscipere liceat, & nos communiter hæc suadeamus, si modò certissimum [*est*] hæc & rebus publicis, & priuatis conducere, cùm Potidæatis, qui sunt Dorienses, & qui ab Ionibus obsidentur, (quod olim contrà fiebat) opem ferre, tum etiam [*pristinam*] aliorum libertatem recuperare ne cunctemini: quia res nostræ nullam expectationem amplius patiuntur, qua alios quidem, iam iniuriis affici, alios verò, (si cognitum fuerit nos concilium quidem habuisse, sed tamen iniurias illatas propulsare ausos non esse) non multò pòst idem pati sinamus. Sed existimantes, viri socij, vos ad [*hanc belli suscipiendi*] necessitatem deuenisse, simul etiam hæc, quæ à nobis dicuntur, optima esse, bellum iam decernite: non metuentes præsentem, [*ac brevem belli*] asperitatem. sed pacis, quæ diuturnior ex eo est sequutura, cupiditate flagrantes: (nam bello quidé pax magis confirmatur: at propter pacis cupiditatem bellum gerere nolle, non pariter periculo caret) existimantes etiam ciuitatem, quæ in Græcia se tyrannum constituit, æqualiter in omnes esse constitutam, ita vt aliis quidem iam imperet, aliis verò [*mox*] imperare cogitet, [*eam*] armis illatis in ditionem, ac potestatem nostram redigamus, & cùm nos ipsi sine periculis in posterum viuamus, tum etiam Græcos in seruitutem [*ab illis*] nunc redactos, in libertatem vindicemus: Atq; Corinthij quidem hæc dixerunt. Lacedæmonij verò auditis omnium sententiis, omnibus socijs, qui aderant, ordine, maiori

iori pariter, & minori ciuitati, suffragij ferendi potestatem fecerunt. Et maior illorum pars bellum gerendum esse decreuit. Quamuis autem illi hoc apud se constituissent, statim tamen bellum suscipere non potuerunt, quod essent imparati: sed singuli res, quæ forent vtiles, [*& ad bellum gerendum necessariæ*,] parandas, [*ac promendas*,] nec nullam moram interponendam censuerunt. Verumtamen in hoc rerum necessariarum apparatu non integer annus est consumptus: sed minus, antequàm in Atticam irrumperent, & bellum apertè susciperent. Interea verò Legatos ad Athenienses miserunt, vt de illorum iniuriis conquererentur, vt quàm maximam, & speciosissimam belli gerendi causam haberent, si illi nulla in re sibi morem gerere voluissent. Ac primùm quidem Lacedæmonij Legatis ad Athenienses missis imperarunt, vt Deæ piaculum [*vrbe*] pellerent. Piaculum verò huiusmodi fuit. Cylon [*quidam*] Athenienſis fuit, vir, qui in ludis Olympiacis vicerat, inter veteres & generis nobilitate florens, & opibus potens. Vxorem autem duxerat filiam Theagenis, viri Megarensis, qui tunc Megaris tyrannus erat. Cùm autem Cylon Delphis oraculum consuluisset, Deus [*ipsi*] respondit, vt celebertimo Iouis die festo Athenarum arcem occuparet. Ille verò acceptis à Theagene copiis, & amicis persuasis, vbi aduenerunt Olympia, quæ in Peloponneso celebrantur, vrbis arcem occupauit, vt tyrannidem sibi pararet, tum quia putabat [*hunc*] esse maximum illum Iouis diem festum, tum etiam quia [*hunc*] ad se, qui in ludis Olympiacis victor fuisset, nonnihil pertinere [*ducebat.*] Sed vtrum in Attica, an vspiam alibi hic maximus dies festus [*a Deo*] dictus fuisset, nec ipse tunc animaduertit,

neque

neque oraculum [*ei*] declarauit. Nam apud Athenienſes quoque ſunt Dialia, quæ maximus Iouis Meilichij dies feſtus vocantur, [*&*] extra vrbem [*celebrantur.*] In quo ex omni hominum genere, ætate, & conditione multi immolant non veras: ſed ex farinæ ſubactæ maſſa victimas ad veraru fimilitudinem factas, quibus indigenæ vti ſolebant. Sed cùm [*oraculi vim, Deiq; voluntatem*] ſe rectè intelligere exiſtimaret, opus eſt aggreſſus. Athenienſes verò his cognitis, vniuerſi ex agris cõcurrentes opem [*Reipub.*] contra iſtos tulerunt, caſtriſque [*ad arcem*] poſitis [*eos*] obſidere cœperunt. Sed cùm tempus protraheretur, Athenienſes attriti diuturna obſidione, magna ex parte diſceſſerunt, [*arcis*] cuſtodia, rerumque ſumma nouem Archontibus commiſſa, vt [*res illas*] prout optimum fore iudicarent, arbitratu ſuo adminiſtrarent, multisque rationibus reddendis obnoxij conſtituerent. Tunc autem nouem Archontes maguam rerum ad Rempub. pertinentium partem adminiſtrabant. At qui cum Cylone obſidebantur, malè ſe habebant, quia cibi, & aquæ inopia premebantur. Sed Cylon quidem, eiusque frater [*inde clam*] aufugerunt. Cæteri verò, cùm [*fame ſitiq;*] premerentur, quinetiam cùm nonnulli [*eorum*] fame [*iam*] necarentur, ad aram, quæ eſt in arce, ſupplices ſederunt. Sed illi, quibus [*arcis*] cuſtòdia ab Athenienſibus commiſſa fuerat, cùm ipſos in templo morientes viderent, ſurgere iuſſerunt, polliciti fore, vt nullo maleficio ipſos afficerent, & tamen [*illinc*] abductos interfecerunt. Nonnullos etiam, qui ad [*Eumenidum,*] venerandarum Dearum aras ſedebant, obiter interemerunt. Atque hac de cauſa ſcelerati, & impij, quòd ſcelus, ac piaculum in Deam admiſiſſent, tam illi,

quã omnes ab illis oriundi, sunt appellati. Athenienses igitur hos, qui huic piaculo erant obnoxij, in exilium pepulerunt. Cleomenes etiam Lacedæmonius postea cum Athenienſibus ſeditione laborantibus [*eoſdem*] expulit. [*Hi enim*] & viuos expulerunt, & defunctorũ oſſa collecta abiecerunt. Poſtea tamen [*in patriam*] redierunt, eorumque genus eſt adhuc in ciuitate. Hoc igitur piaculum Lacedæmonij [*tunc ab Athenienſibus*] exterminari iuſſerunt, Diis, ſcilicet, primùm opem ferentes, [*& ſcelus, ac piaculum in ipſos admiſſum vindicantes:*] at [*hoc potius fecerunt:*] tum quia ſciebant Periclem Xanthippi [*filium*] huic piaculo propter maternum genus affinem eſſe, tum etiam quia credebant illo expulſo, ea, quæ ab Athenienſibus fieri volebant, ſibi facilius ſucceſſura. Non tamen tam ſperabant hoc illi euenturum, quàm hoc ipſum inuidiam apud populum illi conflaturum, quaſi ob illius etiam calamitatem, [*& piaculum,*] magna ex parte hoc bellum eſſet futurum. Nam cùm potentiſſimus eſſet omnium ſuæ ætatis hominum, [*qui tunc Athenis viuebant*,] cùmque Rempub. administraret, omnibus in rebus aduerſabatur Lacedæmoniis, nec ſinebat Athenienſes [*illis*] cedere: ſed ad bellum [*eos*] incitabat. Athenienſes verò & ipſi vicißim Lacedæmoniis imperarunt, vt illos qui piaculo ad Tænarum admiſſo tenebantur, ex vrbe pellerent. Lacedæmonij enim cùm olim Helotas ſupplices ex Neptuni templo à Tænaro excitaſſent, eos abductos interfecerunt. Quamobrem etiam [*Lacedæmonij*] magnum illum terræmotum Spartę ſibi ipſis accidiſſe putant. Illos præterea piaculum Palladis Chalciœcæ tollere iuſſerunt. Id verò [*piaculum*] huiuſmodi fuit. Poſtquàm Pauſanias Lacedæmonius à Spartanis primùm reuocatus

tus ab imperio, quod in Hellesponto habebat, causaque apud illos dicta, ab ipsis est absolutus, & innocens habitus, publicè quidem ad nullam expeditionem postea amplius est emissus; sed ipse priuatim sumpta triremi Hermionide, sine Lacedæmoniis abiit in Hellespontum, verbis quidem, [*& vt ipse iactabat*,] ad Græcum bellum: re verò ipsa, quia [*susceptum*] negotium cum Rege transigere volebat: quemadmodum & initio [*rem*] aggressus fuerat, Græciæ principatum affectans. Atque hinc primùm beneficium apud Regem collocauit, totius q; rei fecit initium. Cùm enim post suum è Cypro reditum, priore aduentu Byzantium occupasset, (Medi autem, & quidam Regis necessarij, & cognati, qui in eo capti fuerant, id tenebant:) tũc hos, quos ceperat, clàm cæteris sociis ad Regem remisit. Sed rumore, [*quem de illis sparserat*,] ex ipsius manibus aufugerant. In his autem peragendis vsus est opera, & auxilio Gongyli Erietrienſis, cuius fidei & Byzantium, & captiuos commiserat. Misit etiam Gongylum cũ epistola, quam ad ipsum [*Regem*] ferebat. hæc autem in ea continebãtur, ve postea compertum est. Pausanias Spartæ Dux, hos, quos armis cepit, tibi gratificari cupiens, remittit. Habeoque in animo (si tibi quoq; placet) filiam tuam in matrimonium ducere, & Spartam, & reliquam Græciam in tuam ditionem, ac potestatem redigere. Existimo autem me posse hæc peragere, si tecum consilia communicem. si quid igitur horum tibi placet, hominem fidum ad mare mittas, per quem posthac colloquemur, [*& rem transigemus.*] Atque hæc sunt, quę in illa epistola verbis disertissimis continebantur. Xerxes verò lætatus est hac epistola, & Artabazum Pharnaci filium ad mare misit, eumq; iussit accipere prouin-

ciam Daſcylitin, Megabate, qui [*ei*] antè præfuerat, dimiſſo. eiq́ue viciſſim epiſtolam ad Pauſaniam dedit, imperans vt eam Byzantium quàm celerrimè mitteret, illiq́ue ſigillum oſtenderet: &, ſi quid Pauſanias de ſuis negociis mandaret, quàm rectiſſimè, & quàm fideliſſimè conficeret. Ille verò [*eo*] profectus, cùm alia fecit, quemadmodum [*ipſi à Rege*] fuerat imperatum, tũ etiam epiſtolam [*ad Pauſaniam*] miſit. Hoc autem reſpõſum in ea ſcriptum erat. Rex Xerxes Pauſaniæ ſic reſpondet: cùm ob viros, quos mihi trans mare incolumes Byzantio remiſiſti, beneficij gratia in domo noſtra tibi perpetuò manebit repoſita, ſcriptisq́ue nunquam delendis mandata, tum etiam tua verba mihi placent. Ac te neque nox, neque dies remoretur, ita vt remiſsè agas quicquam eorum, quæ mihi polliceris. neque auri, neque argenti impenſis [*hæc*] impediantur, neque [*vlla*] copiarum multitudine, ſi quò ſit veniendum, ſed cum Artabazo viro probo, [*ac fideli,*] quem ad te miſi, meas, tuasq́ue res, prout è dignitate, ac vtilitate vtriuſq; noſtrum maximè eſſe iudicaris, tranſige confidenter. Pauſanias his literis acceptis, cùm magnam autoritatem iam antè apud Græcos haberet, [*& ab illis valde honoraretur,*] propter imperium ad Platæas geſtum, tunc animos longè magis efferre cœpit, nec amplius conſuetis, ac patriis inſtitutis viuere potuit: ſed cultu Medico ornatus prodiit Byzantio, eiusq; per Thraciam euntis latera Medi, & Ægyptij ſatellites, armati ſtipabant. Menſa quoque Perſica ei apponebatur: neq; ſuas cogitationes amplius continere poterat: ſed paucis, leuibusq́ue rebus apertè prodebat res magnas, quas animo conceperat, & poſtea peragere ſtatuerat. Præterea ſe [*cunctis*] aditu difficilem præbebat, & iracundia adeò graui in

omnes

omnes pariter vrebatur, vt [*ad eum*] nullus posset accedere. Quamobrem etiam potissimùm socij ad Athenienſium partes transiuerunt, [*seq, illis adiunxerunt.*] Lacedæmonij verò his auditis, propter hęc ipsa & primùm eum reuocarunt, & postquam iterum. Hermionide naui vectus, ipsorum iniussu, huiusmodi facinora facere videbatur. & Byzantio ab Athenienſibus obsesso per vim pulsus, Spartam quidem nõ reuertebatur: at ipsis nuntiabatur eum sedes ad agri Troiani Colonas posuisse, & consilia cum barbaris agitare, neque [*publici*] boni causa diutiùs [*illic*] manere: ita demum non amplius superſederunt: sed Ephori missò caduceatore, & Scytale, imperarunt, ne à caduceatore discederet. Ilioqui, Spartanos ei, [*vt hoſti,*] bellum indicere, [*significarunt.*] Ille verò, cùm quamminimum suspectus esse vellet, & crimen obiectum se pecunis diluturum speraret, iterum Spartam rediit. Ac primùm quidem ab Ephoris in carcerem est coniectus (Ephoris enim Regem ita tractare licet) deinde verò re [*cum Magiſtratibus*] transacta, postea [*inde*] exiuit, seque reum constituit, & crimina sibi obiecta, cuilibet in iudicio coarguendi potestatem fecit. Spartani verò nullum quidem manifestum signum habebant, neque ipsius inimici, neque vniuersa ciuitas, quo sine dubitatione freti supplicium sumerẽt de viro, qui & regio genere natus, & honore [*magno*] tunc temporis prædituς erat. Nam Pliſtarchi Leonidæ [*filij,*] cùm Rex, & puer adhuc esset, ipse, qui eius erat consobrinus, tutelam gesserat. Multas tamen suspiciones præbebat, cùm ob morum insolentiam, tum etiam ob barbarorum æmulationem, se nolle in præsenti rerum statu acquiescere, [*& pariure, & conditione cum ſuis ciuibus viuere:*] & cùm alias eius actiones accuratè considerabant, ſi

qua in re à moribus receptis, & patriis institutis recessisset, & studia ab his aliena sequutus fuisset, tum etiam quod olim in tripode, qui Delphis erat, quem Græci ex primitiis manubiarum à Medis victis ablatarum [*Deo*] dicauerant, hoc epigramma carmine elegiaco scriptum ipse priuatim inscribendum censuisset,

Postquam Græcorum dux agmina Medica fudit,
Phœbo Pausanias hæc monumenta dedit.

Sed Lacedæmonij hoc epigramma protinus ex tripode tunc deleuerunt, & [*in eo*] singulas ciuitates nominatim inscripserunt, quotquot armis, opibusque coniunctis barbarum profligauerãt, & donum istud [*Deo*] dicauerant. Hoc igitur etiam inter cætera iniusta Pausaniæ facinora numerabatur, & postquã in hoc statu, [*qui suprà declaratus,*] res eius esse cœperũt, [*tunc*] multo magis [*hoc eius factum*] ipsenti [*perduellionis*] cõsilio consentaneũ esse videbatur. Quin etiã audiebant eum aliquid cũ seruis agitare quod verum erat. Libertatem enim & ciuitatem ipsis pollicebatur, si secum [*in cæteros Lacedæmonios*] insurrexissent, summamq; rei secum transegissent. Sed tamen ne sic quidem vllis seruorum indiciis habita fide quicquam noui in ipsum statuere voluerunt, vtentes more, quo erga se ipsos [*vti*] consueuerunt, vt non sint celeres ad aliquid grauius de viro Spartano sine manifestissimis, ac minimè dubiis indiciis decernendum: donec tandem quidam, (vt fertur,) qui postremas epistolas ad Regem scriptas erat ad Arrabazum perlaturus, vir Argilius, qui quondam eius amatius fuerat, idemq; illi fidelissimus, ad eos indicium detulit: territus quadam suspicione, quæ ipsi in mentem venerat, quòd nullus de mandatis ante se missis adhuc rediisset. Quare cum sigillum [*Pausaniæ sigillo*]

illo] simile feciſſet, (vt; ſi opinione ſua deceptus fuiſſet, aut etiam ſi quid ille [*mœa*] mutare vol-iſſet, non agnoſceret,) epiſtolas ſoluit. In quibus ſuſpicatus aliquid huiuſmodi præterea mandatum eſſe, ſe quoque ſcriptum, cæſiq; deſtinatum inuenit. Cùm igitur ille has literas Ephoris tunc oſtendiſſet, vehementius illi quidem, [*quam ante*] crediderunt [*vera eſſe, quæ Pauſaniæ fuerant obiecta:*] ſed tamen cùm præterea ſuis ipſorum auribus aliquid ipſius Pauſaniæ loquentis ore prolatum audire vellent, cúmque ex compoſito vir ille ſupplex ad Tænarum confugiſſet ibiq; tugurium conſtruxiſſet, quod ſepto interpoſito diſclauſum erat, in quo quoſdam de Ephoris abſconderat, cumque Pauſanias ad ipſum veniſſet, & ſupplicationis cauſam ex illo quæreret, omnia planè audiuerunt, dum ille conquereretur de rebus in ſuam perniciem ab ipſo ſcriptis, dum etiam alia ſingulatim declararet, quomodo nunquam in obeundis apud Regem miniſteriis ipſum vllis periculis obiecíſſet, & tamen dignus habitus fuiſſet, qui æquè, atque multi alij ipſius miniſtri, cæderetur. Cùm autem ille & hæc ipſa confiteretur, nec eum propter id, quod tunc acciderat, iraſci ſineret: ſed fidem ei daret, & ex templo impunè ſurgere iuberet, ac oraret vt quàm celerrimè pergeret, nec ſua negotia impediret: tunc verò Ephori [*his omnibus*] diligenter auditis abierunt. cùm autem rem planè compertam iam haberent, eum in vrbe comprehendere conabantur. Fama autem eſt ipſum [*Pauſaniam*,] cùm in via iam comprehendendus eſſet, cumque vnius Ephororum [*adſe*] accedentis vultum conſpexiſſet, cognouiſſe qua de cauſa veniret. cumque alius [*ex Ephoris*] pro beneuolentia, qua ipſum proſequebatur, nutu clandeſtino [*rem ipſi*] ſignificaſſet, ad tem-

plum [*Palladis*] Chalciæcæ cursu se proripuisse, & fuga [*cæteros*] anteuertisse. Fanum autem erat vicinum, & in exiguam templi ædiculam ingressus, ne subdio ages [*variis incommodis*] affligeretur, [*in ea*] se continebat. Illi verò qui eum insequebantur, tũc quidem assequi non potuerunt: sed postea & ipsius ædiculæ tectum sustulerunt, & fores, cum eum intus esse obseruassent, & ingressum circũdedissent, muro obstruxerunt, eumque obsidentes, fame expugnarunt: & cùm animam in ædicula iam esset effaturus, [*illi hac*] re cognita, eum ex templo, vt se habebat adhuc spirantem exportarunt: ille verò exportatus, confestim mortuus est. eum autem in Cæadem deiecturi erant, quò facinorosos homines deiicere solét: sed postea visum est [*ipsis*] eum in aliquo loco propinquo defodere. Sed Deus, qui Delphis est, oraculum postea reddidit Lacedæmoniis, quo iussit eos sepultũ [*Pausaniæ*] cadauer [*eò*] transferre, vbi animam efflauerat: (& nunc in fani vestibulo situm est, quod lapides literis incisis declarant.) & quia hoc ipsorum facinus piaculo non carebat, duo corpora pro vno [*Palladi*] Chalciæcæ persoluêre. Illi verò duas statuas æneas fecerunt, quas pro Pausania [*Deæ*] consecrarunt. Athenienses igitur, quòd vel ipse Deus piaculum [*ab illis admissum*] iudicasset, vicissim & ipsi Lacedæmoniis imperarunt, vt hoc exterminarent. At Lacedæmonij legatis ad Athenienses missis Themistoclem etiã criminabantur, quòd & ipse cum Medis sensisset, quemadmodum fecerat Pausanias, vt ex manifestis indiciis quæstionis de Pausaniæ criminibus habitæ compertum habebant, & petebant vt ille iisdem suppliciis afficeretur. Illi verò, fidem verbis illorum habentes (iam enim Themistocles patria per ostracismum pulsus erat, & Argis quidem habi-

habitabat: sed tamen & per cæteras Peloponnesi partes crebrò commeabat) mittunt vnâ cum Lacedæmoniis, ad illum simul persequendum paratis, quosdam cum mandatis, vt eum adducerent vbicunq; terratum nanciscerentur. Themistocles verò cùm [*rem*] præsensisset, ex Peloponneso in Corcyram profugit, quòd de Corcyræis bene meritus esset. Sed cùm illi dicerent se vereri ne, si ipsum apud se retinerent, in Lacedæmoniorum, & Atheniensium odium, [*ac inimicitias*] incurrerent, in oppositam continentem ab ipsis deducitur. & insequentibus iis, quibus [*hoc*] imperatum fuerat, qui perpetuò sciscitabantur quo nam [*ille*] iret, propter magnam cõsilij inopiam coactus est diuertere ad Admetũ Molossorum Regem, qui nõ erat ipsi amicus. Atque ille quidem tunc fortè domi non erat. Hic verò ab illius vxore, ad quam supplex accesserat, edoctus monetur vt sumpto suo ipsorum filio ad lares sederet. cumq; non multo pòst Admetus rediisset; ei indicauit quis esset. & facinus illo indignum fore dixit, (siquid fortè ipse contra illum dixisset, eiq; Atheniensis oranti aduersatus fuisset,) profugum vlcisci. Se enim in præsentia lõgè imbecilliorem, ab illo, [*qui tunc esset longè potentior,*] læsum iri, sed generosi, [*& excelsi*] esse animi pares, pari conditione vlcisci: simul etiam se quidem illi de commodo quodam, non autem de salute laboranti aduersatum fuisse. Illum verò si se [*suis inimicis*] traderet (cùm dixisset quinam essent, qui se persequerentur, & qua de causa) [*se*] salute, vitaq; priuaturum. Ille verò his auditis, eum cum suo filio, (vt etiam illum tenens sedebat) surgere iussit. hoc autem maximum erat supplicandi genus. Nec Lacedæmoniis, & Atheniensibus [*eò*] non multo pòst profectis, & longa oratione vsis [*eum*] tradere

voluit: sed dimisit, cupientem ad Regem pergere, itinere pedestri, ad alterum mare, ad [*vrbem*] Pydnam, quæ erat Alexandri. Vbi nauem oneratiã nactus, quæ in Ioniam proficiscebatur, eam conscendit, & tempestate delatus est in castra Athenienſium, qui Naxum obsidebant. Et (ignotus enim erat iis, qui in naui vehebantur) territus nauclero declarauit quis esset, & qua de causa fugeret: & nisi se seruaret, dixit se dicturum se ab eo pecuniis adducto duci: periculum autẽ vitari posse, si nullus ex naui exiret, donec idonea nauigandi tempestas sese ipsis offerret. Quod si sibi morem gessisset, dixit se memori animo pro meriti magnitudine gratiam ei relaturum. Nauclerus autem hæc fecit, [*quæ ille perierat,*] & cùm diem, ac noctem in anchoris, & salo stetisset supra [*Athenense.*] castra, postea Ephesum peruenit. Themistocles verò eũ liberaliter est prosequutus pecunias ei largitus, (postea enim pecuniæ ad eum venerunt & Athenis, ab amicis missæ, & Argis, eæ, quæ clàm [*ibi*] depositæ fuerant) & cum quodam illorum Persarum, qui orę maritimæ prę erant, in loca mediterranea profectus, literas misit ad Regem Artaxerxem Xerxis [*filium,*] qui nuper regnare cœperat. Hoc autem in illis literis erat scriptum: Themistocles ad te venio, qui ex omnibus Græcis vnus vestram familiã plurimis affeci malis, quamdiu necessitate [*compulsus*] patrem tuum, qui mihi bellum inferebat, propulsaui. sed longè pluribus beneficiis [*eum affeci,*] postquam mihi quidem tuta, illi verò periculosa reuersio fuit. Et beneficium mihi debetur, ([*Nam Themistocles in his suis literis*] scripserat quòmodo & [*patrem ipsius Regis*] antè monuisset de [*Græcorum*] receptu ex Salamine, & de pontibus non solutis, quos [*à Græcis victoribus*] ruptum iri, propter ipsum tunc

falsò

falsò simulauerat) & nunc ego, qui magnis beneficiis te afficere possum, adsum, quem Græci persequuntur propter beneuolentiam, qua te prosequor. Anno autem supersedens ipse coràm aduentus mei causam tibi declarare volo. Rex verò (vt aiunt) eius consilium, [*& animum*] est admiratus, eumq; ita facere iussit. Hic verò vnius anni spatio, quo supersedit, percepit, [*ac didicit*] quicquid & linguæ Persicæ, & morum illius regionis [*percipere, ac discere*] potuit. Exactoque anno [*ad Regem*] profectus, apud eum magnam autoritatem est adeptus, & quantam nullus vnquam Græcorum [*assequutus fuerat*] cùm propter pristinam [*hominis*] dignitatem, tum etiam propter spem, quam ei præbebat promittens fore, vt Græciam in eius ditionem, ac potestatem redigeret: præcipuè verò quòd prudens esse videretur, suæq; prudentiæ specimen dedisset. Themistocles enim manifestam sui ingenij vim certissimè demonstrauerat, & hac in re, multo maiore admiratione, quàm vllus alius, dignus erat. Nam naturali prudentia præditus erat, nec quicquam aut antè, aut postea didicerat, quod eam augeret, & rerum improuisarum, cũ breuissima deliberatione iudex erat præstantissimus, & futurarum, ac euentus ipsarum plerunque optimus coniector. quę autem in manib⁹ habebat, ea etiam explicare, [*administrare, atq; ad finem perducere*] poterat, quorum verò esset imperitus, ab his commodè iudicandis non erat alienus. quid etiam melius, quidve deterius esset in rebus adhuc obscuris, [*& incertis, ante ipsarum euentum*] optimè prospiciebat. vtque rem totam paucis expediam, & naturæ bonitate, & consilij celeritate, vir iste maximè idoneus fuit ad explicandum ex tempore quæ ad rem facerent, [*& è re essent.*] Morbo autem correptus,

vita est defunctus. Quidam autem aiunt eum sponte etiam hausto veneno decessisse, quod existimasset se non posse præstare quæ Regi promisisset. Itaque monumentum eius extat in foro vrbis Magnesiæ, quæ est in Asia. nam huic regioni præfuit, quam rex ipsi dederat. Magnesiam enim [*ei dederat*] pro pane, quæ quotannis quinquaginta talenta pendebat. Lampsacum verò, pro vino (hoc enim oppidum cæteras illius seculi vrbes vini copia superare videbatur.) Myuntem verò, pro opsonio. Eius autem ossa à propinquis domum, ipsius iussu reportata, & clàm Athenienſibus in agro Attico humata ferũt. Nec enim eum, qui proditionis reus erat, [*ibi apertè*] sepelire fas erat. Pausanias igitur Lacedæmonius, & Themistocles Athenienſis, viri omniũ suæ ætatis Græcorum nobilissimi, hunc exitum habuerunt. Lacedæmonij igitur in prima quidem legatione hæc [*Athenienſibus*] de piaculis tollendis imperarunt, & vicissim [*ab illis*] idem facere sunt iussi. Deinde vero ad Athenienses profecti, imperarunt vt à Potidææ obsidione recederent, & Æginam suis legibus viuere sinerent. In primis verò, & ante omnia apertissimè prædicebant nullum fore bellum, si [*Athenienſes*] decretum de Megarenſibus factum rescinderent: quo Megarensibus interdictum erat portubus in Athenienſium ditione sitis, & Attico foro. Sed Athenienses neque cæteris in rebus morem illis gerere, neque decretum illud rescindere voluerunt, Megarensibus crimini dantes, quòd sacrum, nullisque limitibus finitum solum colerent, quodque seruos fugitiuos reciperet. Tandem verò, cùm postremi legati, Rhamphius, Melesippus, & Agesander Lacedæmone venissent, & nihil aliud dixissent eorum, quæ prius [*dicere*] consueuerant: sed hæc ipsa, [*quæ sequuntur:*] Lacedæmo-

dæmonij pacem esse volunt: erit autem, si Græcos liberos esse, suisque legibus viuere sinatis: Athenienses conuocata concione, omnibus suis ciuibus sententiæ dicendæ potestatem fecerunt: & placuit, semel, habita cõsultatione de summa rerum, respondere tunc autem cùm alij multi in medium progressi verba fecerunt, & in vtranque partem sententiam dixerunt, & bellum suscipiendum, [*& non suscipiendum*,] nec illo decreto pacem impediandam: sed rescindendum: tum etiam Pericles Xantippi [*filius*,] vir illis temporibus primus Athenienſium, & in dicendo, & agendo præstantissimus, in medium progressus, hæc [*Athenienſibus*] suasit.

PERICLIS CONCIO.

In eadem sententia, Athenienses, semper permaneo, Peloponnesiis non esse cedendum, quamuis sciam homines non eodem animi ardore bella administrare, quo ad ea suscipienda inducuntur: sed pro variis rerum euentis sententiam etiam mutare. Video autem nunc etiam res [*superioribus*] similes, & pares mihi dicendas in consilio, quod vobis sum daturus: sed à vobis, qui meam sententiam, [*& autoritatem*] estis sequuturi, peto, vt iis, quę publicè, [*& de communi consilio*] decreta fuerint, si quà fortè in re offendamus, opem feratis. aut etiam, si rẽ feliciter geratis, prudentię laudem ne [*vobis solis*] vendicetis. Vsu enim venire solet vt rerum, [*ac bellorum*] euentus æquè sint fallaces, ac hominum cogitationes. Quamobrem etiam si quid temerè, [*& præter expectationem*] accidit, hoc fortunæ tribuere, eamque culpare consueuimus. Lacedæmonios enim cùm antè nobis insidiatos esse, tum vel maximè nunc [*nobis insidiari*] constat. Cùm enim [*in fœ-*

æteris cõditionibus disertè] sit expressum, de rebꝰ controuersis iudicio vicissim inter nos esse disceptandum, interea verò vtrisque nostrum ea retinenda, quæ iam tenemus, tamen nec ipsi adhuc postularunt, vt [*de nostris controuersijs*] iudicium fieret, neque iudicium à nobis oblatum, [*cui nos subiecimus*,] accipere volunt: sed armis, quàm verbis, crimina diluere malunt, & adsunt vt nobis iam imperent, nec amplius [*veniunt*,] vt [*nobiscum*] expostulent. Imperant enim, vt à Potidææ obsidione recedamus, & Æginam liberam esse, suisque legibus viuere sinamus, & decretum de Megarẽsibus factum rescindamus. Quinetiam qui postremi huc venerunt, percipiunt vt Græcos suis legibus viuere permittamus. Nemo tamẽ vestrum existimet bellum de re leui susceptum iri, si decretum de Megarensibus factum rescindere nolimus. quod illi maximè prætendentes, dicunt nullum fore bellum, si decretum istud rescindatur. Néue apud vos ipsos querelam relinquatis, quasi leui de causa bellum susceperitis. nam hæc leuis, [*& exigua*] res omne [*specimen &*] documentum vestræ constantiæ continet. Quibus si concesseritis [*quod petunt*,] protinus etiam aliquid aliud maius [*vobis*] imperabitur, quasi metu perculsi hac quoque in re morem [*ipsis*] gesturi sitis. Sed si semel ipsis acriter abnueritis [*quæ petunt*,] planum ipsis facietis [*oportere ipsos*] maiore cum æquabilitate vobiscum agere. Hinc igitur statuite vel imperata facere, antequàm vllam cladem accipiatis, vel, si bellum geramus (quod mihi satius esse videtur) nulla, pariter, aut magna, aut parua de causa [*illis*] cedere, neque cum metu retinere [*ea*,] quæ possidemus. Nam siue maxima, siue minima sint ea, quæ aliis ante iudicium à paribus imperantur, eandem vim habent,

habent, & valent ad seruitutis iugum imponendum [*illis qui faciunt imperata.*] Belli verò apparatus, & facultates, [*ac opes,*] quæ vtrisque nostrum adsunt, singulatim audite, vt cognoscatis nos [*his in rebus*] inferiore conditione non futuros. Nam Peloponnesij sunt inopes, [*adeò vt propriis manibus suos agros ipsi colere cogantur,*] nec priuatim, nec publicè pecunias habent. Deinde diuturnorum, ac maritimorum bellorum sunt imperiti, quia propter paupertatem ipsi bellum inter se ad exiguũ temporis spatium gerunt. Huiusmodi, autem homines neque naues [*rebus ad bellum necessarijs*] explere, [*ac instruere,*] neque pedestres exercitus sæpe emittere possunt, tum quòd [*in bello gerendo,*] simul & à re familiari absint, & sumptus de suis priuatis facultatibus faciant, tum etiã præterea, quòd maris vsu [*a nobis*] prohibeantur. Atqui opes magis, quàm violentæ pecuniarum collationes bella sustinent. Homines autem inopes, ad bellum gerendum, corporibus, quàm pecuniis, sunt promptiores. nam illa quidem, ex periculis euasura sperant: has verò, vel ante belli finem absumptum iri persuasum habent præsertim si (quod est verisimile) bellum præter ipsorum opinionem producatur. Nam Peloponnesij, eorumque socij in vno quidem prælio Græcis omnibus resistere possunt: sed cum dissimili aduersariorum apparatu bellum gerere non possunt, tum quia, cùm non vno eodémque concilio vtantur, omnesque par suffragij ferendi ius habeant, nihil ex tempore, celeriterq; peragunt, tum etiam quia, cùm non sint omnes vnius, eiusdemq; gentis, vnusquisque rem suam vrget, [*suoq; commodo studet.*] vnde nihil perfici, & ad finem perduci solent. Nam hi quidem, nonnullos quàm maximè cupiunt vlcisci: alij, verò, res do-

mesticas quàm minimè corrumpi [*volunt.*] cumque post longam cunctationem vix tandem in vnum conueniant, exiguo tamè temporis momento de Repub. consultant: maiorem verò temporis partem in rebus priuatis curandis ponunt. & vnus quisque [*Rempub.*] nihil detrimenti ex hac sua negligentia capere posse putat: sed & aliquem alium esse [*existimat,*] qui [*Rempub.*] curet, eique pro se ipso prospiciat. Itaque eadem omnium priuatorum opinione vniuersam Rempub. perdi non animaduertit. Quod autem maximum est, pecuniarum inopia prohibebuntur, cùm eas ægrè parantes cunctabuntur. sed belli occasiones nullam moram patiuntur. neque verò illorum aut munitionum exstructio, aut classis digna est, quæ metuatur. Difficile enim est vrbi, quæ potentiam nostræ parem habeat, vel in pace huiusmodi munitiones extruere: iam verò [*multo difficilius erit hoc ipsum facere*] in hostico, & [*præcipuè*] cùm nos aduersus illos non minus muniti simus, [*quam illi contra nos.*] Quod si quem locum præsidio firmarint, aliquam quidem agri [*nostri*] partem suis excursionibus, & [*nostrorum*] ad illos transfugiis vastabunt: sed tamen [*hæc munitio, præsidiumq;*] non poterit nos circumuallare. & impedire ne in ipsorum [*agrum*] nauigemus, & (quare pollemus) nauibus [*illos*] vlciscamur. Nam ex vsu rerum nauticarũ plus peritiæ ad prœlia terrestria habemus, quàm illi ex vsu militiæ terrestris ad pugnas nauales. Rerum verò maritimarum scientiam non facilè poterunt adipisci. Nam ne vos quidem, quamuis his [*rebus nauticis*] operam statim à bello Medico [*ad hoc vsque tempus*] studiosè dederitis, [*hanc rerum nauticarum scientiam*] perfectè adhuc estis adepti. Quónam igitur modo homines, qui agriculturæ,

non

non autem rebus maritimis dant operam, præterea quos ne in hoc quidem studio se exercere sinemus, propter assiduas nostræ classis incursiones, [*quæ in illorum agrum fient*,] facinus aliquod [*præclarum, & memoratu*] dignum edent? Nam aduersus quidem paucas naues, quæ incursiones, [*in eos*] facient periculum fortasse subeant, [*nauium hominumq;*] multitudine suam imperitiam audacius confirmantes, sed si multis [*nauibus*] prohibeantur quiescent, [*& ab istarum rerum studio, & exercitatione abstinebunt.*] Et quia se in his non exercebunt, erunt imperitiores, & hac ipsa de causa, cunctantiores etiam, [*& minus audaces*] erunt. At rerum nauticarum peritia, est artis, [*& arte comparatur*,] vt est [*multarum*] aliarum rerum scientia: nec succesiuis operis, & remissa exercitatione, obiter disci potest: imò verò nullius alius rei studium ad eam accedere oportet [*quod ab assidua eius meditatione auertat.*] Quòd si pecunias, quæ sunt Olympiæ, aut Delphis, suo loco moueant, & [*his usi,*] maiore mercede [*proposita*] nautas peregrinos à nobis conductos subtrahere conentur, hoc [*profectò*] graue. [*ac periculosum*] esset, si nos quidem essemus aduersarij, qui cùm ipsi, tum inquilini [*nostri*] naues cõscendere, ipsiq; resistere nõ possemus. Iam verò cũ hoc nobis adest, tùm etiã, (quod est præcipuum) nauiũ gubernatores ex [*nostris*] ciuib⁹ habemus, & alios ministros, & plures, & peritiores, quàm reliqua omnis Græcia. Nec verò ob impendens periculum quisquam externorum militum in animum induxerit, & à patria [*sua*] exulare, & cum minore simul [*salutis, ac victoriæ*] spe propter maius paucorum dierum stipendium, quod ipsis dabitur, illos in bello gerendo iuuare. Ac res quidem Peloponnesiorum tales, & [*si non tales, saltem hu*ius] similes esse

videntur: at nostræ, cùm vitiis illis, quæ in ipsis reprehendi, carere, tum etiam alia [*commoda*] longè maiora habere [*videntur*] Quòd si terrâ nostrum agrum inuaserint, nos [*vicissim*] in illorum [*agrum*] incursiones classe faciemus. Hic verò iactura non erit æqualis, si Peloponnesi aliqua pars [*a nobis,*] & tota Attica [*ab illis*] vastetur. Illi enim nullum alium agrum habebunt, quem alterius, [*qui vastatus fuerit,*] loco sine prælio occupent, [*& quo suo amisso se recipiant.*] nobis verò & in insulis, & in continente amplus est ager. Magna enim res est maris imperium. Considerate autem, [*id, quod dico.*] si enim insulas incoleremus, quinam minus essent expugnabiles? Nunc aurem oportet nos quàm proximè ad istam cogitationem accedentes, agrum quidem, ac ædificia missa facere, [*& pro derelictis habere,*] at mare, vrbemque præsidiis, [*& custodiis*] tueri, neque ipsorum causa [*si vastentur,*] iratos, cum Peloponnesiis, qui sunt longè plures, [*quàm nos*] prælio dimicare. (Nam si [*eos*] vincamus, rursus cum non inferiore [*hostium*] numero confligemus: & si quam cladem [*in prælio*] accipiamus, sociorũ quoque auxilia, vnde nostrum robur pendet, præterea [*nobis*] perierint. nec enim quiescent, [*nec in officio fideq; permanebunt,*] si nos bellũ ipsis inferre nequeamus.) nec villas, & agros, [*qui vastabuntur:*] sed hominũ, [*qui amittentur,*] corpora deplorate [*oportet.*] Nec enim res iste viros: at viri res istas parant, [*& possidet.*] Et si existimaret me [*vobis hoc*] persuasurum, suaderé vt vos ipsi ex vrbe exeuntes has res vastaretis, & Peloponnesiis demonstraretis vos harum rerum causa imperata non facturos. Quanquam & alia multa præterea habeo, quæ mihi magnam victoriæ spem afferunt, si modò vno, eodemq; tempore vestrum imperium propagare, dum bellum

gere-

geretis, & pericula voluntaria [*periculis necessariis*] addere nolitis. Nam domestica nostrorum ciuium peccata magis metuo, quàm aduersariorum cogitationes, [*ac insidias.*] Verùm quæ nã illa sint, planum fiet etiam alias, dum bellum ipsum geretur. Iam verò [*Legatos*] istos cum hoc responso dimittamus: Nos Megarensibus quidem esse permissuros vsum mercatuum, & portuum. si & ipsi Lacedæmonij nobis, sociisque nostris, qui sumus peregrini, suæ ciuitatis vsum permittant. nam neq; illud, neq; hoc in fœderibus prohibetur. Præterea nos etiam permissuros, vt [*Græcæ*] ciuitates liberæ, suisque legibus viuant, si modò liberas, suisq; legibus viuentes [*tunc*] habebamus, quum fœdus est initum: & si ipsi quoque ciuitatibus, quas in sua ditione habent, [*pristinam libertatem*] reddant, ita vt in suis reb. pub. administrandis, ad ipsorum Lacedæmoniorum mores, ac instituta sese accommodare, eaq; sectari non cogantur: sed suo quæque arbitratu viuant. Dicamus etiam nos ex fœderum pactis ad iudicium subeundum paratos esse. nec belli initium nos facturos: at ab ipsis illatum propulsaturos. Hęc enim respõsa sunt simul & iusta & ex dignitate huius Reip. sciendum autẽ est bellum necessariò gerendũ esse quòd si nostra sponte, [*ac voluntate*] potius, [*quam necessitate compulsi,*] bellũ suscipiamus, aduersarios minus [*graues ac*] infestos habebimus. sciendum etiam ex maximis periculis cùm ad Rempub. tum etiam ad homines priuatos, maximos honores redundare. Itaque maiores nostri, qui Medos sustinuerunt, quamuis tãtum imperium, [*quantum nos iam habemus, olim*] non habuerint: sed etiam res, quas possidebant reliquerint, [*tamen*] consilio potius; quàm fortunæ opibus, & confidentia maiore, quàm po-

tentia, cùm ipsum barbarũ repulerunt, tum etiam imperium ad tantam amplitudinem prouexerunt. A quibus [*nostris maioribus*] degenerare non debemus: sed hostes omni ratione, [*totis viribus, & propulsare,*] & vlcisci, operamque dare, vt hoc [*imperium*] non diminutum, [*sed amplificatum*] posteris tradamus. Atque Pericles quidem hæc dixit. Athenienses verò, quòd sibi consilium optimum ab illo dari censuissent, in ipsius sententiam decretum fecerunt, & de illius consilio Lacedæmoniis responderunt, cùm singulatim, vt ille monuerat, tum etiam generatim, se nihil ipsorum iussu facturos: sed se ex fœderũ pactis ad iudicium subeundum, & in eo de controuersiis pari iure, pariúque conditione disceptãdum paratos esse. atq; illi quidem domum redierunt, nec vllam legationẽ amplius postea [*ad eos*] miserunt. Hæ igitur querelæ, & discordiæ inter vtrosque ante hoc bellum extiterunt, statim ex rebus ad Epidamnum, & Corcyram gestis ortæ. Veruntamen dum hæ [*discordiæ*] inter illos adhuc essent, commercia inter se habebant, & alteri ad alteros ibant sine caduceatore quidem: sed non etiam sine suscipione.

Nam ea, quæ fiebant, erant fœderum perturbatio, & belli materia.

FINIS LIB. I.

THV-

THVCYDIDIS, OLORI F. DE BELLO PELOPONNESIACO, Liber secundus.

HINC igitur initium belli inter Athenienses, & Peloponnesios, ac vtrorumque socios gesti iam ducitur, in quo nullis inter se commerciis amplius sine caduceatore miscebãtur: & ex quo id semel susceperũt, id etiam continenter gesserunt. scriptum autem est ordine, prout singula quæq; æstate, atque hyeme sunt acta. Nam tricennalia fœdera, quæ post captam Eubœam inita fuerunt, quatuordecim quidem annos duraverunt: sed quintodecimo anno, cũm Chrysis sacerdos duodequinquagesimum sacerdotij annum Argis ageret, & Æneſias Spartæ Ephorus esset, & Pythodoro, qui tunc Athenis Archon erat, duo præterea menses ad integrum Magistratus annui tempus absoluendum adhuc superessent, sexto mense à pugna ad Potidæam commissa, statim ineunte vere, Thebanorum quidam paulo plures trecentis (ipsis verò præerãt Pythangelus Phylidæ, & Diempõrus Onetoridæ [*filius*,] qui [*tunc*] apud Bœotos summum Magistratum gerebant) circa primum somnum eum armis Platæam Bœotiæ [*vrbem*,] Athenienſium sociam, ingressi sunt. Illos autem [*in vrbem*] induxerunt, & portas [*illis*] aperuerunt quidam Platæenses, Naucides, & qui eiusdem factionis erant, qui, vt pri-

uatam potentiam sibi pararent, ciues sibi inimicos de medio tollere, vrbemq; Thebanis adiungere volebant. Hæc autem egerunt per Eurymachum Leontiadæ [*filium*,] virum Thebanorum potentissimum, Thebani enim, cùm bellum fore præuiderent, Platæam, quæ simultates secum semper gerebat, in pace, belloq; nondum palàm moto, intercipere volebant. quamobrem etiam [*isti*] facilius, clàm ingressi sunt, nulla dum posita custodia armisque in foro positis, illis quidem, à quibus [*in vrbem*] inducti fuerant, morem non gesserunt, ita vt statim rem aggrederentur, & in inimicorum ædes ingrederentur, sed decreuerant & amicis edictis præconis voce promulgatis vti, & ciuitatem potius ad compositionem, & amicitiã adducere. Quare præco edixit, siquis ex patriis Bœotorum institutis eandem belli societatem sequi vellet, apud ipsos arma poneret, [*armisq; sumptis se cum ipsis coniungeret.*] ciuitatem hoc modò sibi facilè adiunctum iri sperantes. Platæenses verò, cùm Thebanos & intus esse, & vrbem repentè, [*præter omnem expectationem, ab illis*] occupatam sensissent, præterriti, & suspicati longè plures ingressos esse (nec enim per noctis caliginẽ [*eos*] cernere poterant) ad compositionem venerunt, & conditionibus acceptis, quieuerunt: præsertim cùm [*hostes*] nihil noui in quenquam molirentur. At dum hæc agerent, quodammodo animaduerterunt non multos esse Thebanos, & si [*illos*] inuaderent, [*à se*] facilè superari posse existimarunt. Nam Platæensis populus ab Athenien sibus deficiebat inuitus. Rem igitur tentandam esse censuit. Quamobrem inter se coibant, suffossis communibus [*ædium*] parietibus, ne, dum per vias commearent, se proderent, [*& ab hoste cõspicerentur.*] plaustraque sine iumentis

in

in vlis ſtatuebãt, vt muri loco eſſent. & cæteta parabant, prout quidque rebus præſentibus vtile fore videbatur. Poſtquàm autem res [*omnes ad hoſtes innadendum neceſſariæ,*] pro facultate [*iam*] paratæ fuerunt, tempore, quo nox adhuc erat, & ipſo diluculi aduentu obſeruato, ex ædibus egreſſi in ipſos inuaſerunt: nec in luce cum illis confidentioribus congrederentur, atque ita [*hoſtes*] pari, [*& æqua*] conditione ſecum certarent: ſed nocturnis tenebris magis perterrefacti, ſuo vſu, & peritia, quam vrbis locorum habebant, inferiores eſſent. Itaque ſtatim [*eos*] inuaſerunt, & ad manus celeriter venerunt. Illi verò, vbi cognouerunt ſe opinione deceptos, inter ſe ipſos conglobabantur, & hoſtium impreſſionem, quâ irruebant, propulſabant, eosq; bis, tértye repulerunt: ſed poſtea, cùm & ipſi [*Plataenſes in illos*] magno ſtrepitu irruerent, & mulieres, atq; domeſtici [*omnes*] ſimul ex ædibus clamores, & vlulatus ederent, eosque lapidibus, & tegulis peterẽt, ſimul etiam cùm illa nocte magna pluuia ingruiſſet, territi fuerunt, & dantes terga, per vrbem fugere cœperunt, licet [*eorum*] plerique, in tenebris, & cœno, ignari eſſent viarum, quâ tranſire, ſeruariq; poſſent, (nam ſub ipſum menſis finem hęc acciderunt, quæ tunc geſta ſunt) & hoſtes inſequentes haberent [*viarum*] peritos, ita vt effugere non poſſent. Quamobrem [*eorum*] plerique perierunt. Quidam autem Platæenſium, [*vrbis*] portas, quâ [*hoſtes*] intrarant, & quæ ſolæ apertæ erant, iaculi ſpiculo, peſſuli loco vſus, & in vectis ſeram iniecto clauſit, ita vt ne hâc quidem exitus pateret. Cùm autem illos hoſtis perſequeretur per vrbem, quidam ex ipſis muros conſcenderunt, & ſe ipſos foras deiecerunt, ac plerique interierunt. Alij verò per portas deſertas, [*quæ nullis cuſtodiis ſeruaban-*

tur,] cùm mulier quædam ſecurim [*ipſis*] dediſſet, clàm, & effracto vecte, non multi exiuerunt. Nam citò reſcitum eſt. Alij verò per vrbem paſſim trucidabantur. Maxima tamen [*illorum*] pars, & præcipuè qui conglobati erant, irruperunt in magnum ædificium, quod erat muro contiguum, cuius fores erant apertæ, exiſtimantes has huius ædificij fores eſſe [*vrbis*] portas, & planè illam viam extra ferre. Platęenſes verò, poſtquàm eos concluſos viderunt, deliberare cœperunt vtrum eos, ita vt erãt, incenſo illo ædificio concremarent, an aliud aliquod pœnæ genus in illos ſtatuerent. Tandem verò & hi, & cæteri Thebani, qui ſupererant, per vrbem vagantes, ſeſe Platæenſibus ea conditione dediderunt, vt & arma [*ipſis*] traderent, & de ſe arbitratu ſuo ſtatuerent. Qui igitur Platææ erant, hunc rerum exitum habuerunt. Cæteri verò Thebani, quos antequam nox abiret, & dies clara illuceſceret, cum omnibus copiis adeſſe oportuerat, ſiquid fortè minus ſuccederet illis, qui vrbem intrarant, cùm ipſis in ipſo itinere nuntius de rebus geſtis allatus fuiſſet, [*ſuis*] ſuppetias veniebant. Platæa autem à Thebis ſeptuaginta ſtadia abeſt, & aqua, quæ illa nocte cœlitus deciderat, effecerat vt iter tardiùs conficerent. Aſopus enim fluuius multus fluxerat, nec facilè trãſiri poterat. Quare per pluuiam iter facientes, fluuioq́ue vix traiecto, ſerò venerũt, cum illorum milites partim quidem iam eſſent interfecti, partim verò viui detinerentur. Poſtquàm verò Thebani intellexerunt id, quod acciderat, Platæenſibus, qui erant extra vrbem, inſidias ſtruxerunt, [*vt eos in ſuam poteſtatem redigerent.*] Nam & homines in agris erant, & ſupellex, quippe quòd hoc malum inopinatum pacis tempore contigiſſet. Volebant enim, ſi quem cepiſſent, eum ſibi eorum

tum loco esse, qui in vrbe detinebantur, si qui modò viui superessent, quos illi captos retinerent. Atque hi quidem hæc in animo habebant. Platæenses verò, cum illi adhuc [*hac de re inter se*] consultarent, suspicati aliquid huiusmodi euenturum, solicitique de ciuibus, qui foris erant, caduceatorem ad Thebanos emiserunt, dicentes, eos neque pièfecisse ea, quæ fecerant, qui stante fœdere suam vrbem occupare conati essent, ipsisque præceperunt vt ab iniuria, & maleficio rerum, [*ac personarum,*] quæ foris erant, abstinerent. alioqui dicebant fore, vt ipsi quoque illorum milites interficerent, quos viuos haberent: sed si illi ex suo agro recederent, hos illis redderent. Thebani autem hæc dicunt, & illos hæc iureiurando confirmasse tradunt. Platæenses verò negant se pollicitos fuisse fore, vt statim captiuos [*ipsis*] redderent: sed colloquia prius habito, si quam compositionem inter se facere potuissent. negant autem se vllo iureiurando vsos fuisse. Thebani igitur ex illorum finibus nulla iniuria facta recesserunt. Platæenses verò, simul ac ex agris omnia [*in vrbem*] comportarunt, confestim captiuos interfecerunt. captiui autem erant numero centum & octoginta, & ex illis vnus erat Eurymachus, cum quo proditores [*de vrbe prodenda*] egerant. His autem peractis, Athenas nuntium miserunt, & militum à se cæsorum cadauera Thebanis data fide publica restituerunt: & res vrbanas, pro præsenti rerum statu, arbitratu suo constituerunt. Rerum autem à Platæensibus gestarum nuntij statim ad Athenienses venerunt. Quare Bœotos quotquot erant in Attica, protinus comprehenderunt, & præconem Platæam cum mandatis miserunt, vt ipsis denuntiaret nequid noui statuerét in Thebanos, quos habebant, antequàm & ipsi ali-

quid de illis statuissent. nondum enim illis nuntiatum fuerat eos iam esse mortuos. nam simul ac Thebani Plataeam sunt ingressi, primus nuntius exierat: at secundus, illis iam victis, & captis. Et Athenienses nihil eorum intellexerant, quae postea contigerunt. Sic igitur Athenienses rerum istarum prorsus ignari [*praeconem eò*] miserunt. Sed praeco cùm [*Plataeam*] peruenisset, viros illos comperit interfectos. Postea autem Athenienses cum exercitu Plateam profecti, & frumentum importarunt, & praesidium in vrbe reliquerunt, & inutilissimos quosque cum foeminis, ac pueris exportarunt. Hac autem re Plataeis gesta, & foederibus apertè ruptis, Athenienses se ad bellum gerendum parare coeperunt. Lacedaemonij quoque, eorum que socij se ad idem & ipsi parare coeperunt, & vtrique legationes ad Regem, & ad alios barbaros erant missuri, si quod auxilium alicunde se sibi adiuncturos sperarent. & societatem coibant cum ciuitatibus, quae erant extra ipsorum imperium. Et Lacedaemonij quidem, praeter illas, quas ibi, [*in agro Laconico, & in sua ditione iam paratas*] habebant, [*alias etiam*] nanes Italiae, & Siciliae ciuitatibus, quae ipsorum partes sequebantur, imperarunt, quas pro ciuitatum magnitudine conficerent, ita vt vniuersarum numerus, & summa esset quingentarum nauium. quinetiam [*illis imperarunt*,] vt certam [*ac imperatam*] pecuniae summam, & res alias [*ad bellum necessarias*] pararent, ita tamen, vt quiescerent, [*& sine magno strepitu, magnoq; motu hoc facerent*,] & Athenienses vnica naui reciperent, docum hae [*omnia*] essent parata. Athenienses verò cum pristinos socios recensebant, tum etiam accuratius in loca circa Peloponnesum legatos mittebant,

bant, in Corcyram, in Cephalleniam, in Acarnaniam, & Zacynthum, quia videbant, si hæc loca sibi essent amica, se tutius circa Peloponnesi fines bellum esse gesturos. [*eosq; facilius in suam potestatem esse redacturos.*] Vtrique autem nihil parui animis versabant: sed totis viribus in hoc bellum incumbebant. Idque non iniuriâ. Omnes enim mortales rerum initia ardentiùs capessere solent. Tunc verò magna iuuentutis copia, quæ in Peloponneso, magna etiam, quæ Athenis erat propter [*rerum*] imperitiam non inuita bellum suscipiebat. Et tota reliqua Græcia animis erat erecta, quòd primæ ciuitates concurrerent. Multa quoque oracula ferebantur, multa vates canebant, tam in iis ciuitatibus, quæ bellum erant gesturæ, quàm in aliis. Præterea Delus etiâ paulo ante hæc tremuit, quæ nunquam antè, post Græcorum memoriam, mota fuerat. Hæc autem & dicebantur, & videbantur esse rerum futurarum prodigia. Et si qua alia huiusmodi signa antè contigissent, omnia vestigabantur. Hominum autem beneuolentia longè maior ad Lacedæmonios inclinabat, præcipuè quòd illi Græciam à se in libertatem vindicatum iri prædicarêt. Et singuli, & priuati, & ciuitates integræ omni opere nitebantur, si quo modo illos aut verbis, aut factis adiuuare possent. Et in eo singuli morem rebus gerendis allatam arbitrabantur, si ipsimet rebus administrandis non interfuissent. Ea erat in dignatio, qua plerique in Athenienses ferebantur, alij quidem, quòd imperio, [*quo ab illis premebantur.*] se liberari cuperent, alij verò, quòd metuerent ne illorum imperio parere cogerentur. Hoc igitur apparatu, atque his animis ad [*bellum vtrique*] concitati ferebantur. Vtrisque autem hæ ciuitates sociæ fuerunt, quū bellum gerere cœperūt. Atq; Lacedæ-

moniorum quidé, hi fuêre socij, omnes Peloponnesij, qui sunt intra Isthmum, præter Argiuos, & Achæos. His enim amicitia cum vtrisque intercedebat. Soli autem ex Achæis Pellenenses primùm [*Lacedæmonios*] in bello gerendo adiuuerunt, postea verò & cæteri omnes [*idem fecerunt.*] At extra Peloponnesum, Megarenses, Locri, Bœoti, Phocenses, Ambraciotæ, Leucadij, Anactorij. Ex his Corinthij, Megarenses, Sicyonij, Pellennenses, Elei, Ambraciotæ, Leucadij classem [*illis*] præbuerunt. equitatum Bœoti, Phocenses, & Locri. cæteræ verò ciuitates peditatum suppeditarũt. Atque hi quidem fuêre Lacedæmoniorum socij. Athenienſium verò, Chij, Lesbij, Platæenses, Messenij, qui Naupactum incolunt. Acarnanum plerique, Corcyræi, Zacynthij, & aliæ ciuitates, quæ inter tot nationes [*Athenienſibus*] erant vectigales. Caria, quæ ad mare est sita. Dorienses Caribus finitimi, Ionia. Hellespontus. Thraciæ vrbes, & insulæ, quotquot intra Peloponnesum, & Cretam ad solem orientem vergunt, & cæteræ omnes Cyclades, exceptis Melo, & Thera. Ex his naues præbuerunt Chij, Lesbij, Corcyræi, cæteri verò peditatum, & pecunias [*suppeditarunt.*] Atque hi fuerunt vtrorumque socij, & apparatus ad bellum. Lacedæmonij verò post res, quę ad Platæas gestæ sunt, statim nuntiis dimissis totam Peloponnesum, & agrum socialem, qui extra [*Peloponnesum*] erat, imperarunt ciuitatibus, vt pararent exercitũ, & res [*ad bellum*] necessarias, quemadmodum parare decebat ad expeditionẽ faciendam extra [*Peloponnesi*] fines, vt irruptionem in Atticam facturi. Postquàm autem [*hæc omnia*] singulis ad præstitutam diem parata fuerunt, ex singulis ciuitatibus duæ partes ad Isthmum conuenerunt. Omnibusque copiis iam in vnum locum coactis,

Archi-

Archidamus Lacedæmoniorum Rex, huius expeditionis dux conuocatis omnium ciuitatum prætoribus, & qui maxima dignitate præditi forent, maximeque digni, qui adessent, in hunc modum est loquutus:

Archidami concio.

Nostri quoq; maiores, Viri Peloponesij, & socij, multas expeditiones tum in ipsa Peloponneso, tum extra [*Peloponnesum*] fecerunt, & qui de nobis ipsis ætate sunt prouectiore, rerum bellicarum non sunt imperiti. Veruntamen nunquã cum apparatu, qui esset hoc maior, [*ex nostris finibus*] sumus egressi. quinetiam aduersus potentissimam ciuitatem nunc proficiscimur, & nos ipsi cum maximo, & robustissimo exercitu bellum illi inferimus. Æquum igitur est nos neque maioribus deteriores esse, neque inferiores gloria, [*famaq;*,] quæ de nobis passim circumfertur. Nam vniuersa Græcia hoc motu mentes expectatione erectas habet, ac animum aduertit, speratque, propter odium, quo Athenienses persequitur, nos ex animi sententia rem gesturos. Quamuis igitur alicui videamur vel maximo cum exercitu contra [*hostes*] proficisci, quamuis etiam illud propemodum pro comperto videatur habendum, eos nobiscum manus conserere nõ ausuros, non tamen ideo oportet nos negligentius instructos cũ illis manus conserere: sed & vnius cuiusque ciuitatis tam ducem, quàm militem, in suo agmine semper expectare aliquem in discrimen esse venturum. Nam conditio bellorum est anceps. & plerumque parua manus magno animi ardore, [*ac impetu, acrius*] confligit, [*quam magnus exercitus.*] sæpe etiam minor manus, quæ timet, maiorem fortius propulsauit,

quòd propter [*hostis*] contemptionem esset imparata. Oportet autem in hostili [*agro*] milites animis quidem semper esse confidentibus: at ad rem gerendam, cum metu paratos esse. sic enim & ad inuadendos hostes animis erunt paratissimi, & aduersus hostium conatus, ac impetum munitissimi. Nos verò aduersus ciuitatem proficiscimur, quæ non est adeò infirma, vt bellum illatum propulsare nequeat: sed quæ rebus omnibus est optimè instructa. Quare omnino credendum est illos pugnam nobiscum esse commissuros. licet iam sese non moueant, quum nondum [*in ipsorum agro*] sumus: at quum res suas in agro [*suo*] à nobis cædi, ac vastari videbunt. Ira enim inuadit omnes, qui suarum rerum aliquam repentinam, ac insolitam cladem in suo conspectu cernunt: & qui ratione minimum vtuntur, summo animi impetu rem aggrediuntur, [*& ad certamen feruntur.*] Verisimile autem est Athenienses omnium maximè hoc facturos, qui censent se dignos esse, qui aliis imperent, & armis infestis aliorum agros vastent potius quã suum [*ab aliis vastari*] cernant. Cùm igitur tantæ ciuitati bellum inferamus, & maximam gloriam tam nostris maioribus, quàm nobis ipsis allaturi simus, in vtranque euentus partem, sequimini quocunque vos aliquis duxerit, ordinis conseruationem, & custodiam, [*qua vobis ab hoste caueatis,*] plurimi facientes, & imperata celeriter excipientes. [*ac exequentes.*] Hoc enim est & pulcherrimũ, & tutissimum, si quum magnus est militum numerus, omnes tamen eandem militarem disciplinam seruantes cernantur. Archidamus hæc tantùm loquutus, & dimisso concilio, primùm, & ante omnia Melesippum Diactrii [*filium.*] virum Spartanum, Athenas misit, [*vt exploraret*] si fortè Athe-

nien-

nienſes [*de ſua pertinacia*] aliquid magis, [*quàm ante*,] remitterent, quum ſe in itinere iam viderent. Illi verò nec in vrbem, nec in publicum [*ciuitatis conſilium*] eum admiſerunt. Periclis enim ſententia iam antè obtinuerat, vt [*Athenienſes*] neque caduceatorem, neque legatum Lacedæmoniorum admitterent, ſi [*Lacedæmonij*] exercitum [*ex ſuis finibus*] eduxiſſent. Illum igitur remiſerunt antequam [*eum*] audirent, & illo ipſo die finibus excedere, & [*hæc ſuis renuntiare*,] iuſſerunt, ſi quid poſterum vellent, in ſua prius regreſſi, legatos mitterent. Huic etiã addiderunt, qui eum deducerent, ne cum quoquam colloqueretur. Ille verò cùm ad [*Atticæ*] fines peruenisſet, & iam iam diſceſſurus eſſet [*ab iis, à quibus deducebatur*,] hoc tantùm loquutus abiit: Hic dies ingentium malorum Græcis erit initium. Cùm autem [*Meleſippus*] ad caſtra rediiſſet, & Archidamus cognouiſſet Athenienſes [*de ſua pertinacia*] nihil amplius remiſſuros, ita demum motis caſtris, cũ exercitu in ipſorum agrum eſt profectus. Bœoti verò ſuam quidem [*militum*] partem, & equites Peloponneſiis dederunt, vt illos ad bellum ſequerentur. cum reliquis verò [*copiis*] ad Platæam profecti, agrum [*eius*] vaſtare cœperunt. Dum autem Peloponneſiorum copiæ in Iſthmum adhuc cogerentur, & in ipſo itinere eſſent, antequàm in Atticum irrumperent, Pericles Xanthippi [*filius*,] Athenienſium dux, decimus ipſe, [*id eſt, cum nouem aliis collegis*,] vt cognouit irruptionem [*ab hoſtibus in Atticam*] factum iri, ſuſpicatus fore, vt Archidamus, qui ipſius erat hoſpes, aut ipſe priuatim, [*& ſua ſponte*,] quòd [*amico*] gratificari vellet, ſuos agros præpius præteriret, ac intactos relinqueret, aut etiam Lacedæmoniorum iuſſu, ad inuidiam ſibi conflandam, hoc faceret,

(quemadmodum eiusdem quoq; causa piacula tolli antè iusserat) Athenienſibus in concione prædixit Archidamum quidem ſibi hoſpitem fuiſſe, nõ tamen Reipub. malo fuiſſe. Niſi autem fundi, villæque ſuæ, vt & cæterorum [*ciuium,*] ab hoſtibus vaſtarentur, ſe hæc Reipub. relinquere, [*& dono dare,*] nec propterea ſe in vllam ſuſpicionem vocandum eſſe [*dixit.*] Quod autem ad res præſentes attinebat, eadem, quæ & antè, ſuaſit, vt & ſe ad bellum pararent, & omnem ſupellectilem ex agris [*in vrbem*] comportarent, neque ad prœlium [*cum hoſte committendum ex vrbe*] egrederentur: ſed in vrbem ingreſſi [*eam cuſtodiis*] tuerentur, & claſſem, qua pollebant, inſtruerent, & ſociorum res manu tenerent, [*ipſoſq; in officio, ac fide continerent:*] docens eorum potentiam ſitam eſſe in vectigalibus, [*& ſtipendiis,*] quæ à ſociis pendebantur, & pleraſq; belli partes, [*ipſamq; victoriam*] conſilio, & pecuniarũ copia obtineri: eosq; cõfidere iubebat, tum q; propemodũ ſexcenta talenta quotannis à ſociis pro tributo Reip. penderentur, præter alios prouentus, tum etiam quòd vel tunc ſex millia talentorum argenti ſignati in arce adhuc eſſent. Nã maxima [*pecuniæ ſumma, quæ fuerat in ærario,*] fuerant decẽ millia talentorum, trecentis minus, vnde pars derracta eſt, quæ in arcis propylæa, & alia ædificia, & in Potidæam, [*ac in ſtipendium eorum, qui eam obſidebant,*] fuit inſumpta. Præterea verò auri, & argenti non ſignati, cùm in priuatis, tum in publicis donariis, & ſacra vaſa, quotquot vel pompis, vel certaminibus ſeruiebant, & Medica ſpolia, & ſiquid aliud huiuſmodi erat, [*hæc omnia*] non minoris erant [*pretij,*] quàm quingentorum talentorum. Præterea addebat etiam ex aliis templis non exiguas pecunias, quibus eos vſuros [*dicebat.*] &, ſi harum omnium

omnium [*pecuniarum*] vsu omnino prohiberentur, aureis etiam ornamentis, quibus ipsius Deæ simulachrum circundatum erat, [*ipsos vti posse demonstrabat.*] demonstrabat autẽ illud simulachrum habere auri purissimi pondus quadraginta talentorum, totumq; inde tollendum. & postquàm [*eo publicæ*] salutis causa vsi fuissent, dicebat oportere [*eos*] non minus auri pondus [*Deæ*] restituere. Quod igitur ad pecunias attinet, illos hoc modo confidere iubebat. Præterea [*dicebat*] esse tredecim millia grauis armaturæ militum, præter illos, qui in præsidiis, & in propugnaculis erant, qui numero erant sexdecim millia. (Tot enim initiò excubabant, quũ hostes irruptionem [*in agrum Atticum*] fecerunt, cùm ex senioribus, tum ex iunioribus, & inquilinis, quotquot erant armati: nam Phalerici muri longitudo erat triginta, & quinq; stadiorum vsque ad vrbis ambitum, & ipsius ambitus ea pars, quæ custodiebatur, erat triũ, & quadraginta stadiorum. Nam & quædam eius pars nullis custodiis seruabatur, [*illa videlicet*,] quæ inter longum [*murum*,] & Phalericum erat media. Longi verò muri ad Piræum vsque, quadraginta stadiorum longitudinẽ habebant, quorum [*murorum*] externæ partes custodiebantur. Et ipsius quidem Piræi vnà cum Munychia vniuersus ambitus erat sexaginta stadiorum: pars verò, quæ custodiebatur, huius erat dimidium) demonstrabat etiam esse mille, & ducentos equites cum hippotoxotis, [*qui sunt equestres sagittarij, qui ex equo sagittas mittunt*]: præterea mille, & sexcentos sagittarios, & trecentas triremes, quæ ad nauigationem aptæ essent. Athenienses enim hæc habebant, & horum singula non pauciora, [*quàm à me sunt dicta,*] quo tempore Peloponnesij primùm irruptionem [*in*

Atticam] erant facturi, & [*quum*] bellum susceperunt. Alia quoq; Pericles recensebat, quemadmodum consueuerat, vt [*Athenienses*] bello superiores fore demonstraret. Athenienses verò his auditis, eius sententiam sequuti sunt, & in vrbem ex agris comportarunt liberos, coniuges, & reliquam supellectilem, quibus domi vtebantur, quinetiá ipsam ædificiorum destructorum materiam absportarunt. Pecora quoque, & iumenta in Eubœá, & circumiacentes insulas transmiserunt. hæc autem migratio ipsis permoleſta accidit: propterea quòd [*eorum* plerique in agris semper degere consueuerant. Hæc autem [*in agris viuendi*] consuetudo vel à peruetustis vsq; temporibus, Athenienſibus magis, quàm [*vllis*] aliis [*Græcia populis*] erat familiaris, [*& vſu longo confirmata.*] Nam sub Cecrope, illisque priscis ad Theseum vsque Regibus, Attica semper oppidatim incolebatur curias, & Magistratus habens. Et quum nihil timebant, ad Regem non conueniebant [*de Repub.*] consultaturi: sed per se quique suam Rempub. administrabant, & consultabant. Quinetiá eorum nonnulli, vt Eleusinij, cum Eumolpo bellum aduersus Erechtheum olim gesserunt. Theseus verò, postquàm regnare cœpit, cùm esset vir non solùm prudens: sed etiam potens, cùm aliis in rebus hanc regionem excoluit, tum etiam cæterorum oppidorum curias, & Magistratus sustulit, & vna curia, vnoque concilio, [*ac Magistratu omnibus assignato, &*] constituto, in eam ciuitatem, quæ nunc est, omnes coëgit. Et singulos, res suas, vt antè, possidentes, vti coëgit hac vna ciuitate, quam (cùm omnes in eam iam conuenirent, & pecuniam ad vſus publicos conferrent) Theseus magnis opibus auctam [*suis*] posteris tradidit. Et ab illo [*tempore*] Athenienses nunc etiam

etiam diem festum, [*nomine*] Πανάθηναια, in Deæ honorem [*solenniter, ac*] publicè agunt, [*vt Minervæ gratias agant quòd se in vnam ciuitatem, vnumq; concilium coëgerit.*] Antè enim illa, quæ nunc est arx, erat vrbs, & potissimùm ea pars, quæ sub ipsa ad Austrũ spectat. [*Huius*] autem [*rei*] manifestum argumentum [*hoc est.*] Nam in ipsa arce sunt & aliorum Deorum delubra, & quæ sunt extra, ab hac vrbis parte potissimùm sita visuntur, Iouis Olympij, & Apollinis Pythij, Telluris, & Bacchi in Limnis, in cuius honorẽ vetustiora Bacchanalia celebrabantur duodecimo die mensis Anthesterionis, quemadmodum nunc quoq; Iones ab Athenienſibus oriundi, ex recepto ritu celebrare solent. Sunt etiã alia vetusta templa hìc ædificata. Fonte etiam, qui nunc quidem Ἐννεάκρουνος, [*id est, nouem fistulas habens,*] appellatur, tyrannorum iussu sic extructus. olim verò Callirhoe vocabatur, quum ipsius venæ & scaturigines extarent quòd arci vicinus esset, in maximis quibusque rebus vtebantur. Et nunc etiã ab antiquis [*vsque temporibus, apud Athenienses*] moribus est receptum, vt ante nuptias, & in aliis rebus sacris hac aqua vtantur. Et nunc etiam propter antiquam hanc habitationem ipsa quoque vrbis arx ab Athenienſibus vrbs appellatur. Athenienses igitur & antè diu in agris suo iure, ac liberi vixerant, & postea, quamuis [*a Theseo coacti*] in vnã vrbem conuenissent, tamen ob illum in agris agendi morem, plerique tam priorum, quàm posteriorum, qui ad hoc vsque bellum cum tota familia in agris fuerant, & habitarant, non facilè [*inde*] migrabant, præcipuè verò quòd post bellum Medicum suam supellectilem nuper refecissent. Grauiter etiam, & iniquo animo ferebant, tum quòd penates, & sacra deserturi essent, quæ perpetuò ipsis

patria fuerant à priscis vsque temporibus, & à statu suæ quorumque ciuitatis. tum etiam quòd vitæ genus essent mutaturi, & nihil [*aliud facturi,*] quàm suam quique vrbem relicturi. Postquàm autem in vrbem migrarunt, exiguo quidem quorūdam numero domus fuerunt, & locus apud aliquos amicos, vel necessarios, quò se reciperent: at [*illorum*] plerique deserta vrbis [*loca*] habitarunt, & templa, & omnia heroum sacella, præter arcem, & Eleusinium, & siquis alius [*locus*] bene clausus erat: & [*templum,*] quod Pelasgicum appellatur, quod sub arcem [*est extructum,*] & in quo propter diras hominum execrationes habitare non licebat; quinetiam quoddam oraculi Pythici carmen in extrema sui parte [*hoc ipsum*] his verbis vetabat, —, satiusq; Pelasgicon haud habitari. Veruntamen ob repentinam necessitatem habitatum fuit. Et oraculum illud mihi videtur cecidisse contrà quàm [*Athenienses*] expectabant. nec enim propter impiam habitationem calamitates Reipub. [*videntur*] accidisse: sed propter bellum ipsa inhabitandi necessitas [*videtur accidisse.*] Oraculum autem, quamuis hoc [*bellum*] nominatim non indicasset, [*tamen*] præuiderat ipsum [*templum*] haud faustè aliquando habitatum iri. Multi etiam in ipsis murorum turribus domicilia sibi pararunt, denique [*in quouis alio loco,*] prout quisque poterat. nec enim vrbs omnes, qui eò conuenerant, capere potuit: sed postea longos muros incoluerunt, eos inter se partiti, magnamque Piræi [*partem.*] Simul etiam res ad bellum necessarias parare cœperūt, tum sociorum auxilia cogentes, & instruentes centum nauium classem, quam in Peloponnesum mitterent. Ac Athenienses quidem in hoc apparatu erant occupati. Lacedæmoniorum verò exercitus progressus ad

Oenoen

Oenoen Atticæ [*castellum*] primùm peruenit, quâ in [*Atticam*] erant irrupturi. Cùm autem [*ibi*] castra posuissent, ad [*illius*] muros machinis, & quouis alio modo oppugnandos sese parabant. Nam Oenoe, quæ est in Atticæ, & Bœotiæ finibus, [*alteram ab altera determinans*,] muris erat cincta, & Athenienses hoc propugnaculo, [*præsidio*$_{q}$] vtebantur, quoties bellum ingrueret. Huius igitur oppugnationem parabant: sed ibi circum ipsam [*Oenoen*] tempus frustrà triuerunt. Et Archidamus propterea in maximam suspicionem incidit, [*& pessime audiuit*,] quòd vel in ipsis auxiliis ad bellum gerendum euocandis lentus, & Athenienſium studiosus esse videretur, qui [*suos cines, socios*$_{q}$] ad bellum alacriter gerendum non adhortaretur. Et postquàm copiæ in vnum coactæ fuerunt, cùm ipsa commoratio, qua ad Isthmum fuerat vsus, tum [*eiusdem*] in reliquo itinere faciendo tarditas, tum etiam præcipuè ad Oenoen cunctatio, magnam ei suspicionem, [*& criminationis materiam*] conflauit. Athenienses enim hoc temporis spacio [*res suas ex agris in vrbem*] importarunt, & Peloponnesij, si celeriter [*eo*] iuissent, res omnes, quæ extra [*vrbem*] adhuc erant, occupare potuisse videbantur, nisi propter illius cunctationem [*hoc facere prohibiti fuissent.*] Exercitus igitur Archidamo propter huiusmodi moram, [*& longam Oenoes obsidionem.*] grauiter erat iratus. Ille verò (vt fertur) ideo se sustinebat, [*istâ*$_{q}$ *cunctatione vtebatur*,] quòd speraret Athenienses, agro adhuc intacto, aliquid [*de sua pertinacia*] remissuros, eiusque vastationem iniquo animo visuros, nec eam facilè passuros. Postquàm tamen Oenoen adorti, omnique [*oppugnationis*] genere tentato, expugnare non potuerunt, & Athenienses nullum caduceatorem [*ad eos*] miserunt: ita demum castris

inde motis, circiter octogesimum diem à rebus, quæ ad Platæam à Thebanis eam ingressis sunt gestæ, vigente iam æstate, maturisque frumentis, in Atticam irruperunt. Archidamus verò Zeuxidami [*filius*,] Lacedæmoniorum Rex, [*illos*] ducebat. castrisque [*in ea*] positis, primùm quidem agrum Eleusinium, & Thriasium campum vastare, [*ac populari*] cœperunt, & nonnullos Atheniensium equites, ad illos [*aquarum alueos*,] qui Reiti vocantur, in fugam verterunt. Deinde verò ad dextram habentes Ægaleon montem, per Cecropiam processerût, donec ad Acharnas peruenerunt, maximum [*totius*] Atticæ oppidum, ex iis, quæ Δῆμοι, [*id est*, *Vici*,] vocantur. Castrisque ad hoc [*oppidum*] positis, copias vallo muniuerunt, & diu illic commorati agrum vastarunt. Hoc autem consilio Archidamus circum Acharnas cum exercitu ad pugnam committendam instructo mansisse, nec illo anno, quo irruptionem [*in Atticam*] fecit, in planitiem descendisse fertur, quòd speraret Athenienses, qui multa iuuentute florebant, & ad bellum vt nunquam antè instructi erât, fortasse obuiam sibi [*ex vrbe*] prodituros, nec in suo conspectu agrum vastari passuros. At cũ nec ad Eleusinẽ, nec ad Thriasium campũ ipsi occurrissent, castris ad Acharnas positis tentare statuit, an contra [*se*] prodire auderẽt. Simul enim hic locus statiuis habendis opportunus ipsi videbatur, simul etiam Acharnenses, qui magna ciuitatis pars erant (erant enim tria militum armatorum millia) non videbantur rerum suarum vastationem neglecturi: sed & cæteros omnes ad prælium committendum impulsuri. Quòd si Athenienses contra suas copias tunc in ipsorum agrum irruptionem facientes non prodiissent, iam minore cum metu, [*ac tutius*] in posterum se & planitiem

nitiem vastaturum, & ad ipsam vrbem accessurum [*sperabat.*] Acharnenses enim suis [*rebus*] priuatos, non ita prōptos fore ad pericula pro aliis subeundum, ideoque discordias in [*ciuium*] animis futuras, [*& seditionem in vrbe excitatum iri.*] Hoc igitur consilio Archidamus ad Acharnas manebat. Athenienses verò, quandiu quidem [*Peloponnesiorum*] exercitus circum Eleusinem, & Thriasium campum subsedit, quandiu etiam aliquam spem habuerunt eos non propius progressuros, memoria tenentes & ipsum Pleistoanactem Pausaniæ [*filium,*] Lacedæmoniorum Regem, cùm quatuordecim ante hoc bellum annis, cum Peloponnesiorum copijs in Atticam irrupisset, ad Eleusinem, & Thriasium campum, nec vlterius progressum, rediisse. Quamobrem etiã Sparta relegatus est, quod pecuniis inductus reuertisse visus esset. Sed cùm exercitum circum Acharnas vidissent, sexaginta stadiis ab vrbe distantem, rem non amplius ferendam censuerunt. Sed cùm in ipsorum conspectu (vt est verisimile) ager vastaretur (quod saltem iuniores, imò ne seniores quidem adhuc viderant, nisi in bello Medico) res ipsis grauis, [*ac intolerabilis*] videbatur. Et cùm aliis, tum verò præcipuè iuuentuti copiæ in hostem educendæ, nec agri vastatio per negligentiam ferenda videbatur. Et cùm in conciliabulis essent, inter se grauiter altercabantur, alij quidem copias in hostem educendas censentes; alij verò, quorum numerus erat perexiguus, hoc fieri non sinentes. Vates quoque multifaria vaticinia canebant, quæ quisque audiebat, [*ac interpretabatur,*] vt animo erat affectus. Et Acharnenses, quòd existimarent non minimam Atheniensium portionem apud se esse, postquam ipsorum ager vastari cœpit, ad eruptionem in hostes

faciendam maximè vrgebant. omnique modo ciuitas erat concitata, & Pericli [*ciues*] erãt irati, nec memores erant vlarũ rerum, quas ille prius suaserat: sed eum vocibus carpebant, quòd cùm imperator esset, tamen copias in hostem non educeret, omniumque malorum, quæ patiebantur, eum autorem sibi esse existimabãt. Pericles verò, cùm eos ob præsentem rerum statum grauiter indignari, nec optimè de rebus sentire videret, cumque persuasum haberet se de eruptione in hostem non facienda rectè sentire, eos ad nullam concionem, nullumque cœtum conuocabat, nequid animi impetu potius, quàm recto consilio congregati peccarent, & vrbem [*præsidijs*] tuebatur, & quàm maximè poterat tranquillam regebat. Semper tamen equites emittebat, ne [*hostium*] antecursores ab exercitu irruentes in agros vrbi vicinos, [*eos*] maleficiis afficerent. & leue quoddam equestre prœlium inter vnam Athenienſium equitum turmam, quibus & Thessali erant adiuncti, & Bœotorum equites, in Phrygiis est commissum, in quo Athenienses, & Thessali non fuerunt inferiores, donec armaturæ grauioris agmen Bœotis subsidio venit, tunc verò illi in fugã sunt versi, & Athenienſium, ac Thessalorum plerique sunt desiderati. Verum tamen illo ipso die sine sequestra pace illos susceperũt, [*ac in vrbem tulerunt.*] Et Peloponesij postero die trophœum statuerunt. Hoc autem auxilium Thessali Athenienſibus ex vetusto societatis fœdere miserunt. ad illos etiam venerunt Lariſlæi, Pharsalij, Parasij, Cranonij, Pirasij, Gyrtonij, Pheræi. Ipsis verò præerant, ex Larisſa quidem, Polymedes, & Aristonous, diuersæ vterque factionis. ex Pharsalo verò, Menon. erant & cæteris [*deinceps*] ex singulis ciuitatibus

sui

sui quique præfecti. Peloponnesij verò cùm Athenienses ad prœlium cum ipsis committẽdum prodire noluissent, motis castris ab Acharnis, nonnullos alios vicos, [*siue pagos*,] vastarunt, qui sunt inter Parnethum, & Brilessum montes. Dum autem isti in Attica essent, Athenienses centum naues, quas instruxerant, & in his mille grauis armaturæ milites, & quadringentos sagittarios circa Peloponnesum miserunt. His autem præerant, Carcinus Xenotimi. Proteas Epiclis, & Socrates Antigenis [*filius.*] atq; hi quidem cum hoc apparatu soluentes è portu vela fecerunt. Peloponnesij verò tandiu in Attica morati, quandiu commeatus ipsis suppeditauit, per Bœotiam, non quâ [*in agrum Atticum*] irruptionem fecerant, [*domum*] reuerterunt. & dum Oropum præterirent, regione nomine Piraicen, quam Oropij Athenienſiũ imperio subiecti colunt, vastarunt. In Peloponnesum verò regressi, in suas quique vrbes discesserunt. Athenienses autem post horum discessum [*custodias. &*] præsidia terra, mariq, [*variis in locis*] dispossuerunt, quæ toto belli tempore [*agrum Atticum*] erãt tutatura. quinetiam ipsis placuit ex pecuniis, quæ in arce erant, mille talenta eximere, & seponere, nec impendere: sed ex aliis ad bellum gerendum sumere. Quòd si quis dixisset, aut decretum fecisset, quo pecunias istas suo loco mouendas, & in alios vsus impendendas censuisset, nisi si hostes classe vrbem inuasissent, & propulsandi essent, pœnam capitalem ei proposuerunt. Centũ etiam triremes vnâ cũ illis [*mille talentis*] seposuerunt quotannis omnium præstantissimas, & præfectos ipsis [*assignarunt*: quarum nulla ad aliud quicquam, nisi cum his ipsis pecuniis, ob idem periculum, si foret opus, vtendum esse [*decreuerunt.*] Athenienses

autem, qui cum centum nauibus circa Peloponnesum erant, & cum ipsis Corcyræi, qui cum quinquaginta nauibus auxilio ipsis venerant, & nonnulli alij socij, qui in illis regionibus habitabant, cùm aliis maleficiis [*agrum hostilem*] præternauigantes affecerunt, tum etiam ad agri Laconici Methonem exscensu ex nauibus in terram facto, adorti sunt muros eius, qui erant infirmi, & intra quos non [*multi*] homines erant. sed fortè Brasidas Tellidis [*filius*,] vir Spartanus, circum illa loca cum præsidio erat. cumque [*rem*] sensisset illis, qui in ea vrbe erant, cum centum grauis armaturæ militibus auxilio venit cumq; per medias Athenienses copias per agrum spartas, & ad [*vrbis*] muros conuersas, cursu transisset, Methonem irrupit, & paucis quibusdam de suis militibus in ipsa irruptione amissis, & ipsam vrbem seruauit, & primus omnium, qui illi bello administrando interfuerunt, propter hoc forte facinus Spartæ collaudatus est. Athenienses verò [*inde*] soluentes abierunt. & cùm ad Phiam Elidis [*vrbem*] appulissent, [*eius*] agrum per biduum vastarunt. & trecentos [*viros*] delectos, qui ex inferiori Elide [*suis*] auxilio venerant, aliosq; Eleos, qui circuncirca illi regioni erant finitimi, pugna [*commissa*] vicerunt. Cæterùm exorto ingenti vento, cum in loco importuoso tempestate iactarentur, plerique quidem [*eorum*] naues conscenderunt, & promontorium, quod Piscis appellatur, circumuecti, in portum, qui est Phiæ, peruenerunt. Interea verò Messenij & alij nonnulli, qui naues conscedere nequierant, terrestri itinere profecti, Phiam ceperunt. Postea verò naues, quæ circumuehebantur, eos recepe-
runt, atque illinc relictâ Phiâ in altum vela fece-
runt. nam magna militum Eleorum manus iam

[*suis*]

[*suis*] subsidio venerat. Athenienses autem in alia loca nauibus delati, obiter [*ea*] vastarunt. Atque sub hoc ipsum tempus Athenienses triginta naues emiserunt, vt Locridem obirent, [*ac eius oram maritimam popularentur*,] simul etiam vt Euboeam tuerentur. his autem præerat Cleopompus Cliniæ [*filius*,] & exscensu ex nauibus in terram facto, cùm nonnulla maritima loca vastauit, tum etiam Thronium cepit, & obsides ab illis accepit, & apud Alopen Locros, qui [*suis*] auxilium tulerant, prœlio superauit. Hac eadem ætate Athenienses Æginetas ex Ægina, cùm ipsos, tum etiam [*ipsorum*] liberos, & coniuges eiecerunt, ipsis crimini dantes, quòd huius belli contra se moti, præcipui autores essent. Simul etiam] *hoc ideo fecerunt, quia*] tutius fore videbatur, si Æginam Peloponneso adiacentem, colonia de suis [*eo*] missa, ipsi tenerent. nec multo pòst colonos in eam miserũt. Æginetis autem eiectis Lacedæmonij Thyream incolendam, & [*eius*] agrum possidendum dederunt, tum ob odium, quo Athenienses prosequebantur, tum etiam quòd de se bene merti essent terræmotus tempore, & bello seruili, [*quum Helotes à Lacedæmoniis defecerunt, seruiq; facta coniuratione dominos inuaserunt.*] Thyreaticus verò ager est medius inter Argiuum, & Laconicum, & ad mare pertinet. Atque alij quidem eorum hìc habitauerunt, alij verò per reliquam Græciam dissipati sunt. Eadem etiam ætate, Calendis Lunaribus, quæ naturali Lunæ cursu contingunt, (quo solo etiam tempore hoc fieri posse videtur) sol defecit pòst meridiem, & ex lunata figura, qua tunc apparuit, cùm nonnullæ etiam stellæ conspicuè apparuissent, tursus ad pristinam sui orbis plenitudinem, ac splendorem rediit. Eadem etiam ætate Nymphodorum Pythei [*filium*,] Abderiten, cuius sororem Sitalces [*ma-*

trimonio coniunctam] habebat, virum, qui magna autoritate apud ipsum valebat. Atheniēses, licet eum prius [*Reipub.*] hostem esse iudicassent, tamen hospitem publicè fecerunt, eumq; accersiuerunt, quòd [*eius opera*] Sitalcem Teræ [*filium*] Thracum Regē sibi adiungere, [*& amicitiam,*] ac societatem cum eo coire cuperent. Hic autem Teres, Sitalcis pater, primus regnum Odrysarum adeò amplificauit, vt cæteros Thracum Reges potentia superarit. nam magna Thracum pars est sui iuris, suisq; legibus viuit. Cum illo autem Tereo, qui Procnem Pandionis filiam ex Athenarum vrbe vxorem duxerat, Teres ille nullo propinquitatis vinculo coniunctus erat, nec [*ambo*] ex eadem Thracia fuerunt. Sed ille quidem, Tereus inquam, habitabat in [*vrbe*] Daulia, quæ est in agro, qui nunc Phocensis appellatur, quem Thraces tunc incolebant. (& in hoc agro mulieres illæ [*poëtarum fabulis celebres*] facinus illud in Ityn perpetrarunt. quinetiam à multis poëtis, qui luscīniæ mentionem fecerunt, hæc auis Daulias cognomento est appellata. Verisimile autem est Pandionem [*cum hoc Tereo, qui ab ipso,*] tam paruo [*locorum interuallo distabat,*] filiæ affinitatem contraxisse, mutui auxilij causa, potius quàm [*cum altero Tere, qui*] multorum dierum itinere ad Odrysas vsque [*ab ipso remotus erat.*]) Sed Teres nec idem nomen habuit, & Odrysarum regnum primus per vim est adeptus. Huius igitur filium Sitalcem Atheniēnses in societatem asciuerunt, Thraciæ oppida, & Perdiccam huius opera sibi adiungere cupientes. Nymphodorus autem Athenas profectus Sitalcis societatem ipsis conciliauit, & Sadocum ipsius [*Sitalcis*] filium Atheniēnsem ciuem fecit, & promisit fore, vt bellū, quod in Thracia gerebatur, sedaret, se enim Sitalcæ per-

ſuaſutum, vt exercitum equitum Thracum, & Peltaſtarum Athenienſibus mitteret. Perdiccam etiam Athenienſibus conciliauit & [*ipſis*] perſuaſit, vt ei Thermen redderẽt. Et cõfeſtim Perdiccas cũ Athenienſibus, & Phormione arma Chalcidẽſibus intulit. Sic igitur & Sitalces Terę [*filius*,] Thracũ Rex, & Perdiccas Alexandri [*filius*,] Macedonum Rex, ſocietatis fœdus cum Athenienſibus fecerunt. Athenienſes verò, qui cum centum nauibus circa Peloponneſum adhuc verſabantur, Solium Corinthiorum oppidum ceperunt, idq; cum agro ſolis Acarnanum Palirenſibus incolendum tradiderunt. Aſtacum quoque, in qua Euarchus tyrannus erat, per vim ceperunt, eoq; [*illinc*] eiecto, vrbem in ſocietatẽ aſciuerunt, & in inſulam Cephalleniam nauibus profecti, [*eam*] ſine pugna in ſuam poteſtatem redegerũt. Cephallenia autem ſita eſt è regione Acarnaniæ, & Leucadis, & in ea ſunt quatuor ciuitates, Pallenſes, Cranij, Samæi, Pronæi. nec multo pòſt hæ naues reuerſæ ſunt Athenas ſub huius æſtatis autumnum, Athenienſes, cùm ipſi tum etiam inquilini cum vniuerſi populi copiis, duce Pericle Xanthippi [*filio*,] in agrum Megarenſem irruptionem fecerunt. Et Athenienſes, qui circa Peloponneſum cum centũ nauibus erant (iam enim in Ægina erant) domũ repetentes, cùm audiſſent ſuos ciues cum vniuerſi populi copiis ex vrbe profectos, & ad Megara eſſe, ad eos nauigarunt, ſeq; cum ipſis iunxerũt. Atq; hic Athenienſium exercitus in vnum collectus [*omnium*] maximus fuit, quòd Reſpublica adhuc floreret, nec dum morbo laborãſſet. nam ipſi Athenienſes non pauciores erant, quàm decem millia grauis armaturæ militũ. Præterea verò ipſis etiam apud Potidæam erant tria militum millia. Inquilini etiam non pauciores tribus millibus grauis armaturæ militum, cum ip-

fis ad illam expeditionem iuerant. Præterea erat alia non parua militum leuiter armatorum turba. magna autem illius agri parte vastata, se receperũt. Quotannis verò Athenienses alias quoque multas irruptiones in agrum Megarensem fecerunt, modò cum equitatu, modò etiam cum vniuersi populi copiis, donec Nisæam ceperunt. Athenienses etiam sub finem huius æstatis Atalantem, insulam apud Locros Opuntios, quæ prius erat deserta, muris cinxerunt, vt esset [*belli*] propugnaculum, ne prædones ex [*vrbe*] Opunte, & aliis Locrorum oppidis nauigantes Eubœã maleficiis afficerent. Atq; hæc quidem hac æstate post Peloponnesiorum ex Attica discessum gesta sunt. sequente autẽ hyeme, Euarchus Acarnam, Astacum redire cupiens, Corinthiis persuasit, vt cum quadraginta nauibus, & mille & quingentis grauis armaturæ militibus [*eò*] profecti se reducerent. Ipse quoq; nonnullos alios milites mercenarios præterea cõduxerat. Præerant autem his copiis, Euphamidas Aristonymi, & Timoxenus Timocratis, & Eumachus Chrysidis [*filius*] & [*illuc*] profecti, [*hominem*] reduxerunt. Cùm autem nonnulla etiam reliquæ Acarnaniæ oppida maritima sibi adiungere vellent, cumque rem tentassent, postquàm] *voti compotes fieri*] non potuerunt, domum reuerti cœperunt. Et cùm pernauigantes ad Cephalleniam appulissent, atq; exscẽsum ex nauibus in Craniorũ agrum fecissent, ab illis per quandam deditionis faciendæ speciem decepti, nonnullos de suis militibus amiserunt, quod Cranij eos ex inopinato inuasissẽt & duriore conditione [*inde*] recedere coacti, domum se receperunt. Eadẽm hyeme, Athenienses patrio instituto publicè humarunt eos, qui in hoc bello primi mortem obierunt. Hic autem fuit humationis,

ac

ac ſepulturæ modus. Triduo antequàm funus efferatur, tabernaculum faciunt, & ſub eo defunctorum oſſa [*omnibus ſpectanda*] proponunt, & vnus quiſque ſuo [*cadaueri munera funebria, &*] inferias affert, ſi quas [*afferre*] velit. quum autem funeris efferendi dies venit, plauſtra adducuntur, quæ arcas ex cupreſſo factas ex ſingulis Tribubus ſingulas portant. In his autem inſunt oſſa ſingularum Tribuum, ex quibus ſinguli ſunt. Vnus autem lectus inanis, ſtratus, fertur illorum cauſa, qui non extāt, & quorum cadauera inter alia cæſorum corpora reperiri, ſuſcipique non potuerunt. Quilibet autem tam de ciuibus, quàm de peregrinis funus proſequitur, & mulieres, quæ cum illis propinquitatis vinculo ſunt coniunctæ, ad ſepulchrum adſunt eiulantes. Hæc autem in publico monumento condunt, quod eſt in pulcherrimis vrbis ſuburbiis. (atque hîc ſemper ſepeliunt eos, qui in bello ceciderunt: illis exceptis, qui in campis Marathoniis obierunt. nam cùm illorum virtutem inſignem eſſe iudicaſſent, in illo ipſo loco, [*in quo ceciderunt,*] ſepulcrūm etiam fecerunt.) Poſtquàm autem [*eos*] humarunt vir aliquis ab ipſa ciuitate delectus, qui & prudentia, & dignitate [*cæteris*] præſtare videatur, orationē illorum laudibus conuenientē ſuper ipſis habet. Poſtea verò diſcedunt. Hoc igitur modo [*Athenienſes ſuorum in bello cæſorum corpora*] ſepeliunt. Et toto belli tempore, quoties [*hoc ipſis*] accidebat, hoc ritu vtebantur. Pericles autem Xanthippi [*filius*] ad hos, qui primi [*tunc*] obierunt, oratione [*funebri*] cohoneſtandos delectus eſt; & poſtquàm tempus [*orationis habendæ*] venit, à ſepulchro in ſuggeſtum, quod excelſum erat, vt quàm longiſſimè per circunſtantem hominum multitudinem exaudiretur, progreſſus, hæc verba fecit:

ORATIO FVNEBRIS.

Multi quidem eorum, qui ex hoc loco verba iam fecerunt, eum laudant, qui hanc orationem [*funebrem*] legi addidit, [*censens*] præclarũ esse eos, qui in bellis ceciderunt, hac oratione decorari. Ego verò satis esse iudicarem, virorum, qui re ipsa, [*factiuę*] fortes extiterunt, honores etiam re ipsa, [*factiuę*] declarari, quemadmodum nunc etiam hanc sepulturam, & funus publicè curatum videtis. nec in vno viro multorum virtutes periclitari, vt perinde ac ipse dixerit, siue bene, siue malè, ita etiam ei fides habeatur. Difficile enim est modum in dicendo tenere, [*ita vt auditori satisfaciat.*] in quo vel ipsa veritatis opinio vix stabiliri potest. Nam auditor, qui rei est gnarus, & qui [*defuncto*] est beneuolus, fortasse existimabit aliquid parciùs declaratum, quàm ipse velit, ac norit, & rei ignarus, nonnulla etiam largius [*defuncto*] tribui putabit, propter inuidiam, si quid supra [*vires, ac*] ingenium suum audiat. Eatenus enim laudes, quæ aliis tribuuntur, sunt tolerabiles, quatenus vnusquisque se quoque aliquid eorum, quæ audiuit, facere posse putat. Sed quum [*auditores*] exuperantiæ [*virtutis*] ipsorum [*defunctorum*] inuident, tunc verò non credunt [*quæ de illis dicuntur.*] Quoniam autem maiores nostri sic iudicarunt, & hęc præclarè se habere consuerunt, oportet me quoque hunc morem sequi, & operam dare, vt quàm maximè potero vniuscuiusque vestrum voluntati, ac opinioni satisfaciam. Initium autem [*orationis*] à maioribus ducam. Æquum enim est, simul etiam decorum, in hac laudatione hunc honorem commemorationis ipsis tribui, [*& honorificam eorum mentionem fieri.*] Nam regionem istam iidem semper incolentes, succe-

succedentibus posteris ad hoc vsq; tẽpus liberã sua virtute tradiderũt. Et illi quidem laude sunt digni: sed patres nostri laudẽ multo maiorem merentur. Nã prẽter res, quas [*à maioribus*] acceperũt, [*tantum*] imperiũ, quantum habemus, non sine labore [*partũ,*] nobis, qui nunc sumus, præterea reliquerunt. Maiorem verò huius [*imperij*] partem nos ipsi, qui hîc adsumus, præcipue verò nos qui nunc etiam sumus integra, & matura ætate, propagauimus, vrbemque rebus omnibus & ad bellum, & ad pacem pertinentibus instructissimam, ac ornatissimam reddimus, ita vt bonis, opibusq; domesticis contẽta, externis subsidiis quàm minimè indigeat. Quorum [*maiorum*] præclara facinora in bellis edita, quibus [*hæc*] omnia sunt parta, aut si quid nos ipsi, aũt patres nostri, bellum à barbaris, aut à Græcis illatum, alacriter propulsantes fecimus, quia apud vos rerum gnaros prolixiore oratione vti nolo, [*hæc*] omittam. Sed quibus studiis ad hoc imperium peruenerimus, & quo Reipub. administrandæ genere, quâve disciplina sit auctum, vbi prius hæc declarauero, tunc & ad istorum laudationem accedam, tum quòd existimem hanc orationem non indecoram fore institutæ huic laudationi, tum etiam quòd vniuerso tam ciuium, quàm peregrinorum cœtui conducere [*iudicem,*] harum [*rerum*] commemorationem audire. Nos enim ea Reipub. administratione vtimur, quæ aliarum ciuitatum leges non æmulatur, [*neque sectatur,*] imò verò nos ipsi nonnullis potius exemplo sumus, quàm alios imitamur. Et nomine quidem vocatur Δημοκρατία, [*id est status, siue dominatus popularis,*] propterea quòd non ad paucorum: sed ad communem vtilitatem, [*Rempub. gerimus, ac*] administramus. Omnes verò ex legum præscripto in pri-

uatis controuersiis fruuntur iuris æquabilitate, & pro dignitate, vt quisque aliqua in re excellit, ita etiam non [*quod sit*] ex [*aliqua ciuium*] parte, potius quàm virtutis gratiâ, in Repub. [*alius*] anteponitur, neque etiam propter paupertatem, ac dignitatis obscuritatem, dummodo aliqua in re ciuitati prodesse possit, [*a Reipub. administratione*] arcetur. Eadem etiam libertate fruimur cùm in Reipub. administratione, tum in mutua quotidianæ vitæ suspicione, non succensentes aliis, si quid ad suam voluntatẽ agant, neq; dolores pœna quidem carentes, sed tamen acerbos, aliorũ oculis proponentes. sed priuata negotia [*inter nos*] sine molestia agẽtes, ea, quę ad Remp. pertinẽt, nullo modo propter metum violamus, illisque, qui sunt in Magistratu, semper obtemperamus, & leges, eas potissimùm, quæ latę sunt, vt auxilio sint hominibus, qui iniuria afficiuntur, atque adeò illas, quæ, licet non sint scriptæ, certã tamen, [*& minimè dubiam*] ignominiam afferunt [*iis, à quibus neglẽguntur, diligentissimè obseruamus.*] Quinetiam ad animos [*relaxandos, &*] à laboribus recreandos plurimas rationes excogitauimus, certaminibus, & sacrificiis anniuersariis, quæ moribus, ac institutis patriis sunt recepta, nos recreantes, & decoro priuatorum apparatu, cuius quotidiana voluptas dolores expellit. Huc autem ex omnibus orbis terrarum partibus omnia propter vrbis magnitudinem importantur. accidítque nobis vt non magis hîc natis, ac domesticis, quàm externis etiam aliorum mortalium bonis perfruamur. Quinetiam rerum bellicarum studiis præstantiores sumus nostris aduersariis, [*vt ex*] his, [*quæ dicam, patebit.*] Nam & vrbem [*nostram*] omnibus communem exhibemus, nec vllis peregrinorum expulsionibus vtentes quenquam vn-

quam

quam à rebus, quæ hic geruntur, aut discendis, aut spectandis arcemus, ex quibus non occultatis, aliquis de hostium numero, si eas viderit, vtilitatem percipere possit. quia insidiosis apparatuum conatibus, & fraudibus non magis confidimus, quàm nostra ipsorum in rebus gerendis fortitudine, [*& animorum præstantia.*] Atq; in disciplinis, hi quidem [*Lacedæmonij,*] statim ab ineunte ætate virtutem exercitatione laboriosa sectantur, [*& discunt.*] Nos verò, quamuis remisso vitæ genere vtamur, nihilo tamen segnius eadem, nec minus ardua pericula subimus. Huius autem rei hoc est argumentum. Neque enim Lacedæmonij per se, [*& cum solis agri Laconici incolis:*] sed cum omnibus [*finitimis ditionis populis, & externis auxiliis*] nostrum agrum inuadunt. Nos verò [*sine externis auxiliis*] aliorum [*agrum*] inuadentes, in alieno [*agro*] eos, qui domi sua tuentur, pugna, quam cum illis committimus, haud difficulter plerunque superamus. Nec vllus hostis in nostras copias frequentes adhuc incidit, simul cùm propter nostrum rerum nauticarũ studium, tum etiam propter copias, quas ex nostrorum ciuium, & subiectorũ numero collectas in diuersa terrarum loca dimittimus. Quòd si vspiam cum aliqua [*nostrarum copiarum*] particula manus conseruerint, & quum aliquos de nostris superarunt, omnes [*à se*] pulsos gloriantur, & quum victi fuerunt, se ab vniuersis victos fuisse [*dicunt.*] Quanquam si otio potius, quàm laborum meditatione, nec legibus magis, quàm generosis moribus pericula subire velimus, nobis contingit, vt & ærumnis, antè quàm veniant, non defatigemur: & quum in ipsas iam venerimus, non minus audaces simus [*in his tolerandis,*] quàm qui perpetuò se macerant laboribus, hinc etiam accidit, vt cùm in

hisce rebus [*antè declaratis.*] tum etiam in aliis nostra ciuitas admiratione sit digna. Nam elegantiæ quidem studemus: [*sed*] cum frugalitate, [*& sine luxu.*]& philosophamur: [*sed*] sine mollitie, [*nec propter huius studium molles euadimus.*] Et diuitiis in rerum gerendarum opportunitate potius vtimur, quàm ad inanem verborum iactationem. neque turpe cuiquam [*est.*] suam paupertatem fateri: sed turpe [*est.*] non [*conari eam*] re ipsa vitare. Et in iisdem [*hominibus*] simul & priuatarum, & publicarum [*rerum*] cura inest. quinetiam aliis, qui agriculturæ dant operam, [*hoc adest.*] vt Reipub. administrandæ non minus. [*quàm cæteri,*] sint periti. Nos enim soli eum, qui rerum istarum nullam habet notitiam, non otiosum: at nullius vsus [*hominem*] esse ducimus. Iidem etiam res rectè iudicamus, & animo concipimus, non existimantes orationem rebus nocere; sed potius orationè non prius doceri, quàm ad res, quæ sunt gerendæ, exequendum accedas, [*hoc detrimento sum ducentes.*] Nã hoc quoque præ cæteris eximium habemus, quòd & iidem maximè audeamus, & quæ [*audemus, ac*] aggredimur, [*ea maximè*] consideremus. quod aliis [*obesse solet. nam*] imperitia quidem audaciam; considerationem verò [*difficultatum, ac periculorum,*] cunctationem, [*& metum*] affert. Illi autem iure fortissimi sunt habendi, qui dura, & mollia manifestissimè cognoscunt, nec tamen propterea à periculis adeundis deterrentur. In iis etiam, quæ ad beneficentiam pertinent, à multis discrepamus. nam non accipientes: sed dantes beneficium, amicos nobis comparamus. Is autem, qui dat beneficium, amicus est constantior, vt debitam [*sibi gratiam, in eo*] tueatur, cui [*beneficium*] beneuolentiæ causa dedit. Sed qui pro beneficio [*accepto gratiam referre*] debet,

debet, est obtusior, [*& in amore minus vehemens,*] quia scit se beneficium non daturum, pro quo gratia sibi sit referéda: sed rem debitam persoluturum. Nos etiam soli non magis habita quæstus ratione, quàm certa liberalitate freti, quoslibet sine mer- iuuamus. Atque vt rem paucis expediam, dico & totam istam ciuitatem esse Græciæ magisterium, & singulos eius ciues, atque eosdem homines apud nos mihi videri ad plurima rerum genera, & cum maxima gratia, maximaque venustate [*totum*] corpus idoneum, [*& artibus ad hæc exercenda necessariis instructum*] exhibere. Quòd autem hæc, quæ in præsentia [*a me*] dicuntur, non magis verborum inani iactatione, quàm rerũ veritate nitantur, hæc Reipub. potentia, quam his studiis parauimus, [*facile*] indicat. Sola enim [*omnium*] earum, quæ nunc extant, famam superans, dato documento cognoscitur, solaque ne hostibus quidem sibi bellum inferentibus indignationem affert, quasi clades accipiunt à ciuitate, quæ minorem & potentiam, & dignitatem habeat, neque populis subiectis conquerendi materiam præbet, quasi viris imperio indignis pareant. Declarata verò nostra potentia non obscuris signis: sed clarissimis testimoniis, ingentem excitabimus admirationem cùm apud nostræ ætatis homines, tum etiam apud posteros, ita vt nec Homerũ præconem simus desideraturi, nec alium quempiam, qui suis quidem carminibus animos in præsentia demulceat, rerum verò gestarum opinione veritatem lædat: sed omnia maria, omnesque terras nostrâ audaciâ nobis patêre coëgimus, & malorum, [*quibus nostros aduersarios,*] & bonorum, [*quibus amicos affecimus,*] sempiterna monumenta à nobis vbique collocata visuntur. Pro tali igitur ciuitate & isti, quòd se hac priuari iniquũ ducerẽt,

fortiter pugnantes occubuerũt. & quẽlibet eorum, qui sunt reliqui, pro ipsa labores alacri animo subire decet. Quamobrẽ etiam orationem de Rep. perduxi, vt doceré non de re pari nobis certamẽ esse, & [*aliis,*] qui nihil horum æquè, [*atque nos,*] habent: simul etiam, vt signis manifestis demonstraré laudem eorum, quos oratione cohonestandos mihi iam proposui. quanquam maxima pars ipsius [*laudationis, quæ res ab ipsis fortiter gestas ornare statueram, a me*] iam est explicata. Nam istorũ, & his similium [*virorum*] virtutes ciuitatem [*rebus illis*] ornarunt, quas ego iam laudaui. Neque multi Græcorum reperiantur, quibus rerum gestarum laudatio tribui possit, quæ sit horũ laudationi æqualis. Nam præsens istorum mors virtutem [*vniuscuiusq;*] viri declarare, & prima indicare, & postrema confirmare mihi videtur. Etenim æquum est illorum, qui cæteris in rebus fuerunt deteriores, [*quàm alij,*] bellicam pro patria fortitudinem primo loco poni, [*ita vt hac in re saltem cæteris anteponantur.*] Nam benefacto malefacti memoriam delentes, publicè plus vtilitatis vniuersæ ciuitati attulerunt, quàm priuatim suis vitiis eam læserunt. Horũ verò nullus diuitiarum fructum, quem se in posterum ex ipsis percepturum speraret, [*virtuti*] anteponens, mollis, [*ac ignauus*] fuit, neque spe paupertatis [*vitandæ,*] quasi hac vitata diues vel posthac esset futurus, pericula alacriter subire recusauit: sed hostes vlcisci flagrantius cupientes, quàm illis bonis perfrui, simul etiam hoc omnium pulcherrimum periculum existimantes, hoc subeuntes, illos quidem vlcisci, hæc verò assequi voluerunt. incertum quidem rei feliciter gerendæ euentum spei committentes, id verò, quod iam cernebatur, in sua ipsorum virtute, eius q; fiducia ponendum cen-

sen-

sentes. Et [*pulcherrimum esse*] existimantes in hoste propulsando vel ipsam mortẽ potius obire, quàm cedendo, salutem sibi parere: verborum quidem dedecus, [*& infamiam*] vitarunt, rem verò ipsam, [*mortemq;*] fortiter tulerunt. & breuissimo temporis spatio, breuissimaq; fortunæ inclinatione, summa potius cum gloria, quàm [*summo*] cum timore de vita decesserunt. Et isti quidẽ ex ipsius Reipub. dignitate tales fuerunt, [*& quales eos esse oportuerat, tales etiam in patriam extiterunt.*] Reliquos verò tutiorem quidẽ, [*ac fortunæ iniquitati minus obnoxium*] optare: sed nequaquam minus audacem in hostes animum habere velle oportet, non oratione sola vtilitatem spectantes, quam apud vos rerum non minus gnaros, [*quàm ego sum,*] aliquis dicendo amplificare posset, recensens quot bona insint in hostium propulsatione: sed potius huius Reipub. potentiam ex rebus, quas quotidie gerit, contemplantes, ita vt ipsius etiam amatores efficiamini. Et quum hæc [*vrbs*] vobis magna esse videbitur, illud cogitate, viros fortes, & qui norant quid facere deceret, quiq; in ipsis rebus gerendis erubescebant, istam rerum potentiam comparasse: & qui, quoties à rei alicuius tentatæ adeptione aberrarũt, non propterea etiam Remp. sua virtute fraudãdam censuerunt: sed ipsi pulcherrimam collectam prolixo, & libenti animo dederunt. publicè enim corpora dantes, [*& pro Reipub. salute vitam profundentes,*] priuatim gloriã non senescentem, [*at immortalem*] acceperunt, & honorificentissimam sepulturam [*sunt adepti,*] non [*eam*] potius, in qua ipsi siti sunt: quam [*eam*] in qua ipsorum gloria, in qualibet rerum vel dicendarum, vel agendarũ occasione, quæ sese offeret, perpetuò celebranda relinquitur. Nam illustrium virorum omnis tellus

est sepulchrum, neque sola cipporum in [*agro*] domestico [*erectorum*] inscriptio [*virtutem eorum*] testatur: sed etiam in alieno [*solo*] memoria nullis mandata scriptis, magis apud animum cuiusque, quàm apud sepulchrum [*in illorum honorem ab hominibus*] extructum perpetuò manet. Quos ipsi nunc imitandos vobis proponentes, & felicitatem existimantes esse libertatem, & libertatem esse animi generositatem, bellica pericula subire ne recusetis. Nec enim homines calamitosi, quibus nulla boni spes adest, vitam potius profundere debent, quàm illi, quibus, si diutius viuant, fortunæ ex secunda in aduersam periculosa, & incerta commutatio est extimescenda; & [*illi præcipuè,*] quorum potissimum maximè interest, si quid offenderint. Nam vexatio cum mollitie coniuncta, viro saltem magnanimo est acerbior, quàm mors sensu carens, quæ cum fortitudine, simul & cum publica spe ipsi contingit. Quamobrem etiam nunc istorum parentes, quotquot adestis, non magis deflebo, quàm consolabor. Hominum enim vitam variis fortunæ casibus obnoxiam esse sciunt. Illi autem felicitatem [*sunt adepti,*] quibus honestissimus vitæ finis, vt nunc istis, vobis verò mœror obtigit, & quibus datum est, vt [*eorum*] vita feliciter acta pariter & finita censeatur. Scio autem difficile esse persuadere vobis, [*vt à mœrore, lachrymisque temperetis, in morte istorum,*] quorum monumenta vel sæpius in aliorũ rebus secundis habebitis, quibus vos quoque quondam exultabatis. nec dolor [*contingit*] quum quis bonis, quæ nunquam est expertus, priuatur: sed quum quis [*eo bono*] spoliatur, quo frui consueuerat. Hoc tamen spe aliorũ quorum liberorum tolerandum est illis, qui per ætatem liberos adhuc suscipere possunt. Nam futura

soboles & priuatim defunctorum obliuionē nonnullis afferet, & Reipub. bifariam [*proderit,*] tum quia [*ad vrbis frequentiam,*] ne deserta relinquatur, tum etiam quia ad [*eius*] præsidium proderit. Fieri enim non potest vt, qui liberos non habent, quos [*pro patria*] periculis obiiciant, perinde [*atq; isti fecerunt,*] recta, tutaque consilia in publicis consultationibus Reipublicæ æquè præbeant. Quotquot verò ætate iam prouecta estis, vitam actam, quæ fuit longior, & in qua floruistis, loco lucri ducite, & reliquam, breuem fore existimate, & istorum gloriâ dolorem leuate. solum enim honoris, [*& veræ gloriæ*] studium non senescit. Neque in ea ætatis infirmitate, quæ hominem reddit inutilem, quæstus, vt nonnulli dicunt, magis delectat, quàm ipse honor, quo quis ornatur. Liberis autem, & fratribus istorum, quotquot hîc adestis, magnum certamen [*propositum esse*] video. Eum enim, qui fato functus est, quilibet laudare solet. Et vix vestræ virtutis exuperantia [*hoc assequi poteritis, vt*] non pares illis: sed paulo inferiores iudicemini. Nam liuor est inter æmulos, [*& pares,*] quandiu viuunt. Sed id, quod nullis est impedimento, [*& is qui iam obiit, nec vllum aduersarium amplius habet,*] beneuolentia non æmula colitur. si quam autem & de virtute mulierum, quæ in viduitate nunc erunt, mentionem me facere oportet, breui adhortatione rem totam complectar. Nam gloriam magnam adipiscemini, si à pristina vestra natura, [*sexuq;*] non desciueritis, & si operam dederitis, vt quàm minimum rumoris siue in bonam, siue in malam partem de vobis inter mares disseminetur. Exposui ego quoque oratione, ex legis præscripto, quæcunque ad rem præsentem facere iudicaui, & re ipsa, qui sepeliuntur, partim

quidem iam sunt ornati, partim verò, illorum liberos ciuitas publicè alet ad pubertatem vsq; , vtilem profectò & istis, & posteris coronam huiusmodi [*bellicorum*] certaminum proponens. Nam apud quos maxima virtutis præmia proponuntur, in horum etiam ciuitate viri præstantissimi versantur. Iam verò, posquàm vestros quiq; necessarios deploraueritis, abite. Huiusmodi igitur funus hac hyeme factum est. hac autem exacta primus huius belli annus est absolutus. Æstate autem statim ineunte, Peloponnesij, eorumq; socij cum duabus [*copiarum*] partibus, vt & ante, in Atticam irruperunt, (Archidamus verò Zeuxidami [*filius,*] Lacedæmoniorum Rex, illis præerat) castrisque in ea positis agrum vastabant. cumque nondum multos dies in agro Attico mansissent, morbus Atheniensis primùm aggredi cœpit, quanquam & antè cùm in multas alias regiones inuasisse ferebatur, tum etiam in Lemnum, & alia loca. veruntamen neq; tanta pestilentia, neq; tot hominũ interitus vspiam accidisse memorabatur. nec enim medici propter [*morbi*] ignorantiam initiò [*ægrotis*] mederi, [*eosq; sanare*] poterant: sed ipsi potissimùm [*eo*] magis interibant, quò magis [*ad ægrotos*] accedebant, nec vlla alia hominum ars [*illis opem, ac salutem ferre poterat.*] Omnes etiam supplicationes ad [*Deorum*] templa factæ, & omnis opera, qua aut in oraculis scisciandis, aut in aliis huiusmodi rebus vsi fuerant, [*hæc*] omnia nullius erant vsus, tandemque victi magnitudine mali, hæc missa fecerunt. Primùm autem [*hic morbus,*] (vt fertur) initium duxit ex Æthiopia, quæ est supra Ægyptum, deinde verò & in Ægyptum, & Africam descendit, & in magnam partem regionis Regis [*Persarum,*] Athenas verò repente inuasit, ac primùm

[*qui-*

[*quidem*] in Piræo homines tentauit, ita vt ab his etiam rumor disseminatus fuerit, venena à Peloponnesiis in puteos deiecta fuisse: nondum enim fontes illic erant. Deinde verò & in superiorem vrbem processit. & longè plures tunc moriebantur. Pronuntiet autem de eo [*morbo,*] vt quisque sentit, tam artis medicæ peritus, quàm imperitus, vnde verisimile videtur eum extitisse, & quas causas fuisse putet, quæ tantæ mutationis faciendæ vim habuerint. Ego verò, & cuiusmodi fuerit, dicam, & quæ sibi quisq; proponens, si quando rursus etiam [*hic morbus*] ingruat, iam prædoctus, aliquid habeat, ex quo præcipue [*eum*] cognoscat, hæc declarabo, tum quia ego ipse hoc morbo laboraui, tum etiam quia alios hoc laborantes ipse vidi. Nam annus ille (vt vel omnium confessione constabat) omnium [*superiorum*] saluberrimus, & aliorum morborum maximè immunis erat. quod si quis & antè aliquo alio morbo laborabat, omnes [*hi morbi*] in istum conuertebantur. Alios verò, qui corpore sano erant, nulla certa, manifestaque causa apparente: sed ex improuiso primùm quidé acres capitis feruores, & oculorum rubores, & inflammatio corripiebat. Et intestina, & fauces, & lingua continuò cruenta erant, & halitum tetrum, & graueolentem emittebant. Deinde verò ex his sternutatio, & raucitas sequebatur: nec multo pòst hic dolor cum vehementi tussi in pectus descendebat. Vbi verò in corde hæserat, cùm ipsum subuertebat, tum etiam omnes bilis eiectiones, quæ à medicis nominãtur, cum ingenti & ipsæ cruciatu, sequebantur. Et inanis singultus plerosque inuadebat, vehementem afferens conuulsionem, qui in nonnullis quidem statim, in nonnullis verò, vel multo pòst sedabatur. Et corpus quidem externum

tangenti, non erat admodum calidum, neque pallidum, sed subrubrum, liuidum, paruis pustulis, & vlceribus efflorescens. Internæ verò corporis partes adeò flagrabant, vt ne subtilissima quidem stragula, vel lintea iniecta, nec aliud quippiam nisi nuditatem ferre possent, & libentissimè in aquas gelidas se coniicere cuperét. Et multi eorum, quibus nullus erat custos, hoc ipsum etiam fecerunt, & in puteos se deiecerunt, siti infedabili obsessi. Et largior potus perinde erat ac parcior. Et corporis vexatio, quæ quiescendi facultatem adimebat, & perpetuæ vigiliæ [*eos*] vrgebant. Corpus etiam ipsum quandiu morbus vigebat, non languebat: sed præter [*omnem hominum*] opinionem cruciatui resistebat. Itaque plerique intra nonum, aut etiam septimum diem, propter internum ardorem interibant: aliquid virium adhuc retinentes, aut, si [*hoc temporis spacio præterito mortem*] vitassent, [*tamen*] quia morbus in ventrem inferiorem descendebat, & exulceratio vehemens in ipso nascebatur, simul etiam quia immoderatum alui profluuium [*ægrotos*] inuadebat, plerique postea propter debilitatem interibant. Morbus enim, qui primas in capite sedes collocarat, per totum corpus, initio à summis partibus ducto, peruadebat. Et si quis ex maximis illis [*periculis*] euasisset, extremæ tamen corporis partes, quæ captæ, læsæque remanebant, eum hoc morbo laborasse testabantur. Nam [*morbus iste*] in ipsa quoque pudenda, & in summas manus, summosque pedes prorumpebat. multique his membris capti [*mortem*] vitarunt, nonnulli etiam oculis [*amissis euaserunt.*] Nonnullos etiá simul ac ex morbo conualuerunt, statim omnium rerum obliuio pariter, cepit, ita vt neque se ipsos, neque necessarios agnoscerét. Cùm enim hoc morbi genus mul-

to

to fuerit atrocius, quàm quòd oratione possit exprimi, cùm aliis in rebus grauius, quàm vt humana natura ferre possit, singulos inuasit, [*ac præsit.*] tum etiam hoc [*indicio*] maximè declarauit se aliquid aliud esse, quàm aliquod familiarium, [*& consuetorum morbornm genus.*] Nam alites, & quadrupedes, quotquot humanis cadaueribus vesci solent, cùm multa iacerent insepulta, [*tamen*] aut [*ad hæc*] non accedebant, aut, si gustassent, interibant. Huius autem rei est argumentum. nam huiusmodi auium manifestus fuit defectus, nec vspiam alibi, nec circum vlla huiusmodi [*cadauera*] visebantur. Canes verò, propter consuetudinem, quam cum hominibus habebant, maiorem euentus significationem dabant. Hic igitur morbus (vt omittam multa alia inusitatæ atrocitatis [*genera,*] prout vnicuique aliquid accidebat diuersum ab eo, quod alteri contingebat.) omnino specie talis fuit. Et tunc temporis nullus alius [*morbus*] ex consuetis [*Athenienses*] infestabat. quòd si quis exoriretur, in hunc desinebat. Peribant autem, alij quidem, penuria eorum, à quibus curarentur, alij verò, vel diligentissimè curati. Nec vllum prorsus remedium, vt ita loquar, repertum est, quod adhibitum prodesset. Quod enim alteri profuerat, hoc ipsum alteri nocebat: nullumque corpus, siue firmæ, siue infirmæ valetudinis esset, tanti mali violentiæ resistere potuit: sed omnia pariter, vel ea, quæ omni victus ratione curabantur, corripiebat, [*ac absumebat.*] Illud verò in toto hoc malo grauissimum erat, tum quòd, simul ac quis se morbo correptum sensisset, animo consternaretur, (statim enim animo ad salutis desperationem conuersi, multo magis se ipsos proiiciebant, [*ac deserebant*,] neque [*morbo*] resistebant:) tum etiá, quòd propter mali contagionem,

quam alter ex alterius curatione hauriebat, adeò vt ea oppleretur, tanquam pecudes morerentur. atq; hæc fuit præcipua maximæ ſtragis cauſa. ſiue enim noluiſſet metu deterriti mutuò ſe inuiſere, deſerti interibant, multæq; familiæ propter inopiam hominum, qui ægrotos curarent, exhauſtæ ſunt. ſiue [*alteri ad alteros*] adiſſent, interibant. præcipuè verò qui aliquam virtutis partem ſibi vendicabant, [*quiq; virtutis aliquo ſtudio tenebantur.*] nam præ pudore ſibi ipſis non parcebant, dum in amicorum ædes ingrediebantur, vt eos inuiſerent. ſi quidem vel ipſi domeſtici tandé lamentationibus eorum, qui moriebantur, defatigati, non amplius commouebantur, mali violentia ſuperati. Illi tamen, qui [*ex morbi violentia, mortiq; periculo*] euaſerant, & eum, qui moriebatur, & eum, qui laborabat, magis miſerebantur. tum quòd hoc malum prius experti, cognoſcerent, tum etiam quòd ipſi in tuto iam eſſent. Hic enim morbus eundem bis non corripiebat, ita vt eum etiam interimeret. Et ab aliis beati cenſebantur, ipſique propter præſentem ſalutis inſperatę lætitiam exultantes, quandam etiam leuem ſpem habebant, ſe ne alio quidem [*vllo*] morbo in poſterum amplius vnquam abſumptum iri. Ipſos autem, præter laborem, quo iam vexabantur, ipſa quoque [*rerum*] exagris [*in vrbem*] comportatio, præcipuè verò [*ruſticos,*] qui [*in eam*] confluxerant, grauius preſſit. Cùm enim non eſſent ædes, [*quæ omnes recipere poſſent:*] ſed in tuguriolis æſtuoſis ob anni tempus habitarent, ſtrages edebatur, nullo ordine: quinetiam alij ſuper alios morientes, mortui iacebant, & in viis, & circa fontes omnes, aquæ deſiderio, ſemimortui volutabantur. Et templa, in quibus tabernacula habitandi cauſa fecerant, cadaueribus hominum, qui

ibi,

ibi, in ipsis moriebãtur, erant referta. Malo enim supra modum vrgente, homines non habentes quid agerent, aut quò se verterent, sacra, ac profana æquè negligere cœperunt. omnesque leges, [*ac ritus,*] quibus antè in sepultura, [*& funeribus*] vtebantur, pariter sunt cõturbati. nam vnus quisque [*suum cadauer*] sepeliebat, vt poterat. Multique propter crebram domesticorum iam defunctorum stragem, rerum [*ad funus, & sepulturam*] necessariarum penuria, ad impudentia sepulchra se conuerterunt, [*& suorum cadauera in alienis sepulchris impudenter sepelire non dubitarunt.*] Nam alij quidem in alienos rogos, anteuertentes illos, qui eos extruxerant, suum cadauer imponebant, igneque subiecto eos accendebant; alij verò, dum alterius cadauer arderet, suo cadauere, quod ipsi ferebant, superiecto, discedebant. Hic autem morbus [*non solum hac in re: sed*] aliis etiam in rebus ciuitati maioris improbitatis fuit initiũ. facilius enim quilibet audebat [*palam*] facere, quæ prius [*pudore impeditus*] occultabat. ita vt ex animi libidine nõ paratet, quòd [*maximam, ac*] repentinam rerum mutationem fieri viderent, & homines quidem fortunatos, repentè mori; illos verò, qui nihil antè possidebant, statim illorum bona possidere [*animaduerterent.*] Itaque bonis illis celeriter perfruendum, operamque voluptatibus dandam censebant, quòd pariter & corpora, & bona [*non diuturna: sed vnius tantùm diei, &*] caduca esse ducerent. Nemoq, promptus erat ad labores tolerandos rei causa, quæ honesta videretur, incertum existimans an esset interiturus priusquàm ad illam perueniret, [*eamq, adipisceretur.*] Quod autem [*vnusquisque*] iucundum, & vndique sibi quæstuosum fore nouerat, hoc etiam honestum, & vtile censebatur,

[*atque adeò vt honestum, & vtile in morem ab omnibus recipiebatur.*] nec vllus Deorum metus, aut hominum lex [*eos à voluptatibus, & quæstibus nefariis*] arcebat. partim quidem, quia [*Deos*] colere, perinde esse iudicabant, ac nõ colere, quòd omnes pariter mori viderent: partim verò, quia nullus se tandiu superstitem futurum sperabat, dum instituto iudicio pœnas suorum delictorum daret. Multoque maiorem [*pœnam, fatorum iudicio*] iam decretam sibi impendere [*existimabant.*] ante cuius aduentum, aliquibus vitæ voluptatibus sibi perfruendum esse [*censebant.*] Athenienses igitur in huiusmodi morbum inciderunt, eoque grauiter premebantur, tum quòd homines intra muros morerentur, tum etiam quòd foris ager [*ab hostibus*] vastaretur. Dum autem hoc malo vexarentur, vt verisimile est, hoc etiam carmen in memoriam reuocarunt, quod seniores olim decantatum dicebant, Doriacum veniet loimo comitante duellum. Inter homines autem altercatio erat, non λοιμὸν, [*id est, pestilentiam,*] in isto carmine ab antiquis nominatam: sed λιμὸν: [*id est, famem.*] Sed in præsentia illud meritò euicit, pestilentiam [*isto carmine*] significatam fuisse. Homines enim ad mala, quæ patiebantur, [*carminis*] mentionem accommodabant. Quòd si vnquam aliud Doricum bellum post hoc [*eos*] inuaserit, & λιμὸν, [*id est, famem,*] esse contigerit, [*idem (vt opinor, &*] vt est verisimile) ita canent, [*& eundem versum canentes, non amplius λοιμὸν: sed λιμὸν pronuntiabunt.*] Oraculum etiam Lacedæmoniis redditum, ab illis, qui hoc nouerant, memorabatur, quum ipsis oraculum consulentibus, an bellum esset mouendum, Deus respondit, ipsos fore victores, si bellum totis viribus gererent, seque ipsis opem laturum dixit. Quòd igitur attinet ad oraculum, ea,

quæ

quæ [*tunc*] fiebant, cum ipso conuenire coniiciebant. Cùm autem Peloponnesij [*in Atticam*] irrupissent, hic morbus statim grassari cœpit. Nec ipsam Peloponnesum inuasit, [*nec vllo malo eam affecit,*] quod sit relatu dignum: sed Athenis quidem potissimum est grassatus, deinde verò & in aliis locis, prout quæque maximâ populi frequentiâ erant referta. Atque hæc quidem sunt [*mala,*] quæ morbus iste [*Athenienſibus*] attulit. Peloponnesij verò, postquam [*Atticæ*] planitiem vastarunt, in agrum, qui πάραλος, [*id est, mari-vicinus,*] appellatur, processerunt, vsque ad montem Laurium, vbi sunt argenti fodinæ, quas Athenienses possident. ac primùm quidem eam [*agri*] partem vastarunt, quæ Peloponnesum spectat, deinde verò eam, quæ ad Eubœam, & Andrum vergit. Pericles autem, qui tunc quoque dux erat in eadem sententia perseuerabat, quemadmodum & in superiore [*Lacedæmoniorum*] expeditione [*fecerat,*] non oportere Athenienses [*ex vrbe*] contra [*hostem*] exire. Cùm autem [*Lacedæmonij*] in [*Atticæ*] planitie adhuc essent, antequàm ad agrum Paralium, [*id est, ad oram maritimam,*] venirent, [*ipse*] centum nauium classem Peloponneso bellũ illaturus instruebat, & postquã [*omnia*] parata fuerũt, soluit. Ducebat autẽ in nauib. quatuor millia grauis armaturæ militũ Athenienſiũ, & trecentos equites, in [*aliis*] nauibus, quæ equis vehendis erãt aptæ, quæ ex vetustis nauigiis tunc primũ factę fuerant. ad eandem autem expeditionem & Chij & Lesbij cum quinquaginta nauibus proficiscebantur. Cùm autem hic Athenienſium exercitus soluit, Peloponnesios in Atticæ ora maritima versantes reliquerunt, cumq; ad Epidaurum Peloponnesi [*vrbem*] peruenissent, magnam agri [*partem*] vastarunt, & adorti vrbem, in spem quidem eius

expugnandę venerũt, res tamen ipsis non successit. cùm autẽ ab Epidauro soluissent Trœzeniũ, Halien-sem & Hermionensem agrum vastarunt: hęc autem omnia loca sunt in maritima Peloponesi ora. Hinc verò soluẽres, ad Prasias agri Laconici oppidũ ma-ritimum peruenerunt, eiusque agrum vastarunt, & ipsum oppidum ceperunt, ac diripuerunt. His autem actis, domum redierunt. Peloponnesios ve-rò non amplius in Attica versantes: sed domum reuersos nacti sunt. Quamdiu autem Peloponnesij in Attica fuerunt, & Athenienses cum classe naui-garunt, hic morbus & militiæ, & domi Athenien-ses absumpsit. Quamobrem etiam aiunt Peloponnesios morbi metu, cùm ex transfugis eum in vrbe grassari intellexissent, simul etiam cùm [*ipsos Athenienses suorum cadauera*] sepelientes videre-nt, citius, [*quam statuerant*] inde discessisse. Hac autem expeditione [*Peloponnesij*] in agro hostili diutissi-mè sunt commorati, totumque vastarunt. nam quadraginta fermè dies in Attica manserunt. Eadẽ æstate Agnõ Niciæ, & Cleopompus Cliniæ [*filius*,] Periclis in prætura collegæ, sumptis copiis, quibus ille fuerat vsus, Chalcidensibus, qui sunt in Thra-cia, & Potidææ adhuc obsessæ, bellum statim in-tulerunt. Cùm autem [*ad eam*] venissent, machi-nas ei admouerunt, omniq; ope [*eam*] expugna-re conabantur. Sed neque vrbis expugnatio, neq; cætera pro apparatus magnitudine ipsis succede-bant. Nam morbus iste superueniens, hîc Athe-nienses tunc grauiter afflixit, absumens exercitũ, adeò vt & priores Athenienſium milites, [*qui ad vrbem obsidendam antè missi fuerant*,] morbum con-traxerint ex contagio copiarum, quæ cum Agnone venerant, quamuis antea rectè valerẽt. Phormion verò, & mille, ac sexcenti milites [*quos secum du-xerat*,]

xerat,] apud Chalcidenſes non amplius erant. Agnon igitur cum nauibus Athenas rediit, ex quatuor millibus militum, mille, & quinquaginta morbo amiſſis, intra dies circiter quadraginta. Priores verò milites in ſuo loco remanentes Potidæam obſidebant. Poſt ſecundam verò Peloponneſiorum irruptionem [*in agrum Atticum factam*,] Athenienſes cùm ager ipſorum iterum eſſet vaſtatus, & morbus, ſimul & bellũ ipſos premeret, ſententiam mutarunt, & Periclem culpare cœperunt, tum quòd ſibi ſuaſiſſet, vt bellum hoc ſuſciperent, tum etiam quòd propter ipſum in has calamitates incidiſſent, & ad compoſitionem cum Lacedæmoniis faciendam, animis inclinabant. cumque nonnullos legatos ad ipſos miſiſſent, nihil impetrare potuerunt. Tunc autem in maxima dubitatione conſtituti, omnisque conſilij inopes, in Periclem inuehebantur. Ille verò cùm ipſos ob præſentem rerum ſtatum indignari videret, omniaque facere, quæ ipſe ſperauerat, coacta concione, (adhuc enim erat exercitus prætor) illos ad fiduciam adhortari, & ira ſedata animos illorum mitigare, omnemque metum illis adimere volebat. Quamobrem in medium progreſſus hanc orationem habuit.

PERICLIS CONCIO.

Veſtra in me indignatio mihi [*iampridem hoc*] expectanti contigit. (eius enim cauſas intelligo) atque propterea concionem coëgi, vt vos commonefacerem, & vobiſcum expoſtularem, ſiquid vos haud rectè vel mihi ſuccenſeritis, vel rebus aduerſis ceditis. Ego enim exiſtimo ciuitatem, cuius vniuerſus ſtatus manet erectus, maiorem vtilitatem priuatis hominibus afferre, quàm ſi ſingulorum ciuium felicitate priuatim floreat, ipſa verò vniuerſa iaceat afflicta. Qui enim priuatim rem feli-

citer gerit, si patria euertatur, ipse quoque nihilominus vnâ cum ea perit. Qui verò in Repub. florente rem infeliciter gerit, is longè facilius conseruatur. Quum igitur Respub. quidem priuatas [*singulorum*] calamitates sustinere potest, singuli verò [*publicas*] ipsius [*calamitates ferre*] nequeunt, quomodo non cõuenit vniuersos opem ipsi ferre? nec [*oportet facere*] id, quod vos nunc facitis, [*qui*] domesticis iacturis attoniti, Reipub. salutem deseritis, & me, qui vobis suasi, vt bellum hoc susciperetis, atque adeò vos ipsos, qui mihi assensi estis, accusatis. Atque mihi tali viro irascimini, qui me nulli secundum esse puto, aut in cognoscendis rebus, quæ sunt faciendæ, aut etiam in his explicandis, aut in amanda ciuitate, aut etiam in superanda pecuniarum cupiditate. Nam qui nouit [*res Reipub. necessarias, ac salutares,*] neq; apertè docet, perinde est ac si nunquam [*eas*] cogitasset. Et qui vtrunque habet, sed Reipub. est maleuolus, is pariter nullum amicum consilium ipsi dabit: sed si hoc etiam illi adfuerit, sed pecuniis vincatur, hoc vno [*vitio*] cuncta vendentur. Quare si mihi vel mediocriter hæc præter cæteros adesse existimantes, me autorem in hoc bello suscipiendo sequuti estis, nullo meo merito nunc saltem iniuriæ culpam sustineam. Quibus enim dum cæteris in rebus fortuna secunda vtitur, optio datur [*vtrum pacem, an bellum malint,*] magna est stultitia, si bellum gerant. Sed si necesse erat, aut cedentes, finitimis statim parere, [*& imperata facere,*] aut periculũ subeuntes hoste superato seruari, is qui periculũ subterfugit maiorem reprehensionem meretur, quàm ille, qui hoc fortiter sustinuit. Atque ego quidem [*nunc etiam*] idem sum, [*qui & ante.*] nec à sententia discedo. Vos verò [*sententiam*] mutatis, post-

quam

quàm vobis accidit. vt rebus quidem integris bellum susciperetis autoritatem meam sequuti, calamitatibus verò afflicti, pœnitentia ducamini, meique consilij ratio propter vestri iudicij, imbecillitatem non recta videatur. quia id quidem, quod molestiam affert, ab vno quoque vestrum iam sentitur, communis verò vtilitas, quæ adhuc est remota, nondum patet. Animusq; vester ingenti, eaque repentina rerum mutatione quæ vobis contigit humilis, [*ac deiectus*] in suscepto consilio constanter permanere non potuit. Repentinus enim & inexpectatus casus, & qui maximè præter opinionem accidit, animum deiicit. Id, quod cùm aliis in rebus, tum verò præcipuè in hoc morbo vobis accidit. Tamen cùm ciuitatem magnam incolatis, & in institutis ipsi paribus sitis educati, vos etiam decet animis excelsis grauissimas quasq; calamitates sustinere, nec [*pristinam Reipub.*] dignitatem delere: (Perinde enim homines damnare solent eum, qui per ignauiam deserit suam gloriam, ac eum odisse, qui per confidentiam, [*gloriam*] alienam affectat.) Sed deplorata re priuata, Reipub. succurrere, eiusque salutem tueri. Quod autem attinet ad belli laborem, [*& ad vestram opinionem, qua adducti veremini*] ne sit diuturnus, nec tamen [*ideo*] magis victoriam obtineamus, vobis & illa sufficiant, in quibus iam sæpe aliàs demonstrauit ipsum [*laborem, de diuturnitate vobis*] non rectè suspectum esse. Declarabo autem hoc quoq;, quod neque vos ipsi vnquam ante hac cogitasse mihi videmini, licet vobis adsit, de magnitudine (inquam) imperij, neq; ego in superioribus meis orationibus [*declarauit.*] Et ne nunc quidem [*hac oratione*] vterer, quæ quandam iactationis speciem habet, nisi vos præter rationem animis consternatos vi-

derem. Existimatis enim vos sociis tantùm imperare. Ego verò pronuntio duarum orbis terrarum partium, terræ (inquam) & maris, quarum vsus est manifestus, altera totam in vestra potissimùm potestate esse, vosq; potissimùm cùm eius portionis, quam nunc tenetis, dominos esse, tum etiam [*amplioris,*] si ampliorem [*habere*] cupiatis, [*dominos fore.*] Nec [*enim*] vllus est Rex, nec vlla alia gens earum, quæ nunc viuunt, quæ vos cum præsenti classis apparatu nauigantes prohibere possit. Itaq; constat istam potentiam non esse conferendam cum vsu, [*commodisq;*] vel ædificiorum, vel agri, quibus quasi magnis quibusdam rebus vos priuatos putatis. neque vos decet iniquo potius, [*quàm sedato*] animo rerum istarum [*iacturam*] ferre: sed leue quoddam diuitiarum decus, & ornamentum [*hæc*] existimare, & negligere. & vobis persuadere libertatem quidem, si eam fortiter retineamus, & conseruemus, hæc facilè recuperaturam: sed si aliorum imperio pareamus, reliquas etiam fortunas, quas iam possidemus, imminutum iri, quod [*illis, qui suam libertatem produnt*] accidere solet. Et neutra in re nos à nostris maioribꝰ degenerare [*decet.*] qui res istas non ab aliis acceptas: sed suis laboribus partas retinuerunt, & præterea conseruatas nobis tradiderunt. Turpius autem est rebus, quas possidemus, priuari, quàm [*vinci &*] rem infeliciter gerere, dum [*eas*] quærimus. [*Decet*] etiam nos aduersus hostes ire non solùm cum fidentia, [*& animo excelso:*] sed etiam cum [*confidentia ac eorum*] contemptione. Gloriatio enim etiam ex felici imperitia vel cuilibet ignauo innascitur. At contemptio [*ei nascitur*] qui vel consilio [*ne dum fortunæ*] se aduersus superiorem esse confidit. Id, quod nobis adest. Et prudentia, si fortunæ condi-

tio

tio sit æqualis, propter animi celsitudinem, audaciam reddit tutiorem, & spei minus fidit, cuius vires sunt in dubio: sed consilio [*fidit,*] cuius prouidentia ex præsentibus copiis est exploratior. Decet etiam vos dignitati, quam Respub. propter imperium habet, (qua vos omnes lætamini) opem ferre, nec labores subterfugere, aut ne honores quidem consectari, neque existimare de vna tantùm re, de libertate videlicet in seruitutē commutanda, certamen esse: sed & de imperio amittendo, & de periculo inimicitiarum, quas ob res in imperio gestas vobis contraxistis, à quo ne discedere quidem vobis amplius licet: siquis hoc etiam in præsentia [*non*] metuens, vitæ tranquillitate, [*quam se adepturum sperat, si hostibus imperio cedatur, confidēs,*] se fortem præstat. nam vt tyrannidem hoc [*imperium*] iam tenetis, quod occupare quidem videtur iniustum; deponere verò, periculosum. Nam huiusmodi homines, [*qui pacis, & otij sunt cupidi,*] si cæteris quoque [*idem*] persuaderent, & si fortè liberi, [*& arbitratu suo viuentes,*] per se, [*& seorsum ab aliis*] ciuitatem incolerent, [*eam*] protinus perderent. Etenim [*quies, &*] tranquillitas; nisi cum agendi studio sit coniuncta, seruari non potest, nec in ciuitate, quæ principatum obtinet, [*hominibus*] conducit: sed in ea, quæ alterius imperio paret, vt bona fide seruitutem toleret. Vos verò neq; ab huiusmodi ciuibus decipiamini, neque mihi succenseatis, (cui vos etiam de bello gerendo assensi estis) licet hostes, qui nobis bellum intulerunt, fecerint ea, quæ illos facturos esse verisimile erat, quia vos [*ipsis*] parere noluistis. quando quidem morbus iste præter omnem nostram expectationem accidit (res profectò, quæ vna omnium spem, [*ac opinionem*] superauit) eiusq; causa magna ex parte me in lon-

gè maiora vestrum odia incurrisse scio. [*sed*] immeritò, nisi etiam quum aliquid præter vestram expectationem feliciter gesseritis, [*huius felicitatis insperatæ causam*] mihi tribuatis. Mala enim, quæ diuinitus accidunt, necessariò; quæ ab hostibus proficiscuntur, fortiter sunt ferenda. hæc enim & antea in huius ciuitatis more posita erãt, nunc verò [*cauete*] ne in vobis prohibeantur. [*néue à vobis ipsis aboleantur.*] Sciatis autem eam maximum nomen apud omnes mortales adeptam, quòd rebus aduersis minimè cedat, & plurimos milites, ac labores in bello consumpsisse, maximamque potentiam ad hoc vsque tempus habuisse, cuius apud posteros in æternum, etiam si tandem aliquando succumbamus (natura enim comparatum est, vt omnia [*orta, & aucta,*] decrescant, [*ac tandem occidant.*]) memoria relinquetur: quòd videlicet nos Græci plurimorum Græcorum imperium iam obtinuerimus, & grauissima bella tum aduersus vniuersos, tum aduersus singulos [*populos*] sustinuerimus, præterea quòd vrbem rerum omnium copia instructissimam, & frequentissimam incoluerimus. Quanquam is quidem, qui segnis est, hæc vituperabit: sed qui est agendi studiosus, ipse quoque æmulabitur. siquis verò [*res huiusmodi*] non possideat, inuidebit. Cæterùm [*alios*] inuisos, & graues esse in præsentia, [*hoc minimè curandũ. nam*] hoc omnibus accidit, quotquot alteri alteris imperare voluerunt. Qui verò maximarum rerum gratia suscipit inuidiam, is rectè sibi consulit. Odium enim non diu durat. Sed & præsens splendor, & gloria in posterum perpetuò celebranda relinquitur. Vos igitur [*hæc duo*] prospicientes, & futurum decus, & præsens dedecus, præsenti animorũ alacritate vtrumque quæratis. [*ipsam videlicet decoris*

in adeptionem, & dedecoris vitationem,] neque vllum caduceatorem ad Lacedæmonios mittatis, neque significationem detis vos præsentibus incommodis premi. Nam qui in calamitatibus animo minimum afflictantur, & re ipsa plurimum [*ipsis*] resistunt, isti & publicè & priuatim omniũ sunt præstantissimi. His verbis Pericles Athenienſium iram in se conceptam mitigare, animosque [*illorum*] à præsentibus malis abducere conabatur. Illi verò publicè quidem eius oratione flectebantur, [*eiq; morem gerebant,*] nec [*vllos legatos*] ad Lacedæmonios amplius mittebant, & in bellum animis impensius incumbebant: sed priuatim calamitates, quibus premebantur, ægrè ferebant. Pauper quidem, quòd tenuiores facultates habens, bellum ingressus esset, & tamen his ipsis priuatus esset. Illi verò, qui opibus pollebant quòd egregia in agris prædia, villasque magnificè ædificatas, & sumptuosa supellectile instructas amisissent. Sed, quod omnium erat grauissimum, quòd pro pace bellum haberent. Nec prius vniuersi iram, quam in eum conceperant, deposuerunt, quàm eũ pecunia mulctarunt. Rursus tamen non multo pòst (id, quod vulgus facere solet) [*ipsum*] belli ducem elegerũt, eique rerum omnium administrationem commiserunt, quòd domestici quidem luctus, & iacturæ, quam singuli priuatim fecerant, dolorem iam minus sentirent, ipsum verò in rebus, quibus vniuersa ciuitas indigebat, administrandis, plurimi faciendum esse iudicarent. Quandiu enim Reipubl. præfuit in pace, eam moderatè rexit, eamque bona fide tutatus est, eiusque potentiam maximè auxit. Postquam autem hoc bellum susceptum est, in hoc etiam ille Reip. vires videtur præuidisse. Duos autem annos, & sex menses [*à bello moto*] præterea

vixit. Et post eius mortem, eius prouidentia in bello magis cognita est. Ille enim dicebat [*Athenienses*] victores euasuros, si quiescerẽt, [*& à cæteris belli abstinerent*,] rebusque nauticis operam darent, neque nouum imperium quærerent, dum hoc bellum gererent, neque Rempub. in discrimen vocarent. Illi verò & hæc omnia contrà egerunt, & alia, quæ ad hoc bellum pertinere non videbantur, ob priuatam ambitionem, & priuatos quæstus, in suam, sociorumque perniciem administrauerunt. Nam quum ea, [*quæ gerenda suscipiebant*,] feliciter succedebant, honor, & fructus ad priuatos potius, [*quam ad Rempub.*] redibat: quum verò infeliciter succedebant, Reipub. detrimentum in hoc bello afferebant. Huius autem rei hæc fuit causa, quòd, cùm ille & dignitate, & consilio polleret, & manifestè omnium ciuium integerrimus esset, vt nullis pecuniæ muneribus se corrumpi pateretur, plebem in officio liberaliter contineret, nec ab ea magis regeretur, quàm ipse eam regeret. Nam cùm nõ malis: [*sed bonis*] artibus potentiam adeptus esset, ad multitudinis voluntatem nihil dicebat; sed eam pro sua autoritate castigare, quinetiam nonnullis in rebus [*ei palam*] aduersari poterat. Quoties igitur eos aliquid intempestiuè, ac petulantiæ confidentia pulsos audere animaduertebat, [*eos*] incussa metu, dicendo reprimebat. Contrà verò, eos temerè formidantes ad fiduciam reducebat, [*animosq; ipsis restituebat.*] Quare verbo quidem erat dominatus popularis; sed re ipsa penes primarium [*populi*] virum principatus erat. Qui verò eum sunt sequuti, cùm potius inter se dignitate pares essent, & eorum singuli principem in Repub. locum, affectarent, omnia ad populi voluntatem dicere, eiusque libidini Rempub. permittere cœperunt. Vnde cùm multis

multis aliis in rebus peccatum est, (vt in ampla ciuitate, & quæ principatum obtinet, [*accidere plerunque solet,*]) tum etiam in expeditione in Siciliam facta, quæ suscepta est non tam peccato iudicij, [*& culpa*] eorum, aduersus quos [*ipsi Athenienses*] iuerunt, quàm illorum, qui [*classem illam*] emiserũt, qui non cognoscebant ea, quæ [*suis illuc*] profectis conducebant: sed propter priuatas simultates, de populi principatu contendentes, & res, quæ militiæ gerebantur, debilitarunt, & [*domi*] totum Reipub. statum mutuis discordiis tunc primùm conturbarunt. Quamuis autem in Sicilia rem infeliciter gessissent, & cùm alium apparatum, tum etiam maiorẽ classis partem amisissent, & in ipsa vrbe seditione iam laborarent, tamen tres annos restiterunt & prioribus hostibus, & Siculis, qui se illis adiunxerant, quinetiam plerisque sociorum, qui [*ab ipsis*] defecerant: mox etiam Cyro, Regis Persarum filio, qui se [*Lacedæmoniis*] adiunxerat, & pecunias Peloponnesiis ad classem [*parandã*] dederat. Nec prius [*hostibus imperio*] cesserunt, [*ac succubuerunt,*] quàm ipsi mutuis discordiis collisi conciderunt. Tanta prudentia tunc in Pericle fuit, qua cæteros ciues longè superans, ciuitatem Peloponnesiis eo bello vel facilimè superiorem fore præuiderat. Lacedæmonij verò, eorumque socij, eadem æstate cum centũ nauibus profecti sunt in insulam Zacynthum, quæ iacet è regione Elidis. Zacynthij autem sunt Achæorum ex Peloponneso coloni, & Athenienſium erant socij. Illa autem classe aduersus [*illos*] vehebantur mille grauis armaturæ milites Spartani, & Cnemus Spartanus, classis præfectus; exscensuq; ex nauibus in terram facto, magnam illius agri partem vastarunt. cumque illi deditionem facere nollent, domum redierunt. Eadem iam extrema, Aristæus Corinthius,

& Lacedæmoniorum Legati, Aneristus, Nicolaus, Pratodemus, & Timagoras Tegeates, & Polis Argiuus, [*non publicè missus: at sua sponte cum cæteris profectus, &*] priuatim, dum iter facerent in Asiam ad [*Persarum*] Regem, si qua ratione ei persuadere possent, vt sibi pecuniam daret, belliq; societatē secum iniret, primùm in Thraciam ad Sitalcem Terę filium iuerunt, quòd vellent, si possent, ei persuadere, vt relicta Athenienſium societate ad suam transiret, & coniunctis armis secum Potidæam iret, vbi erat Athenienſium exercitus, qui [*vrbem*] obsidebat, vtque eos suis auxiliis iuuandi finem faceret, sibiq; adesset, vt illo adiuuante, quò proficiscebantur, ire possent trans Hellespontum ad Pharnacem Pharnabazi filium, qui eos ad Regem erat deducturus. Sed cùm fortè Athenienſium Legati, Learchus Callimachi, & Ameniades Philemonis [*filius,*] apud Sitalcem tunc adessent, Sadoco Sitalcæ filio, qui ciuis Athenienſis factus fuerat, persuaserunt, vt eos sibi traderet, ne, si ad Regem transiuissent, quantum in ipso situm esset, illi suæ ciuitati nocerent. Ille verò eorū verbis adductus, illos, dum per Thraciam iter faceret ad nauigium, quo Hellespontum erant traiecturi, antequam [*id*] conscenderent, cōprehendit, missis aliis quibusdā cum Learcho, & Ameniade. illosq; his tradi iussit. Hi verò [*eos*] acceptos Athenas detulerunt. Qui cùm eò peruenissent, Athenienses veriti ne Aristæus, si euasisset, longè pluribus maleficiis [*se*] afficeret, quia eum & antè rerum omnium, quæ ad Potidæam, & in Thracia gestæ fuerāt, autorē fuisse constabat, omnes eodem die, indemnatos, & quædam dicere volentes, interfecerunt, & in profundas fossas deiecerunt. æquum esse censentes parem gratiā Lacedæmoniis referre, eosq; eodē modo tractare

ctare, quo ipsi suos antè tractarant, qui negotiatores Athenienſium, & ſociorum, quos ceperant in onerariis nauibus circa Pelopõnesum nauigantes, interfecerant. & in profundas foſſas deiecerant. Lacedæmonij enim huius belli initio omnes, quos in mari cepiſſent, vt hoſtes trucidabant, tam Athenienſium ſocios, quàm eos, qui neutrorum partes ſequebantur. Sub idem tempus, extrema iam æſtate, & Ambraciotæ, cùm ipſi, tum etiam multi barbari, quos ex ſuis ſedibus excitarant, [*& ad belli ſocietatem aſciuerant,*] expeditionẽ fecerunt aduerſus Argos Amphilochicum, cæteramq; Amphilochiam. Inimicitiæ autem, quæ ipſis cum Argiuis interceſſerunt, hinc initium duxerant Argos Amphilochicum, & reliquã Amphilochiam. Amphilochus Amphiarai [*filius,*] poſt bellum Troianum, domum reuerſus, cùm rerum ſtatus, qui Argis erat, ei nõ placeret, cõdidit in ſinu Ambracico, [*vrbem*] de eodem patriæ ſuæ nomine Argos, [*cognomine vero Amphilochicum*] appellans. Hæc autem vrbs omnium in Amphilochia ſitarum maxima erat, & potentiſſimos quosque [*illius regionis homines*] habebat incolas. Sed [*eius incolæ*] multis pòſt ſeculis, calamitatibus afflicti, Ambraciotas agro Amphilochico finitimos, in ciuitatis ſocietatem accerſiuerunt. Linguamque Græcam, quæ nũc eſt in vſu, tunc primùm didicerunt ex Ambraciotis, qui in eadem vrbe cum ipſis habitarant. At reliqui Amphilochi barbari ſunt. Ambraciotæ igitur progreſſu temporis Argiuos [*Amphilochicos, à quibus in ciuitatis communionem recepti fuerant.*] vrbe pellũt. ipſique retinent vrbem. Amphilochi verò vrbe pulſi ſeſe Acarnanibus dediderunt. & vtique Athenienſes in auxilium aduocarunt, qui Phormionem ducem, & triginta naues ipſis miſerunt.

Cùm autem Phormio [*eò*] peruenisset, Argos per vim ceperunt, & Ambraciotas in seruitutem abstraxerunt, vrbemque Amphilochi, & Acarnanes communiter incoluerunt. Postea verò societas inter Athenienses, & Acarnanes tũc primùm est inita. Ambraciotæ igitur tunc primùm inimicitias cum Argiuis propter suos in seruitutem ab illis abstractos susceperunt, posteaquã in hoc bello hãc expeditionem fecerunt, exercitu ex suis militibus, & Chanibus, & aliis quibusdam finitimis barbaris collecto. Et ad Argos profecti, agrum quidem in suam potestatem redegerunt: sed cùm vrbem aggressi expugnare non potuissent, domum redierũt, & alij ab aliis dirempti ad suam quique gentem reuerterunt. Atque hæc quidem æstate ista sunt gesta. Ineunte autem hyeme, Athenienses, viginti naues, & Phormionem ducem circa Peloponnesum miserũt: qui ex belli sede, quam Naupacti habebat, proficiscens, diligenter obseruabat, ne quis Corintho, & ex sinu Crisæo enauigaret, néve [*eò*] intraret. alias etiam sex in Cariam, & Lyciam, & Melesandrum ducem [*miserunt,*] vt pecunias ab istarum regionum incolis exigerent, neque oneraria nauigia ex [*vrbe*] Phaselide, & Phœnice, & ex illa continente proficiscentia, à Peloponnesiis latronibus, qui ex ipsa Peloponneso veniebant, infestari sinerent. Melesander autem cum exercitu Atheniensium, & sociorum, qui nauibus simul vehebantur, in Lyciam ingressus, prœlio superatus occidit, & quandam copiarum partem amisit. Eadem hyeme Potidæatæ, cùm diutius obsidionem tolerare non possent, & Peloponnesiorũ irruptiones in Atticam factæ nihilo magis Athenienses [*ab vrbis obsidione*] remouerent, & res frumentaria defecisset, & alia multa præterea pro necessario victu illic iã accidissent,

sent, q
demun
Atheni
cura m
stiodo
[*filio.*]
quòd e
da ferr
pub. d
iam im
dæatæ]
ri, & v
cum fi
nis, cui
que hi
erunt
potuit
runt, c
nem [*A*
los] vrb
ius inco
quema
suo co
luerũt.
secund
cydides
eorum
ptionen
tæam it
lius,] La
stris[*ad*
tænses
runt. Ar
que ex d
citis, q

sent, quinetiam nonnulli mutuò se gustassent, ita demum in colloquium de deditione venerũt cum Athenienſium ducibus, quibus ea vrbis obſidendę cura mandata fuerat, Xenophonte Euripidis, Heſtiodoro Ariſtoclidæ, & Phanomacho Callimachi [*filio.*] Illi verò [*conditiones oblatas*] acceperunt, tum quòd exercitum in loco frigido magna incommoda ferre animaduerterent, tum etiam quòd Reſpub. duo talentorum millia in iliam obſidionem iam impendiſſet. His igitur conditionibus [*Potidæatæ*] deditionem fecerunt, vt ipſi exirent, & liberi, & vxores, & milites auxiliarij, [*& mares quidem*] cum ſingulis veſtimentis, fœminæ verò, cum binis, cumque certa ſinguli ad viaticum pecunia. Atque hi quidem interpoſita fide publica egreſſi abierunt & in agrum Chalcidicum, & quò quiſque potuit. Athenienſes verò ducibus crimini dederunt, quòd populi iniuſſu [*cum hoſte*] compoſitionem [*huiuſmodi*] feciſſent. Exiſtimabant enim [*illos*] vrbem expugnare potuiſſe, [*ſi voluiſſent, vt de eius incolis arbitratu ſuo ſtatuerent, eosq; tractarent*] quemadmodum volebant. Poſtea verò colonos ex ſuo corpore Potidæam miſerunt, eamque incoluerũt. Atque hæc quidem hac hyeme ſunt geſta. & ſecundus huius belli annus finitus eſt, quod Thucydides conſcripſit. Ineunte æſtate, Peloponneſij, eorumque ſocij in Atticam quidem nullam irruptionem fecerunt: ſed cum copiis aduerſus Platæam iuerunt. Archidamus verò Zeuxidami [*filius,*] Lacedæmoniorum Rex, illis præerat, & caſtris [*ad eam*] poſitis agrum vaſtaturus erat. Sed Platæenſes legatis ſtatim ad ipſum miſſis, hæc dixerunt. Archidame, & Lacedæmonij, neque iuſtè, neque ex dignitate veſtra, patrumque veſtrorum facitis, qui agrum Platæenſem hoſtiliter inuaditis.

Pausanias enim Cleombroti [*filius,*] Lacedæmonios qui Græciam Medorum dominatu liberauit, cum Græcis, qui pugnæ apud nos commissæ idem periculum subire voluerunt, cùm victimas Ioui Liberatori in Platæensi foro immolasset omnesque socios conuocasset, Platæensibus & agrum, & vrbem reddidit, [*ipsis q; permisit,*] vt sua possidentes, [*hic*] suis legibus viuerent, & dixit, nullum vnquá iniustè, ne seruitutis quidem imponendæ gratia, bellum ipsis illaturum; alioqui socios, qui aderant, pro viribus vim ab ipsis propulsaturos. Hæc igitur patres vestri propter virtutem, & animi alacritatem, quam in illis periculis demonstrauimus, nobis tradiderunt. Vos verò contrà facitis. Nam cum Thebanis, qui nobis sunt inimicissimi, huc venitis, vt nos in seruitutem redigatis. Deos autē contestati, & eos, qui iurisiurandi testes tunc fuerunt, & vestros patrios, & nostros indigenas, vos rogamus ne agrum Platæensem lædatis, néve iusiurandum violetis: sed iure nostro [*nos*] viuere sinatis, quemadmodum Pausanias statuit. Cùm autem Platæenses hæc dixissent, Archidamus illorum orationem excipiens, hæc respōdit. Æqua est vestra oratio, Viri Platæenses, si verbis facta respōdeant. Quemadmodū igitur Pausanias vobis præstitit, cùm vos ipsi vestro iure viuatis, tum etiam alios pro vestra virili parte in libertatem vindicetis, quotquot eadem pericula tunc vobiscū subierunt, & eiusdem fœderis, ac iurisiurandi participes fuerunt, & qui nunc Athenienſibus seruiunt. Nam vestri ipsorum causa, & aliorum in libertatem asserendorum gratia tantus apparatus [*tunc*] factus fuit, tantumque bellum fuit susceptum, cuius [*libertatis*] cùm vos quoq; maximè participes fueritis, iusiurandum etiam seruetis: sin minus (ad quæ

vel

vel antè [*vos*] iam inuitauimus, [*& hortati sumus*]) quiescatis, res vestras possidentes, ac neutrorum partes sequamini, & vtrosque quidem amicitiæ causa, neutros verò belli gratia recipiatis. Atque hæc quidem nobis placerent. Archidamus igitur hæc dixit. Platæensium verò legati his auditis in vrbem redierunt, cumq; rem ad populum retulissent, Archidamo responderunt, à se sine Athenien sibus, fieri non posse, quæ ab ipso petebantur. suos enim liberos, & coniuges apud illos esse, seq; toti ciuitati timere, ne post ipsorum discessum, Athenienses venirent, & impedirent [*ne promissis starent*,] aut etiam Thebani, propterea quòd cautum esset de vtrisque recipiendis, suam vrbem rursus occupare conarentur. Ille verò illos bene sperare iubens, ad hæc respondit. Vos igitur vrbem, & ædificia nobis Lacedæmonijs tradite, & fines agri demonstrate, & numerum vestrarum arborum, & quicquid aliud in numerum cadere potest. vos verò abite quocunque vultis, quandiu bellum durarit. vbi autem hoc fuerit confectum, reddemus, [*quicquid à vobis accepermus.*] Interea verò vt depositum seruabimus, agrum colentes, & tributum pendentes, quod vobis, [*vitæq; sustentandæ*] suppetere possit. Illi verò his auditis, in vrbem redierunt. cumque his de rebus cum multitudine consultassent, responderunt se velle conditiones sibi ab eo oblatas cum Athenien sibus prius communicare, & si illis persuadere possent. [*vt has probarent,*] se ad hæc [*quæ petebantur,* faciendum paratos esse. Interea verò petierunt, vt indicias secum faceret, & ab agro vastando sibi temperaret. Ille verò inducias fecit tot dierum, intra quot veri simile videbatur, responsum Athenis afferri posse, & ab agro vastando sibi temperauit. Platæenses verò le-

gati ad Athenienſes profecti, & agitato cum illis
conſilio, redierunt, hæcq; ciuitati retulerunt. Neq;
in ſuperiore tempore, viri Platæenſes, ex quo ſo-
cietatem iniuimus, Athenienſes dicunt ſe paſſos
eſſe nobis iniuriam fieri, neque nunc paſſuros: at
pro viribus opem [*nobis*] laturos, vobisque mandat,
[*vosq; obteſtantur*] per iuſiurandum, quod veſtri pa-
tres iurarunt, nequid noui in ſocietate moliamini.
Cùm legati hæc renuntiaſſent, Platæenſes decre-
uerunt nõ deſerere Athenienſes: ſed pati & agrum
ante ſuos oculos vaſtari, ſi neceſſe eſſet, & perferre
quicquid aliud contingere poſſet, nec quenquam
amplius emittere; ſed ex muris reſpondere ſe non
poſſe facere ea, quæ à Lacedæmoniis petebantur.
Cùm autem hoc reſponſum [*illis*] dediſſent, tunc
verò Rex Archidamus primùm Deos, & heroës
indigenas conteſtari cœpit, his verbis. Dij, quot-
quot agri Platæenſis præſides eſtis, & heroës teſtes
eſtote, neque primùm, cùm iſti ſocietatis iuſiuran-
dum prius violarint, nos in hunc agrum iniuſtè
veniſſe, in quo patres noſtri poſt vota vobis nun-
cupata, Medos ſuperarunt, & quem Græcis beni-
gnum præbuiſtis, vt in eo dimicarent. Neque nũc
ſi quid faciamus, nos iniuſtè facturos. nam cũ mul-
tas, æquasque conditiones [*illis*] obtulerimus, [*eas
omnes recuſarunt, &*] nihil ab illis impetrare potui-
mus. Teſtes igitur eſtote, illos quidem, qui nos in-
iuriis prouocarunt, pro iniuriis illatis pœnas no-
bis daturos: nos verò, qui bellum ipſis iure inferi-
mus, [*merito*] pœnas de illis ſumpturos. His verbis
Deos affatus, aciem ad prœlium inſtruxit. ac pri-
mùm quidẽ ipſos, ne quis amplius exiret, circum-
uallauit arboribus, quas ceciderant. Deinde verò
aggeré ad vrbem aggeſſerunt, illã [*à ſe*] propediem
expugnatum ſperantes, tanta militum manu in

opere

opere occupata. Itaque cæsam è Cithærone materiam aggeri vtrinque adhibebant, storearum instar, murorum loco admouentes, ne humus aggesta latiùs diffunderetur. In hunc autem aggerem ingerebant ligna, lapides, humum, & siquid aliud iniectum, ad opus absoluendum facere videbatur. In hoc autem aggeris opere septuaginta dies cum totidem noctibus coniunctos continenter consumpserunt, ita inter se opus quietis gratia partiti, vt alij quidem materiam congererent, alij verò somnum, cibumque caperent. Et Lacedæmonij, qui peregrinis singularum ciuitatum militibus præerant, operi præpositi, [*milites*] ad opus [*celeriter faciendum*] vrgebant. Platæenses verò hunc aggerem extolli cernêtes, murum ligneum composuerunt, suisque muris imposuerunt ab illa [*vrbis*] parte, qua agger [*ab hostibus*] excitabatur, alterumque murum lateritium intra ligneum ædificarunt, materiam ex vicinis ædibus, quas demoliebantur, detrahentes, [*eoq; comportantes.*] Lignis autem internexis materiam colligabant, ne succrescens ædificium infirmum esset. Habebat autem [*hic murus*] munimenta obiecta, quibus protegeretur, coria, & centones, vt & [*milites,*] qui in opere erant occupati, & ligna ipsa nullis igniferis missilibus peterentur, [*ac læderentur.*] vtque in tuto essent. Murus autem in magnam altitudinem extollebatur, & agger non segnius ex aduerso contra ipsum surgebat. Platæenses verò tale quiddam excogitant. Interciso muro, quâ ager cõtra [*vrbem*] extruebatur, illius humum [*in eam*] importabant. At Peloponnesij hac re cognita, cœnum in cratibus arundineis inuoluentes, [*earumq; rimas obstruentes,*] in aggeris partem humo subtracta diuisam coniecerunt, ne [*cœnum,*] sicut humus, diffluens, [*in vrbem*] portaretur. Illi verò

ſto conatu excluſi, ab hoc quidem abſtinuerunt: ſed cuniculos egerunt, eosque coniectura ab vrbe ſub ipſum aggerem diligentes, humum ad ſe rurſus ſubducere cœperunt, diuque illos, qui foris erant, latuerunt, adeò vt illis humum etiam atque etiam aggerentibus, minus tamen opus abſoluerent, [*molemq; augerent,*] quòd ipſorum agger deorſum ſubduceretur, & in partem, quæ euacuabatur, ſemper ſubſidens caderet. Sed veriti ſe ne ſic quidem paucos multis reſiſtere poſſe, hoc quoque excogitarunt: magnum quidem ædificium, quod aggeri oppoſitum extruebatur, ædificare deſierunt: at ab vtroque eius latere ducto initio, quâ muro humiliori, cum altero vrbis muro coniungebatur, murum lunata forma vrbem verſus ducere cœperunt, vt ſi magnus caperetur, hic hoſtibus reſiſteret, eosque nouum aggerem ad eum rurſus aggerere, & vlterius procedentes, duplicem laborem ſuſtinere, & in maiore periculo conſtituti cogeret. Peloponneſij verò dum aggerem iacerent, ſimul etiam vrbi machinas admouerunt, vnam quidem, quæ per aggerem admota, magnam ingentis illius ædificij partem conquaſſauit, & Platæenſes perterrefecit. Alias verò ab alia muri parte [*admouerũt,*] quas ipſi Platęenſes laqueis circũiectis reflectebãt, [*& auertebant,*] & trabes ingẽtes, quas ab vtroq; capite lõgis ferreis catenis ſuſpenderant, ex binis antennis ſupra murum inclinatis, ac prominentibus tranſuerſas ſurſum trahebant, & quoties [*hoſtilis*] machina aliquam muri partẽ petitura erat, [*illi*] trabem laxatis catenis, atq; è manu remiſſis, cũ impetu demittebant. Illa verò cum impetu [*in machinam*] delata, prominens [*machinæ*] roſtrum refringebat. Poſtea verò Peloponneſij, cùm machinæ nihil proficerent, & aduerſus aggerem munitio erige-

erigeretur, existimantes præsentibus [*huius oppugnationis*] terrotibus vrbem capi non posse, se ad eam muro cingendam parabant. Ipsis tamen vrbem prius igne tentare placuit, si possent coorto vento eam incendere. quòd spatiosa nõ esset. Nullum enim oppugnationis genus intentatum prætermittebant, si forte sine [*magno*] sumptu, & [*sine longa*] obsidione [*eam*] in suam potestatem redigere possent. comportatos igitur materiæ, [*ac virgultorum*] fasciculos primùm quidem in eam partem, quæ erat inter [*vrbis*] murum, & aggerem, ex ipso aggere coniecerunt. Cùm autem propter tantam hominum manum [*illa pars*] celeriter fuisset repleta, [*tunc verò*] in alias etiam vrbis partes, quàm plurimas de loco superiore occupare potuerunt, materiam congesserunt, eamq; iniecto igne cum sulphure, & pice, incenderunt. tantaq; flamma [*inde*] excitata est, quantam nullus nunquam ad illud vsque tempus saltem manu excitatam viderat. Iam enim [*& alias*] arbores, quæ sunt in montium syluis, casu, vi ventorum, mutuo concursu collisæ, ignem, flammamque ex hoc [*mutui concursus, & collisionis impetu*] conceptam emiserunt. Hoc verò incendium & magnum extitit, & Platæenses, qui cætera [*mala*] vitarant, propemodum absumpsit. Nam intra magnum vrbis spatium [*ad muros*] accedere non dabatur, [*quòd exiguus vrbis tractus relictus esset, quò flamma non pertingeret.*] Quòd si ventus secundus (vt aduersarij sperauerant) ad ipsam [*flammam*] accessisset, [*imminens incendij, mortisq; periculum*] effugere non potuissent. Nunc verò hoc etiam accidisse fertur, magnam vim aquæ de cœlo cum tonitruis effusæ flammam restinxisse, & [*Platæenses*] ita periculo liberasse. Peloponnesij verò, cùm hoc [illegible]oque conatu frustrati fuissent,

quadam copiarum parte ibi relicta, & cæteris dimissis muro vrbem vndique cingere cœperunt, ambitus loco inter singulas ciuitates distributo. Fossa autem [*duplex*] erat, & interna, & externa, ex qua lateres fecerunt. Postquàm autem totum opus absolutum fuit sub Arcturi ortum, præsidio ad dimidij muri custodiam relicto (nam alterum dimidium Bœoti custodiebant) cum exercitu redierunt, & alij ab aliis digressi, in suas quique vrbes se receperunt. Platæenses verò liberos, & vxores, & maximos quosq; natu, & hominum nullius vsus multitudinem iam antè Athenas exportarant. Ipsi verò, qui [*in vrbe*] relicti obsidebantur, erant numero quadringenti, & Athenienses octoginta, & centum ac decem mulieres, quæ panem faciebant. Tot erant vniuersi, quum obsidionem tolerare cœperunt. nec vllus alius aut seruus, aut liber in vrbe erat. Huiusmodi igitur fuit obsidio contra Platæenses [*à Lacedæmonijs*] instituta. Eadem autē æstate, simul atq; expeditio contra Platæenses [*à Lacedæmonijs*] est suscepta, Athenienses cum duobus millibus sui corporis militum grauiter armatorum, & ducentis equitibus bellum intulerunt Chalcidensibus, qui sunt in Thracia & Bottiæis, frumento iam maturo. His verò præerat Xenophon Euripidis [*filius,*] cum duobus aliis ducibus. Cum autem ad Spartolum Botticam copias duxissent, frumentum corruperunt. Hæc autem ciuitas quorundam ciuium opera, qui hoc moliebantur, deditionem factura, [*& Athenienſibus eſſe in cuſtura*] videbatur. Sed cùm [*aduersæ factionis homines,*] qui hæc [*pati*] nolebant, Olynthum [*nuncios auxilium petituros*] antè misissent, exercitus militum grauis armaturæ ad vrbis custodiam venit. Qui cùm Spartolo aduersus hostem prodiisset, Athenienses præ-

prœlium ad ipsam vrbem [*cum eo*] commiserunt. Et Chalcidensiũ grauis armatura & cum illis nonnulli auxiliarij milites ab Athenensibus vincuntur, & in vrbem sese recipiunt. Chalcidensium verò equitatus, ac leuis armatura vincit Athenensiũ equitatum, & leuem armaturam. [*Chalcidenses*] autem habebant aliquot, non multos [*tamen*,] cetratos ex agro, qui Crusis appellatur, [*profectos*,] cumque non multo antè prœlium commissum fuisset, alia cetratorum manus Olyntho [*missa, suis*] subsidio venit. Tunc verò leuis armaturæ milites, qui Spartoli erant, cùm [*nouum subsidium*] vidissent, tum recentium copiarum accessione magis confirmati, tum etiam quòd antea victi non fuissent, cum Chalcidensium equitatu, & subsidiariis Athenienses iterum inuadunt. Illi verò se recipiunt ad duas cohortes, quas ad impedimenta reliquerant. Quoties autem Athenienses armis infestis eos petebant, illi recedebant, quoties verò recedebant, [*Chalcidenses, eorumq; socij*] eos vrgebant, & tela in eos iaculabantur. Et Chalcidensiũ equites adequitantes, quâ [*locus ad hostes inuadendum opportunus*] videbatur, impressionem [*in eos*] faciebant, & Athenienses maximè perculsos in fugam verterunt, & longè sunt persequuti. Atq; Athenienses quidem fuga Potidæam se receperunt, posteaq; [*suorum*] cadaueribus fide publica interposita receptis, cum copiarum reliquiis Athenas reuerterũt. Ex eorum autem numero quadringenti, & triginta, omnesque [*ipsorum*] duces obierunt. Chalcidenses verò, & Bottiæi trophæum statuerunt, susceptisq; suorum cadaueribus, in suas quisq; vrbes discesserunt. Eadem æstate, non multo post hæc, Ambraciotæ, & Chaones, cupientes totam Acarnaniam subigere, & ab Athenensibus alienare, Lacedæmoniis

persuaserunt, vt classem ex sociis ciuitatibus pararent, & mille grauis armaturæ milites in Acarnaniam mitterent. Dicebant enim illos, si cum nauibus, simul & peditatu secum venirent, (quòd Acarnanes, qui maritimam oram incolebant, copiis coactis opem [*suis laborantibus*] ferre non possent) Acarnania facilè potitos, Zacynthum etiam, & Cephalleniam in suam potestatem redacturos, & Athenienses non amplius eodem modo, [*quo antè*] Peloponnesum classe circunducta vexaturos quin etiam Naupacti capiendæ spem esse. Lacedæmonij verò illorum verbis adducti Cnemum, qui classis Prætor adhuc erat, & grauis armaturæ milites [*eò*] cum aliquot nauibus eueſtigio mittunt. Nuntiis autem circummissis imperarunt sociis, vt classem expedirent, & primo quoque tempore Leucadem venirent. Corinthij autem potissimùm, Ambraciotis suis colonis, [*in hoc bello suscipiendo*], studiosè fauebant, & classis quidem Corinthiorum, Sicyoniorum, & oppidorum in illa regione sitorum instruebatur. Nam Leucadiorum, Anactoriorum, & Ambraciotarum [*classis*] iam antè [*eò*] profecta, ad Leucada [*reliquas sociorum naues*] præstolabatur. Cnemus verò & mille grauis armaturæ milites, quos secum ducebat, postquàm mare traiecerunt clam Phormione, qui viginti nauib⁹ Atticis præerat, quæ circa Naupactum in præsidio erant, se confestim ad expeditionem itinere terrestri faciendam parare cœperunt. eique præstò fuerunt ex Græcis quidem, Ambraciotæ, Leucadij, & Anactorij, & mille Peloponnesij, quos ipse secum ducebat. Ex barbaris verò, mille Chaones, qui regio dominatu non regebantur, quibus præerat annuú Magistratum gerentes Photius, & Nicanor, ex familia, cui ad Magistratus patebat aditus. Cũ Chaonibus

nibus verò militabant & Thesproti, qui & ipsi dominatu regio non gubernabantur. Molossos verò ducebat, & Antitanas Sabylinthus, Tharypis Regis adhuc pupilli tutelam gerens. Et Parauæos, Orædus Rex. Mille etiam Oreſtæ, permiſſu Antiochi, qui Rex ipſorum erat, cum Parauæis, & Oræodo ad eandem militiam proficiſcebantur. Perdiccas etiam clàm Athenienſibus mille Macedones miſit, qui poſtea ſuperuenerunt. Cum hoc exercitu Cnemus non expectata Corinthiorum claſſe diſceſſit, & per agrum Argiuum iter facientes, Limnæam pagum nullis cinctum muris diripuerunt. Et ad Stratum peruenerunt, maximam Acarnaniæ vrbem, exiſtimantes, ſi hanc primam cepiſſent, cæteras etiam haud ægrè in ſuam poteſtatem venturas. Acarnanes verò, cùm intellexiſſent & terra magnas copias [*in agrum ſuum*] irruptionem feciſſe, & mari ſimul hoſtes cum claſſe [*contra ſe*] venturos, copias, non coëgerunt, vt ſuis laborantibus opem ferrent; ſed ſua quique cuſtodiebant. Et ad Phormionem [*nuntios*] miſerunt, per quos eum rogarunt, vt auxilium [*ſibi*] ferret. Ille verò reſpondit ſe non poſſe, quòd claſſis Corintho eſſet ventura, Naupactum præſidio nudatam relinquere. Peloponneſij verò, eorumque ſocij ſuas copias in tres acies partiti, ad vrbem Stratiorum iuerunt, vt caſtris prope illam poſitis, niſi verbis [*eos ad deditionem faciendam*] inducere poſſent, re ipſa muros tentarent. Atque dum [*ad vrbem*] accederent, medium quidem agmen tenebant Chaones, & cæteri barbari. ad dextram verò ipſorum erant Leucadij, Anactorij, & qui cum ipſis veniebant: ad læuam, Cnemus, Peloponneſij, & Ambraciotæ, magno autem interuallo alij ab aliis diſtabant, quinetiam interdum à mutuo conſpectu remoti erant. Et Græci

quidem seruatis ordinibus, & cautè, [*ac exploratis itineribus*] procedebant, donec in opportuno [*loco*] castra posuerunt. Chaones verò, quòd suis ipsorum viribus confiderent, & ab illius continentis incolis bellicosissimi esse iudicarentur, castris ponendis locum diligere non sustinuerunt, impetuque cum cæteris barbaris lati, vrbem vel ipso clamore tantùm se capturos, atque hoc [*præclarum vrbis expugnatæ*] facinus sibi tributum iri existimarunt. Stratij verò cùm eos propius accedere vidissent, & existimassent, si eos à cæteris seiunctos, [*illorumque auxilio nudatos*] superassent, Græcos non amplius pariter ad se accessuros, in locis vrbi circumcirca vicinis insidias antè collocant. Postquàm autem illi propius accesserunt, ex vrbe pariter, & ex insidiis prosilientes impressionem [*in eos*] faciunt. Illisque timore perculsis, multi Chaones cæduntur, cæterique barbari, postquàm eos cedentes animaduerterunt, ne ipsi quidem [*hostium impetum*] amplius sustinuerunt, sed in fugam se coniecerunt. Neutrum autem Græcorum agmen hanc pugnam sensit, quòd illi longiùs processissent, eosq; [*Græci*] properare crederent, vt locum castris faciendis opportunum occuparent. Sed cùm effusa fuga barbari ferrentur, eos ad se recipiebant, castrisque iunctis, ibi per diem quieuerunt, quòd Stratij cum ipsis ad manus venire nollent, quia cæterorum Acarnanum auxilia ad ipsos nondum conuenerant: sed hostem fundis eminus lacessèrent, & ad inopiam consilij compellerent. nec enim sine grauis armaturæ militibus loco sese mouere, [*& ad ipsos propius accedere*] audebant. Acarnanes autem hoc pugnæ genere excellere existimantur. Vbi verò nox aduenit, Cnemus cum exercitu celeriter sese recipiens ad fluuium Anapum, octoginta stadiis

Strato

Strato distantem, postero die, impetrata fide publica, [*suorum*] cadaueta recepit. cumque Oeniadæ per amicitiam se illi adiunxissent, ad eos concessit, antequàm cæterorum [*Acarnanum*] auxilia in vnum conuenirent, atque illinc omnes domum redierunt. Stratij verò trophæum statuerunt prælij cum barbaris commissi. Classis autem, quam Corintho, & ab aliis sociis ex sinu Crisæo ad Cnemum venire oportuerat, ne Acarnanes, qui maritimam oram incolebant, illis, qui in superioribus, [*ac mediterraneis Acarnaniæ*] locis habitabant, copiis vndique collectis auxilium ferrent, non venit: sed [*qui in illa classe vehebantur,*] per illos ipsos dies prælij ad Stratum facti, coacti sunt nauali pugnã committere cum Phormione, & viginti nauibus Athenienſium, quæ Naupacti in statione præsidij causa manebant. Phormio enim ipsos terram legentes extra sinum obseruabat, eo consilio, vt [*ipsos*] in apertum, & patens mare progressos aggrederetur. Corinthij verò, eorumque socij non vt ad nauale prœlium: sed potius [*vt ad terrestrem pugnam*] more peditum instructi in Acarnaniam nauigabant. Simul etiam quia putabant Athenienses, qui viginti tantùm naues habebant, cum suis septem & quadraginta nauibus pugnam committere non ausuros. Veruntamẽ postquàm ipsos infesta classe contra se nauigantes viderunt, dum ipsi maritimam oram legerent, postquàm etiam dum è Patris Achaię [*oppido*] ad oppositam continentem, in Acarnaniam traiicerent, animaduerterũt Athenienses ex Chalcide, & Eueno fluuio contra se tendentes (quamuis enim [*Athenienses*] prope illos portum noctu cepissent, [*Peloponnesios tamen*] non latuerunt.) Ita demum in medio freto nauale prœlium committere cogũtur. Duces autem & oppidatim omnium

erant, qui se [*ad pugnam*] parabant. Corinthiorum verò, Machon, Isocrates, & Agatharchidas. Ac Peloponnesij quidem aciem instruxerunt, facto suarum nauium orbe quàm maximo potuerunt, non permittentes, vt hostium naues per mediam suam classem transcurrerent, & proras quidem, extra, puppes verò, intrò [*verterunt.*] paruaque nauigia, quæ simul nauigabant, intra [*nauium orbem*] receperunt, & quinque naues celeritate præstantes, vt, si quâ hostes [*in suam aciem*] irruerent, per interuallum, quod exiguum erat, ipsæ præstò essent ad eruptionem in eos faciendam. Athenienses verò cùm suas naues in longiorem seriem disposuissent, ita vt singulæ singulas deinceps sequerentur, eos vndique circumuehi, & in angustum contrahere cœperunt, [*hostilium nauium*] proras semper cursu propemodum radentes, & impressionis iamiam faciendæ opinionem præbentes. Sed Phormio ipsis antè præceperat ne hostem prius aggrederentur, quàm ipse signum dedisset. Sperabat enim hûc ipsorum ordinem in eodem statu, vt in pedestri pugna, quæ in terra committitur, non permansurum: sed naues inter se concursuras, & [*parua*] nauigia perturbationem [*illis*] allaturas. Præterea ventum ex sinu [*Crisæo*] spiraturum, qui sub auroram [*quotidie*] flare consueuerat, quem ille expectans nauibus circumuehebatur. [*&*] ne momento quidem temporis ipsos quieturos, [*ac in acie firmiter staturos.*] Existimabat etiam ipsum hostis inuadendi tempus in sua potestate fore, ita vt eos arbitratu suo aggrederetur, ob maiorem suarum nauium celeritatem, qua longè præstabat, & tunc [*quũ ventus spirare cœpisset,*] pulcherrimam [*hostis adoriendi*] occasionem fore. Vbi autem & ventus flare cœpit, & naues iam in arctum redactæ duabus de causis, cùm

cùm ob ventum, tum etiam quòd [*parua*] nauigia simul ipsis incumberent. [*eaq; premerent,*] turbari cœperunt, & nauis cum naui concurrebat, & viri [*naues alienas*] contis [*à suis*] repellebant, &, quia clamores edebant, & vicissim alij aliorum naues, earumque mutuum concursum vitare conabantur, & conuiciis vtebantur, nec ea, quæ præcipiebantur, nec hortatorum voces exaudire poterãt. Quoniam autem homines [*rerum nauticarum*] imperiti remos in maris agitati fluctibus attollere non poterant, naues gubernatoribus minus obtemperantes præbebant. Tunc verò [*Thormio*] hoc ipso temporis articulo [*suis*] dat signum, & Athenienses facta [*in hostes*] impressione. primùm quidem vnam ex prætoriis nauibus deprimunt. deinde verò & alias, quacunque transibant, [*& quascunque adoriebantur,*] corrumpebant. Et effecerunt, vt nullus ipsorum, propter perturbationem, ad resistendum se conuerteret: sed [*omnes,*] Patras versus, & Dymen Achaiæ fugerent. Athenienses verò illos persequuti, captisque duodecim nauibus, & occisa maxima parte hominum, qui in illis erant, ad Molycricum nauigarunt, & trophæum in [*promontorio*] Rhio statuerunt, nauiq; Neptuno consecrata. Naupactum redierunt. Peloponnesij quoq; cũ reliquis nauibus ex Dyme, & Patris ad Cyllenen Eleorum nauale, confestim præteruecti peruenerunt. Huc etiam Cnemus ex Leucade, & naues Leucadiæ quas cum his antea coniunctas oportuerat, post pugnam ad statum commissam, venerunt. Lacedæmonij verò Cnemo miserunt Timocratẽ, Brasidam, & Lycophronem, quorum consilio in rebus nauticis vteretur, imperantes vt alterum nauale prœlium [*superiore*] melius pararet, nec à paucis nauibus maris vsu prohiberetur. Ipsis enim vi-

debatur (præcipuè verò quia tunc primum nauali prœlij periculum fecerat) hæc res admodũ præter rationem, [*ac expectationem*] accidisse. neque adeò classem suam [*classe Athenienſium*] inferiorem esse: sed [*potius*] quandam ignauiam [*in ſuis militibus* fuisse existimabant: non considerantes quantum esset discrimen inter Athenienſium peritiam longo vsu confirmatam, & suum rei nauticæ tyrocinium, cui non ita pridem operã dare cœperant. Quare cum indignatione [*hos ad Cnemum*] miserunt. Hi autem cùm ad Cnemum peruenissent, de communi consilio nuntiis circummissis certum nauium numerum singulis [*ſociorum*] ciuitatibus imperarunt, & quas iam habebãt, ad nauale prœlium committendum reficiebant. Phormio & ipse [*nuntios*] Athenas misit, qui Lacedæmoniorum apparatum indicarent, & prœlij naualis victoriam à se partam significarent. petiitque vt quàm plurimas naues primo quoq; tempore ad se mitterent, quòd quotidie prœlij naualis committendi spes esset. Illi verò viginti naues ad eum mittunt. Ei autem, qui eas adducebat, præterea mandant, vt primùm in Cretam nauigaret. Nicias enim Cretensis Gortynius, qui erat [*Athenienſium*] hospes, ipsis persuasit vt in Cydoniam nauigarent, dicens fore vt eam, quæ ipsis erat inimica, in ipsorum potestatem redigeret. Illos autem [*ad hoc faciendum*] induxit. Polichnitis, qui Cydoniatis erant finitimi, gratificari cupiens. Atque ille quidem cum nauibus, quas acceperat, in Cretam abiit, & cum Polychnitis Cydoniatarum agrum vastauit. Ibique cùm propter ventos, tum etiam propter nauigandi difficultatem tempus non exiguum consumpsit. Peloponnesij verò, qui ad Cyllenen erant, interea dum Athenienses circa Cretam detinebantur, ad

nauale

nauale prœlium instructi, ad Panormum Achaicum nauigarunt, vbi erant terrestres Peloponnesiorum copiæ in vnum coactæ, vt ipsis auxilium ferrent. Ipse quoq; Phormio ad Rhium Molycricum iuit, ac extra ipsum cum viginti nauibus statione habuit, quibus etiam in prœlio nauali est vsus. Hoc autem Rhium Athenienſibus erat amicum. Alterum vero Rhium, quod est in Peloponneso, est eregione: maris autem interuallo stadiorum fere septem alterum ab altero distat. hoc verò est Crisæi sinus os. Peloponnesij igitur ad Rhium Achaicum, quod à Panormo non multum aberat, in quo erant pedestres ipsorum copiæ, & ipsi, postquàm & Athenienses conspexerunt, cum septem & septuaginta nauibus appulsi castra posuerunt. Et per sex, septemve dies aduersas stationes, [*& castra opposita*] habuerunt, prœlium nauale meditantes, ac præparantes. Eo consilio, quidem, quod extra hæc Rhia in latum, [*ac patens*] mare progredi non auderent, superiore clade territi. Illi verò, quod in [*maris*] angustias ingredi nollent, quia existimabant pro illis facere, prœlium in angustiis cõmitti. Deinde Cnemus, Brasidas, cæteriq; Peloponnesiorum duces, cùm prœlium nauale primo quoque tempore committere vellent, prius quàm noua classis Athenis missa, istis subsidio veniret, primùm milites conuocarunt, cumque multos ipsorum propter superiorem cladem territos, nec alacres animaduerterent, vt animos illis adderent, hæc verba fecerunt.

CNEMI, ET CÆTERORVM PELOPONNESIORVM DVCVM concio.

Si quis vestrum, Viri Peloponnesij, propter su-

periorem naualem pugnam, futuram etiam reformidat, is non iustam formidinis coniecturam habet. nam & apparatu fuit inferior, quemadmodũ scitis, nec ad nauale prœlium potius, quàm ad terrestrem expeditionem nauigabamus. Quinetiam non paucæ res aduersæ, fortuna ita volente, nobis acciderunt. Nonnihil etiam ipsa rerum nauticarum imperitia nos, qui tunc primùm prœlij naualis periculum fecimus, labefactauit. Itaque non propter nostram ignauiã accidit, vt superaremur. neq; conuenit animos, qui per vim superati non fuerunt, & qui rationes aliquas habent, quas aduersariis obiiciant, [*vt suam causam probent,*] calamitatis euentu, [*& malis, quæ acciderunt,*] debilitari: sed existimare, vsu venire, vt rebus quidem fortuitis homines fallantur: sed iidem, si animos fortes habeant, semper stent erecti. neque [*deos ipsos*] imperitiam prætendentes, cùm animi virtus adsit, aliqua in re meritò ignauos esse. Vos autem non tam propter imperitiam [*hostibus*] estis inferiores, quàm propter audaciam, [*animiq; præsentiam illis*] superiores. Horum verò scientia, quam maximę formidatis, si cum fortitudine sit coniuncta, memor etiam erit in periculis peragere ea, quæ didicit: sed sine animi generositate, nulla ars aduersus pericula valet. Metus enim memoriam excutit, ars verò sine fortitudine nihil prodest. Ergo maiori illorum experientiæ maiorem audaciam opponite. Timori verò, quo propter cladem acceptam perculsi estis, [*opponite præsentem in instruenda acie diligentiã, qua prius neglecta superati fuistis.*] quòd imparati tunc essetis. Vobis etiam insuper adest nauium multitudo, & [*loci opportunitas,*] quòd præsentibus grauis armaturæ militibus naũale prœlium prope regionem vestram sitis commis-

missuri. Plerumque verò victoria penes illos est, qui sunt & numero superiores, & melius instructi. Quamobrem nihil prorsus reperimus, cur merito simus offensuri, [*& cladẽ aliquam accepturi.*] Quin etiam quæcunque antè peccauimus, nunc hæc ipsa adiuncta disciplinam præbebunt, [*& documento nobis erunt.*] Fidenti igitur animo & gubernatores, & nautæ suum quique ducem sequamini, non deserentes locum, qui vnicuique vestrum assignatus fuerit. Nos verò non deterius, quàm superiores duces, [*hostis*] inuadendi commoditatem parabimus, neque cuiquam occasionem præbebimus, vt sit ignauus. Quòd si quis fortè [*rem ignauiter gerere*] voluerit, is debitis pœnis afficietur. At [*viri*] fortes præmiis virtute dignis ornabuntur. His igitur verbis duces Peloponnesiorum suis militibus animos addiderunt. Phormio verò timens & ipse suorum militum formidinem, & animaduertens eos concilia seorsum habentes, classis hostilis multitudinem formidare, voluit illis conuocatis animos addere, & in præsentia [*ad fidentiam eos*] adhortari. Nam antè quidem illis semper dicebat, (vt illorum animos [*ad rem fortiter gerendam*] præpararet) nullum esse tantum nauium numerum, cuius, si contra ipsos veniret, impetus ipsis non esset sustinendus. Et ipsi milites iampridem hanc opinionem animis conceperant, nullam quantumuis ingentem Peloponnesiorum classem Athenienſibus extimescendam, ita vt ei cederent. Tunc verò cernens ipsos, propter præsentiam hostis, qui erat in ipsorum conspectu, animo debilitatos, eos commonefacere voluit, vt fidentem animum haberent. illisq; conuocatis, hanc orationem habuit.

PHORMIONIS CONCIO.

Cùm vos animaduertam, viri milites, hostium

multitudinem pertimescere, [*vos*] conuocaui, quia non censeo vobis extimescenda esse, quæ minimè sunt horrenda. Hi enim primùm quidem, quòd à nobis antè victi fuerint, sibi que sint conscij se nobis non esse pares, hunc nauium numerum, nec æqualem [*nostro: sed longè maiorem sibi*] compararunt. Deinde [*verò, quòd ad illorum fiduciam attinet,*] qua potissimùm freti contra [*nos*] tendunt, [*& propter quam se fortes esse oportere censent,*] quasi fortitudo ad ipsos [*solos*] pertineat, nullam aliam ob causam, nisi ob pugnæ pedestris peritiam sibi compararunt, qua fit, vt pleraque bella feliciter gerant, & in rebus etiam nauticis se idem suo cum commodo facturos putent. Sed hoc meritò nobis nunc magis, [*quàm illis,*] aderit, si & illis in illo [*altero pedestru pugnæ genere maior peritia adest.*] Siquidem animi præstantia nequaquam excellunt. Quòd autem vtrique maiorem alicuius rei peritiam habeamus, [*ideo*] sumus audaciores. Præterea Lacedæmonij, qui sociis præsunt, propter opinionē vestrā, [*quam de vestra rerum nauticarum peritia conceperunt, eorum*] plerosque in hoc periculum inuitos adducunt. Cùm enim Marte minimè dubio superati fuerint; [*profectò nisi cogerentur,*] nouum nauale prœlium nunquam tentarent. Illorum igitur audaciam ne formidetis. Vos enim longè maiorem, atque certiorem terrorem illis incutitis, tum quia eos iam antè vicistis, tum etiam quia putant vos contra se [*cum tam exiguo nauium numero*] non staturos, nisi facinus aliquod maximè memorabile facere decreueritis. Nam aduersarij, qui numero sunt superiores, vt isti, viribus magis, quàm consilio freti [*hostem*] inuadunt. Qui verò sunt longè inferiores, simul etiam qui [*præter voluntatem pugnare*] non coguntur, magnam quandam animi fiduciam haben-

habentes, aduersus [*hostem ire*] audent. Quæ cùm isti considerent, magis nos formidant ob non iustum, quàm ob iustum [*rerum bellicarum*] apparatum. Multi autem exercitus [*maiores*] à minoribus, propter imperitiam, nonnulli etiam propter ignauiam iam profligati fuerunt. à quo vtroque [*vitio*] nos nunc alieni sumus. Prœlium verò in sinu mea sponte non committam, nec in eum nauigabo. Video enim [*maris*] angustias non conducere paucis nauibus, quæ sub peritis gubernatoribus aguntur, & quæ sunt agiliores, aduersus multas naues, in quibus homines rerum nauticarum imperiti vehuntur. Nec enim quisquam hostem inuaserit, ita vt rostro nauis impressionem in eum faciat, quemadmodum oportet, nisi è longinquo eum in conspectu habeat, neque, si [*ab eo*] prematur, commodè se subducere queat. neq; per mediã classem percurrendi, aut recurrendi, [*ac irruptionis repetendæ*] facultas vlla datur, quæ nauium agiliorum sunt opera. Sed pro nauali prœlio pedestre fieri necesse fuerit. Hoc autem modo maior nauium numerus meliore conditione pugnat. Sed harum rerum curam ego pro virili prouidè geram. Vos verò apud naues vestrum quique ordinem seruantes, imperata celeriter accipite, [*& celeriter facite,*] præsertim cùm hostium stationes non longè absint, & in ipso prœlio militarem disciplinam & silentium plurimi facite (hæc enim cùm multis aliis in rebus bellicis, tum verò præcipuè in naualibus conducunt) hosq; pro eo, ac res à vobis antè gestas decet, propulsate. Magnum autem certamen vobis [*est propositum. oportet enim vos*] aut omnem classis spem Peloponnesiis eripere, [*cuius opera se maris imperium adepturos sperant,*] aut propiore maris metum Atheniensibus afferre, [*ita vt eos de maris*

imperio, ne iam partum amittant, solicitos esse cogatis.] Illud etiam iterum vobis in memoriam reuoco, permultos eorum à vobis superatos fuisse. Virorum verò, qui [*semel*] victi fuerunt, animi eadem pericula [*iterum*] pari audacia subire non solent. Huiusmodi verbis & ipse Phormio suos est adhortatus. Peloponnesij verò, quoniam Athenienses in sinum, & [*marus*] angustias contra ipsos non tendebant, cùm eos inuitos in sinum producere vellent, statim primo diluculo instructa classe in ordines, quorum singuli quaternas naues habebant, portu soluentes, in suum agrum, intra [*Crisæum*] sinũ nauigare cœperunt, dextro cornu procedente, sicut etiam in statione steterant. In hoc autem [*cornu,*] viginti naues maxima celeritate præditas constituerunt, vt, si fortè Phormio ratus ipsos Naupactum versus tendere, ipse quoque hac iter faceret, opem [*oppido*] laturus, Athenienses suarum nauium impressionem extra suum cornu vitare non possent: sed hæ ipsæ naues [*eos*] intercluderent. Ille verò (id, quod illi expectabant) metuens oppido præsidiis nudato, postquàm vidit eos nauigantes, inuitus, & festinanter militibus in naues impositis oram maritimam legere cœpit. Simul etiam Messeniorum peditatus oram maritimam sequutus aderat, vt suis opem ferret. Peloponnesij verò cùm eos vnico cornu longa naium setie, ita vt singulæ singulas sequerentur, & iam intra sinum, & prope terram nauigantes vidissent (id, quod maximè cupiebant) vno signo repente dato, nauibus conuersis, proris aduersis in Athenienses ferri cœperunt, quanta maxima celeritate quisque poterat omnes q; [*illorum*] naues à se interceptum iri sperabant. At illorum vndecim quidem naues, quæ præcedebant, Peloponne-

siorum

siorum cornu, & conuersionem vitantes in apertum mare fugerunt: sed alias [*Peloponnesij*] assequuti sunt, & fugientes, ad terram compulerunt, & corruperunt. Et Athenienses, quotquot ex illis non enatauerunt, interfecerunt. Nonnullas etiam naues, quas ex suis religauerant, inanes trahebant, & vnam ipsarũ cum ipsis viris iam ceperant. Nonnullas verò Messenij subsidio suis profecti, & cum ipsis armis in mare ingressi, conscenderũt, & ex earum tabulatis pugnantes, hostib⁹, qui eas iam trahebãt, eripuerunt. Hac igitur parte Peloponnesij victores erãt, & Atticas naues corruperũt. Sed vigintì ipsorũ naues, quæ in dextro cornu collocatæ fuerãt, vndecim Athenienſiũ naues persequebantur, quæ nauiũ [*Peloponnesiacarum*] conuersionẽ vitantes in apertum mare fugerant. Et præter vnam, [*cæteræ omnes*] hostem præuerterant, & Naupactum fugam se receperant. cumque ad Apollinis fanum appulissent, proris contra hostes versis sese ad vim propulsandam accingebant, si illi ad terram contra se venirent. Illi verò cùm paulo pòst aduenissent, inter nauigandum pæana canebant, tanquam victores, & vnam Athenienſium nauem, quę reliqua erat, vna Leucadia nauis, quæ cæteras longè antecedebat, insequebatur. Fortè autem nauis oneraria aliquantum procul à portu stabat ad anchoras, ad quã Attica nauis, cùm prior peruenisset, & circum eam se egisset, in mediam Leucadiam persequentem incurrit, eamque demergit. Cùm autem hæc res ex improuiso, & præter omnẽ expectationem accidisset, metus Peloponnesios inuasit. Simul etiam, quia non seruatis ordinibus [*hostem*] persequebantur, quòd [*iam*] victores essent, nonnullæ naues, dum illi plurium aduentum expectare volunt, demissis remis nauigationis cursum inhibuerãt, rema

[*sibi*] inutilem, [*ac perniciosam*] facientes, propter incursionem, quam hostis ex breui [*loci spatio*] in ipsas erat facturus. Nonnullæ etiam propter imperitiam in breuia impegerant. Athenienses autem, cùm hæc fieri vidissent, audacia subiit, signoque simul omnibus dato, & clamore sublato in eos impressionem fecerunt. Illi verò cùm propter superiora peccata, tum etiam propter præsentem rerum omnium confusionem, paulisper quidem hostium impetum sustinuerunt, deinde verò terga dantes in Panormum redierunt, vnde soluerant. Athenienses verò eos insequuti, ceperũt sex naues, quæ maximè propinquę erant, & suas abstulerunt, quas illi ad terram corruptas, tunc primùm religauerãt. Hostium autem alios quidem interfecerunt, alios verò, quorum exiguus erat numerus, viuos ceperunt. Timocrates verò Lacedæmonius, qui in Leucadia naui vehebatur, quæ circum onerariam est depressa, quum nauis est fracta, gladio se transegit, & in Naupactiorum portum est delatus. Athenienses autem reuersi trophæum [*ibi*] statuerunt, vnde profecti vicerunt. Et cadauera nauium quę fractarum tabulas, quæ ad ipsorum oram delatæ fuerant, susceperunt, suaque hostibus interposita fide publica reddiderunt. Peloponnesij autem & ipsi trophæum statuerunt, tanquam victores, ob naues fugatas, quas ad terram corruperant, & nauem, quam ceperant, in Achaico Rhio iuxta trophæum [*Neptuno*] consecrarunt. Postea verò veriti ne auxilia ab Athenensibus missa superuenirent, noctu in Crisæum, Corinthiumque sinum omnes præter Leucadios vela fecerunt. Nec multo post [*Peloponnesiacarum*] nauiũ discessum, Athenienses ex Creta venientes cum viginti nauibus, quas ante pugnã Phormioni adesse oportuerat, Naupactum appulerunt.

lerunt. Atque hæc æstas [*sic*] exacta est. Prius tamen quàm classis dimitteretur, & Corinthum Crisæumque sinum repeteret, Cnemus, Brasidas, & cæteri Peloponnesiorum duces, ineunte hyeme, à Megarensibus edocti, Piræum Athenienſium portum (nullo enim præsidio custodiebatur, nullisq; catenis claudebatur, idque non sine causa, quòd [*Athenienses cæteris*] classe longè superiores essent) tentare voluerunt. Illis autem placitum est, vt singuli nautæ cum singulis remis, & singulis puluinis, quos sibi remigantibus substernerent, & cum singulis scalmis, Corintho pedibus irent ad mare, quod Athenas spectat, atque illinc Megara quàm celerrimè profecti, deductis ex Nisæa, illorum nauali, quadraginta nauibus, quæ illic erant, confestim in Piræum nauigarent. Nec enim in eo vlla classis erat, quæ pro portu in statione manens excubias ageret, nec vlla prorsus erat suspicio de hostium aduentu, quasi aliquando repentè sic infesta classe [*eò*] venturi essent. Siquidem [*Athenienses existimabant illos*] ne apertè quidem [*vnquam*] per otium hoc ausuros, neque, si [*tale quid illi*] in animum induxissent, se non præsensuros. Postquàm autem hoc ipsis placitum est, statim etiam discesserunt. cumque noctu [*Megara*] peruenissent, & naues ex Nisæa deduxissent, in Piræum quidem non amplius nauigarunt, quemadmodum in animo habebant, periculum formidantes: (quanquam quidam etiam ventus eos impediuisse fertur) sed ad Salaminis promontorium; quod Megara spectat. (ibi autem erat propugnaculum, triumque nauiũ præsidium, ne quid Megarẽsibus importaretur, néve quid illinc exportaretur.) Hoc autẽ propugnaculum illi adorti sunt, & triremes vacuas deduxerunt, & cæteram Salaminem, [*incolas eius*] ex

improuiso aggressi, diripuerunt. Sed ignes, quibus hostium aduentus significabatur, [*à Salaminiis*] Athenas versus in aërem sunt sublati, vnde tantus pauor [*Athenienſium*] animos inuasit, vt in eo bello nullus maior extiterit. Nam qui in vrbe erant, hostes in Piræum iam ingressos putabant. Qui verò in Piræo erant, & Salaminem iam captam, & hostes tantum contra se venturos existimabant. quod profecto facilè accidisset, si illi cunctari noluissent, neque ventus eos prohibuisset. Athenienses verò simul ac dies illuxit, cum frequentibus copiis ex omni ordine, atque ætate collectis subsidio [*Salaminiis*] iuerunt, nauesque deduxerunt, easque festinanter, magnoque cum tumultu conscenderunt, & cum nauibus quidem Salaminem petierunt, peditatum verò in Piræo reliquerunt, vt ei esset præsidio. Peloponnesij verò postquàm eos [*Salaminiis*] subsidio venire senserunt, magnam Salaminis partem excursionibus populati, captis hominibus, prædaque, & tribus illis nauibus, [*quas*] ex propugnaculo Budoro [*deduxerant manes.*] celeriter in Nisæam se receperunt. nonnihil enim & ipsæ naues, quæ longo temporis interuallo in mare deductæ fuerant, nec aquarum vim ferre poterant, eos tunc terrebant. cumque Megara peruenissent, Corinthum itinere pedestri redierunt Athenienses verò, cùm eos ad Salaminem non amplius nacti fuissent, & ipsi [*domum*] discesserunt. atque ab eo tempore Piræum iam accuratius in posterum custodire cœperunt, cùm portuum clausitris, tum etiam aliis accuratæ custodiæ generibus. Per idem tempus sub huius hyemis initio, Sitalces Odryses, Teræ [*filius,*] Thracum Rex, expeditionem fecit aduersus Perdiccam, Alexandri [*filium,*] Macedonum Regem, & Chalcidenses, qui

qui sunt in Thracia, ob duo promissa, quorum alterum quidem reposcere, alterum verò ipse persoluere volebat. Nam Perdiccas, cùm ei [*nescio quæ*] promisisset, si se Athenienſibus reconciliasset, à quibus initiò bello premebatur, nec Philippum fratrem suum, eundemque hostem in regnum restituisset, tamen quæ promiserat non præstabat. Et ipse [*Sitalces*] Athenienſibus promiserat, cùm societatem [*cum ipsis*] iniit, se bello Chalcidenſi finem impositurum. Vtraque igitur de causa [*Sitalces Perdiccæ*] bellum inferebat, & Amyntam Philippi filium in regnum Macedonum ducebat, & [*cum eo*] Legatos Athenienſium, qui huius rei causa tunc aderant, & Agnonem ducem. Oportebat enim Athenienſes quoque cum nauibus, & quàm maximo exercitu aduersus Chalcidenſes præstò esse. Ab Odrysis igitur initio ducto, primùm quidem ex suis sedibus euocat Thraces, qui intra montem Æmum, & Rhodopen habitabant, quibus vsque ad Pontum Euxinum, & Hellespontum imperabat. Deinde verò Getas, qui superato Æmo monte in vlterioribus partibus habitabant, & quotquot alij populi cis Istrum fluuium ad Pontum Euxinum magis vergentes incolebant. Getæ autem, & qui regionem illam accolunt, Scythis sunt finitimi, & cultu similes. omnes q; hippotoxotæ, [*id est, ex equis sagittarij.*] Præterea Thracum montanorum, qui suis legibus viuunt, & qui sunt Machærophori, [*id est, ensigeri.*] qui Dij vocantur, permultos euocauit, quorum maxima pars Rhodopen incolit. atque alios quidem mercede induxit, alij verò voluntarij erant, qui [*Sitalcen*] vltrò sequebantur. Euocauit etiã Agrianes, & Leæos, & cæteras gentes Pæonicas, quibus imperabat. atque hi [*Agrianes totius*] imperij erant vltimi, vsque ad Ctæos,

& Leæos Pœonas, & Strymonem fluuium, qui ex Scomio monte per Graæos, & Leæos fluit. vbi erat terminus imperij ab ea parte, quę spectat Pæonas, qui iam sunt sui iuris. at ab ea parte, quæ Triballos spectat, qui & ipsi sunt sui iuris, sunt Treres, & Tilatæi, qui terminant [*imperium.*] Hi autem ad septentrionales Scomij montis partes habitant, & à Solis occidentis partibus pertingunt vsque ad Oscium flumen. hoc autem fluit ex eodem monte, ex quo Nestus, & Ebrus. hic autem mons est & desertus & magnus, & Rhodopæ iunctus. Fuit autem Odrysarum imperium magnitudine, ad mare quidum pertingens, ab vrbe Abderis ad Pontum Euxinum, ad eam vsque partem, quâ Ister fluuius in ipsum influit. Hæc ora, quâ cursus compendiosissimus datur, naui rotunda potest ambiri, si ventus à puppi semper spiret, quatuor dierum, & totidem noctium spatio. Itinere verò terrestri, quâ compendiosissimum est iter, ab Abderis ad Istrum vir expeditus intra vndecim dies peruenire potest. atque eius quidē longitudo mare versus hæc erat. Per loca verò mediterranea, à Byzantio ad Leæos, & ad Strymonē (hinc enim longissimus est à mari tractus in loca mediterranea) viator expeditus intra tredecim dies iter conficere potest. Tributum quoque, quod colligebatur ex toto barbarorum agro, & ex Græcis ciuitatibus Seuthe regnante, (qui post Sitalcem regno potitus, id maximè auxit) omni auri, argentique pretio ad æstimationem pecuniariam reuocato, quadringenta fermè talenta valebat. nec his pauciora auri, argentiq; munera [*ipsi*] offerebantur. Præterea verò & opera textilia, & læuia, aliaque supellex [*ei offerebatur.*] neq; verò ipsi soli: sed & aliis Odrysarū viris, qui apud ipsum autoritate pollebant, ac nobiles erant, [*huiusmodi*

munera

munera dabantur.] Legem enim longè aliam condiderunt, quàm quæ est apud Persas, & quæ apud alios quoque Thraces moribus est recepta, vt videlicet potius accipiant, quàm dent. Et turpius erat, si quis rogatus non dedisset, quàm si quis non impetrasset id, quod petiisset. Veruntamen hac lege diutius sunt vsi, propter potentiam, qua valebant. Nihil enim à quoquam [*apud Regem, eiusq; nobilitatem,*] sine muneribus transigi poterat. Itaque regnum illud ad magnam potentiam peruenit. nam omnium, quæ sunt in Europa intra sinum Ionium, & Pontum Euxinum, maximum fuit prouentu pecuniarum, & cæterarum rerum copia, quę homines beatiores facit. Sed certandi viribus, & copiarum numero, Scytharum potentiâ longè fuit inferius. Nam huic [*Scytharum potentiæ*] non solùm gentes, quæ sunt in Europa, sed illæ etiam, quæ sunt in Asia, si gens vna cum vna gente conferatur, æquari nequeunt: imò verò nulla earum est, quæ Scythis vniuersis, si concordes inter se fuerint, resistere valeat. Quinetiam ne in alia quidem solertia, & prudentia, quæ in rebus ad præsentem vitam necessariis requiritur, [*Thraces*] cæteris nationibus sunt similes. Sitalces igitur, cùm tantæ regionis regnum obtineret, exercitum parabat. Postquàm autè [*res omnes ad expeditionem necessariæ iam*] ipsi paratæ fuerunt, [*copijs inde*] motis, in Macedoniam iuit, primùm quidè per suum regnũ, deinde verò per Cercinen, montẽ desertum, qui inter Sintos, & Pæones est medius, [*& qui vtrorũq; fines committit.*] Iter autẽ per eum faciebat [*eadem*] via, quam ipse succisa materia prius fecerat, quũ bellum Pęonibus intulit. Hunc autem mõtem ex Odrysis pertranseuntes, ad dextram quidem habebant Pęones; ad sinistram verò, Sintos, & Medos. Quem cùm

pertransissent, ad Doberum Pæonicam [*vrbem*] peruenerunt. Ei autem iter facienti nulla quidem exercitus pars decessit, nisi si qua morbo correpta periit: sed [*potius semper aliqua militum manus ad eius copias*] accedebat. Multi enim ex illis Thracib⁹, qui suis legibus viuebant, ad prædam vltrò [*eum*] sequebantur. Quare tota multitudo non minor centum quinquaginta millibus extitisse fertur. Atque huius quidem maior pars erat pedestris, tertia verò fermè pars erat equestris. maximam verò huius equitatus partem ipsi Odrysæ, & post eos Getæ præbuerunt. Machærophori verò, qui suis legibus viuebant, & ex Rhodope descenderant, erant totius peditatus bellicosissimi. Cætera verò turba, ex variis, diuersisque gentibus permixta, multitudine maximè formidabilis [*exercitum*] sequebatur. Doberum igitur omnes conuenerunt, & se parârunt ad irruptionem faciendam ex superiore in inferiorem Macedoniam, quæ Perdiccæ imperio parebat. Nam inter Macedones sunt & Lyncestæ, & Helimiotæ, & aliæ gentes in locis mediterraneis, quæ illis quidem sunt sociæ, & subiectæ: sed tamen regna singulæ separatim habent. Illam verò Macedoniam, quę nunc est maritima, Alexander Perdiccæ pater, & Temenidæ eius maiores, olim ex vrbe Argis oriundi, primi possederunt, & [*in ea*] regnârũt, vbi prius prœlio superatos expulissent ex Pieria quidem, Pieres, (qui postea sub Pangæo trans Strymonem incoluerunt Phagretem, & alia oppida. Vnde vel ad hoc vsque tempus regio, quæ sub Pangæo iacens ad mare vergit, sinus Piericus appellatur) ex ea verò, quæ Bottia vocatur, Bottiços, qui nunc agrum Chalcidensibus finitimum incolunt. Quinetiam angustam quandam Pæoniæ regionem iuxta Axium fluuium à locis montanis ad

Pellam

Pellam vsque, & mare pertingentem possederunt. & trans Axium, ad Strymonem vsque, eam, quæ Mygdonia nominatur, eiectis Edonis, possident. Ex illa etiam, quæ nunc Eordia vocatur, eiecerunt Eordos, (quorum plerique perierunt: sed exigua quædam ipsorum pars circa Physcam habitat) & ex Almopia, Almopas. Hi Macedones, [*qui maritimam oram incolunt.*] alias etiam gentes in suam potestatem redegerunt, quas nunc etiam in sua potestate habét, Anchemuntem, Grestoniam, Bisaltiam, magnamque [*superioris Macedoniæ*] partem; quæ ad ipsos Macedonas pertinebat, [*qui loca mediterranea incolebant.*] Hæc autem vniuersa, Macedonia vocantur. & Perdiccas Alexandri [*filius*] horum erat Rex, quo tempore Sitalces [*ipsi*] bellum intulit. Atque hi quidem Macedones, cùm ingens exercitus illos inuasisset, quòd ei resistere non possent, se receperunt in loca natura, situque munita, & in munitiones manu factas, quæ in eo agro erãt. Harum autem non magnus erat numerus. Sed postea Archelaus Perdiccæ filius, regno potitus eas, quę nũc in ea regione extãt, ædificauit, & vias rectas secuit, [*eas q; direxit.*] & cùm alia digessit, tum etiam rem militarem equis, armis, & reliquo belli apparatu longè melius, quàm cæteri omnes octo Reges, qui eum antecesserant, [*instruxit, ac ornauit.* Exercitus verò Thracum Dobero profectus, primùm quidem irrupit in regnum, quod Philippi priùs erat, & Idomenen quidem per vim cepit, Gortyniam verò, & Atalantam, & alia quædam oppida, in deditionem, ac fidem recepit, quæ se ipsi adiunxerunt ob amicitiam Amyntæ, qui erat Philippi filius, & qui [*tunc ibi*] aderat. Europum autem oppugnarunt: sed expugnare non potuerunt. Deinde verò & in reliquam Macedoniam processit, quæ ad Pellæ, Cyr-

rhique dextram iacet. Sed intra hæc, in Bottiæam & Pieriam non intrarunt: at Mygdoniam, Greſtoniam, & Anthemuntem diripuerunt. Macedones verò ne cogitarunt quidem peditatu [*hoſtibus*] reſiſtere: ſed accito equitatu à ſociis, qui loca mediterranea incolebant, vbi videbatur [*commodum,*] pauci multos adorti, in ipſum Thracum exercitum impetu ferebãtur: & quâ impreſſionem faciebant, nullus illorum, vt potè equitum egregiorum, & loricatorum impetum ſuſtinebat: ſed hoſtium multitudine circumuenti, in diſcrimen ſe coniiciebant propter eorum multitudinem longè numeroſiorem. Quare tandem hoſtes laceſſere deſierunt, quòd exiſtimarent ſe longè maiori militum numero ſine periculo reſiſtere non poſſe. Sitalces verò & ad Perdiccam verba facere cœpit de rebus, quarum cauſa bellum ipſi intulerat: & quoniam Athenienſes cum claſſe nõ aderant (eum enim [*illuc*] iturum non credebant) quoniam etiam dona, & legatos ad ipſum miſerant, quandam ſuarum copiarum partem in Chalcidenſes, & Bottiæos miſit. cumq; illos intra muros compuliſſet, agrum eorum vaſtauit. Dum autem caſtra ſtatiua haberet in his locis, Theſſali, qui Auſtrum verſus habitant, & Magnates, & cæteri, qui Theſſalorum imperio parent, & Græci ad Thermopylas vſque timuerunt ne exercitus iſte contra ſe quoque veniret, & in armis erant. Thraces etiam, qui trans Strymonem, Boream verſus, loca campeſtria incolebant, Panæi præterea, & Odomanti, & Droi, & Derſæi, tertiti ſunt. omnes autem ſuis legibus vtentes liberi viuebant. Præbuit etiam [*idem Sitalces*] occaſionem rumoris inter Græcos Athenienſium hoſtes, [*periculum eſſe*] ne, qui ab ipſis [*Athenienſibus*] per ſocietatis ſpeciem adducebantur, ipſos etiam inuaderent,

rent. Ille verò & Chalcidicum, & Botticum, & Macedonicum [*agrum*] simul [*ibi*] subsistens vastabat. Et cùm nihil eorum, quorum causa infestis armis [*eò*] profectus fuerat, ipsi feliciter succederet, cumque ipsius exercitus commeatu careret, & hyemis incommodis vexaretur, à Seuthe Spardoci [*filio,*] qui ipsi patruelis, quique apud ipsum potentia secundus erat, ad celeriter abeundum inducitur. Seuthen autem Perdiccas sibi clàm conciliauerat, pollicitus se in matrimonium ipsi sororem daturum, & præter ipsam, pecunias etiam [*donaturum.*] Itaque Sitalces [*Seuthæ verbis*] inductus, & x x x vniuersos dies [*militiæ*] commoratus, & horum octo apud Chalcidenses [*consumptis,*] cum exercitu domum celeriter se recepit. Perdiccas verò postea Stratonicem sororem suam Seuthæ vxorem dedit, vt ei promiserat. Hæc igitur Sitalcis expeditio hûc habuit exitum. Athenienses verò, qui Naupacti erant, eadem hyeme, post [*dimissam, ac*] dissolutam Peloponnesiorum classem, duce Phormione, maritimam oram legentes Astaco bellum intulerunt, exscensuque ex nauibus in terram facto mediterranea Acarnaniæ loca petierunt, cum quadringentis suorum grauis armaturæ militû classiariorum, & cum totidem Messeniis, & ex Strato, & Corontis, aliisque oppidis eos, qui videbantur dubiæ fidei homines, eiecerunt, & cum Cynetem Theolyti [*filium,*] in oppidum Coronta reduxissent, ad suas naues redierunt. Nam Oeniadis, (qui soli omnium Acarnanum Athenienſibus perpetuò erant hostes) propter hybernum anni tempus, bellû nullo modo inferri posse videbatur. Nam Achelous fluuius ex mõte Pindo per Dolopiam, Agraos, Amphilochos, & per Acarnanicam planitiê fluens, supernè quidem iuxta vrbem Stratum, & Oeniadas, per

spatium, quod inter has duas vrbes est medium, in mare defertur, & ipsorum [*Oeniadarum*] vrbem restagnans paludibus circundat, & facit, vt propter aquarum copiam ei bellum hyeme non possit inferri. Iacent autem & pleræque Echinadum insularum è regione Oeniadarũ, ab Acheloi ostio non procul distantes. Quamobrem hic fluuius, quoniam est magnus, limum semper aggerit, [*ob cuius congeriem*] nonnullæ etiam illarum insularum factę sunt continens, [*& cum continente sunt coniunctæ.*] Et credibile est ceteris quoque non modum longo temporis progressu idem euenturum. Nam & fluuij cursus est rapidus, & multus, & turbidus, & ipsæ insulæ sunt crebræ, & limo congesto aliæ cum aliis coniunguntur, ita vt limus diffundi nequeat, quòd insulæ sint gradatim, [*ac ordine transuerso,*] non autem serie directa sitæ, nec rectum aquis exitum in pelagus præbeant. Sunt autem desertæ, nec magnæ. Fertur etiam Alcmæoni Amphiarai [*filio,*] quo tempore propter matris cædem vagabatur, Apollo oraculum reddidisse, quo hanc terram ei habitandam significauit, obscurè significans eum terroribus, [*quibus agitabatur,*] liberatum non iri, prius quàm locum habitandum reperisset in ea regione, quæ, quum matrem interfecit, à sole nondum cõspecta fuisset, nec tellus esset quòd omnem aliam terram ipse [*sui parricidij piaculo*] polluisset. Ille verò cõsilij inops (vt aiunt) vix tandem animaduertit hanc Acheloi fluminis alluuionem [*ab oraculo fuisse designatam.*] Studque solum, quod limo congesto consolidatum fuerat, ipsi videbatur extitisse ab eo tempore, quo matre cæsa non paucos annos errauerat, & ad sedes in eo sui corporis causa ponendas satis amplum esse [*videbatur.*] Quare cùm in locis circum Oeniadas sitis sedes collocasset,

set, [*ibi*] regnauit, & ab Acarnane filio suo nomen regioni impositum reliquit. Quæ igitur de Alcmæone traduntur, hæc sunt, quæ [*fama*] accepimus. Athenienses verò, & Phormio castris ex Acarnania motis, & Naupactum profecti, ineunte vere Athenas redierunt, secumque duxerunt eos, quos in præliis naualibus ceperant, quos facta capitum permutatione, ita vt singula pro singulis darentur, liberos dimiserunt. naues etiam [*duxerunt*,] quas ceperant. atque hæc hyems est finita. [*huiusq; belli.*] quod Thucydides conscripsit, tertius annus est exactus.

FINIS LIB. II.

THVCYDIDIS, OLORI F. DE BELLO PELOPONNESIACO, Liber tertius.

SEQVENTE autem æstate, Peloponnesij, eorumque socij, frumento iam adulto, cum infesto exercitu in Atticam iuerunt, Archidamusque Zeuxidami [*filius*,] Lacedæmoniorum Rex, ipsis præerat, castrisque [*in ea*] positis agrum vastabant. Athenienſium verò equites, (vt consueuerant) impressionem faciebant [*in hostium agmen*,] quâ cedebat, & plurimam militum leuiter arma-

torum turbam prohibebant, ne à cæterarum copiarum corpore longius progressi loca suburbana vastarent. Ibiq́ue tandiu cõmorati, quandiu commeatus ipsis suppeditauit, [*domum*] redierunt, & in suam quique ciuitatem se receperunt. Post hanc autem Peloponnesiorum irruptionem [*in agrum Atticum factam.*] statim Lesbus, præter Methymnam, ab Athenienſibus defecit. [*Lesbij*] autem voluerant illi quidem vel ante hoc bellum motum. [*facere defectionem:*] sed Lacedæmonij [*illos in deditionem, fidemq́; suam*] recipere noluerant. Sed [*tunc*] vi necessitatis coacti, maturius, quàm secum ipsi constituerant, hanc defectionẽ fecerunt. Expectabant enim donec portus aggeribus essent obstructi, & murorum ædificium, nauiumq́; fabricatio ad suum finem esset perducta, item donec ex Ponto venissent, quęcunque venire oportebat, sagittarij, & frumentum, & quæcunque accersiuerant. Tenedij enim, qui ipsis erant inimici, & Methymnæis, quinetiam quidam ex ipsis Mitylæneis homines priuati, quibus propter factionem publicum erat cum Athenienſibus hoſpitium. Athenienſibus indicarunt omnes Lesbios [*à Lesbio*] Mitylenen per vim commigrare cogi, omnemq́; apparatũ cum Lacedæmoniis, & Bœotis, qui gentis eiusdem erant, defectionis faciendæ causa [*ab illis*] vrgeri, &, nisi quis [*illos*] iam anteuertat, ipsos Lesbo priuatum iri [*dixerunt.*] Athenienſes verò (nam morbo, belloq́ue recens suscepto, & vigente debilitati erant) rem quidem arduam esse duxerunt Lesbum, quæ classem, & vires integras haberet, à se alienare, & nouas nouorum hostium inimicitias sibi conciliare, & criminationes istas initio non admittebant, [*neq́; delatoribus fidem habebant.*] quòd [*hæc defectionis indicia ab illis ad se allata,*]

lata,] non vera : [*sed falsa*] esse mallent. Postquàm tamen ne per Legatos quidem [*Mitylenem*] missos, Mitylenæis persuadere potuerunt, vt & copias dimitterent, quas in vrbem commigrare cogebant, & reliquum [*belli*] apparatum dissoluerent, [*tunc rebus suis*] metuentes, eos anteuertere voluerunt. & confestim miserunt quadraginta naues, quæ fortè circa Peloponnesum erant, ad nauigandum paratæ. Cleippides verò Diniæ [*filius*,] cum duobus aliis collegis, his nauibus præerat. Ipsis enim renuntiatum fuerat diem festum in Apollinis Maloëntis honorem extra vrbem celebrari, ad quem celebrandum Mitylenæi frequẽtes erant conuenturi, & spem esse, si properarent, ex improuiso ipsos impressionem in illos esse facturos, [*& vrbem in suam potestatem redacturos.*] Et si conatus iste feliciter ipsis successisset, [*Athenienses præclarè secum actũ iri putabant.*] sin minus: [*classis ducibus imperauerãt.*] vt Mityleneos naues tradere, murosq; demoliri iuberent, &, nisi imperata facerent, bellum ipsis inferrent. Atque illæ quidem [*Athenienſium 40. naues*] abierunt. Athenienses verò retinuerunt decem Mitylenæorum triremes, quæ ex fœderis pacto tunc apud ipsos auxilij ferendi causa fortè aderant, virosque, qui in illis erant, in custodiam tradiderunt. Quidam verò cùm Athenis in Eubœam traiecisset, & pedibus Geræstum iuisset, [*ibi*] nauim onerariã nactus, secunda nauigatione vsus, & triduo postquàm Athenis discessit, Mitylenem delatus, Mitilenæis infestum Atticæ classis aduentum nuntiauit. Illi verò nec ad Maloëntem exiuerunt, & cæteras murorum, portuumq; partes, quæ semiperfectæ erant, præsidiis circumseptas custodiuerunt. Nec multo pòst Athenienses cum classe [*eo*] appulsi, postquàm [*suum aduentum*

illis antè significatum] viderunt, ipsi quidem duces [*Mitylenæis*] denuntiarunt quæ [*ab Athenienſibus*] imperata fuerant: ſed cùm Mitylenæi dicto audientes eſſe nollent, bellum illis facere cœperunt. At Mitylenæi imparati, & ex improuiſo coacti bellum gerere, prodierunt illi quidem cum quodam nauium numero aliquãtum ante portum, vt prœlium nauale committerent: ſed poſtea ab Atticis nauibus inſequentibus fugati, cum Atticæ claſſis prætoribus in colloquium tunc venerunt, eo conſilio, vt, ſi poſſent, naues illorum aliqua æqua conditione è veſtigio dimitterent. Athenienſium verò duces [*conditiones ab illis oblatas*] acceperunt, quod ipſi quoque metuerent ne non ſatis virium haberent ad bellum vniuerſæ Lesbo faciendum. Induciiſq; factis Mitylenæi mittunt Athenas cùm aliis, tum etiam vnum ex illis, qui detulerant indicium, quem facti iam pœnitebat, ſi forrè [*Athenienſibus*] perſuadere poſſent, vt naues [*ãſe*,] vt nihil rerum nouarum molituris, recederent. Interea verò & Lacedæmonem legatos triremi vectos mittunt, clàm Athenienſium claſſe, qui ad ſeptentrionalem vrbis partem, in Malea ſtationem habebant. nec enim quod ab Athenienſibus impetrare cupiebant, id ex voto ſibi ceſſurum confidebant. Atque hi quidem aſpera vſi nauigatione, per pelagus Lacedæmonem delati, cum ipſis [*Lacedæmoniis*] agere cœperunt, vt aliquod auxilium [*Mitylenæis*] veniret. Sed poſtquàm [*alij*] legati re infecta Athenis redierunt, Mitylenæi ad bellum ſe accingere cœperunt, & cætera Lesbo's, præter Methymnam. Hi enim Athenienſibus opem tulerant, & Imbrij, & Lemnij & quædam exigua reliquorum ſociorum manus. Mitylenæi verò copiis ex omni totius populi ætate, ac ordine collectis quandam

eruptio-

eruptionem in Athenienſium caſtra fecerunt. prœlium etiam commiſſum fuit, in quo Mitylenæi, licet hoſtibus inferiores non extitiſſent, tamen nec [*extra vrbem*,] prope [*hoſtem*] pernoctare, nec ſuis viribus confidere ſunt auſi: ſed [*in vrbem*] ſe receperunt. Deinde verò quieuerunt, quia ſi quid [*auxilij*] ex Peloponneſo præterea veniſſet, & cum reliquo apparatu, [*belli fortunam iterum tentare, ac*] periclitari volebãt. Etenim Meleas Lacon, & Hermœondas Thebanus ad ipſos venerant, qui miſſi quidem fuerant ante defectionem: ſed cùm Atticę claſſis infeſtum aduentum anteuertere non potuiſſent, poſt prœlium commiſſum [*in vrbem*] triremi clam ingreſſi ſunt: hortatiq́ue ſunt [*Mitylenæos*,] vt alterã triremem, & legatos ſecũ [*Spartam*] mitterent, illiq́; miſerũt. Athenienſes verò propter Mitylenæorum quietẽ, [*quod ab armis abſtinerent*,] multo magis confirmati, ſocios acceſſunt, qui longè citius, [*quàm quis exiſtimare potuiſſet*,] affuerunt, quòd nihil virium apud Lesbios eſſe animaduerterent. & cùm auſtralem vrbis partem claſſe circundediſſent, bina caſtra ad vrbem, hinc & illinc fecerunt, quæ muris cinxerunt, & ad vtrumque portum ſtationes vrbi proximas, ac infeſtas habebant, & maris quidem vſu Mitylenæos prohibebãt: Mitylenæi verò, aliiq́; Lesbij qui [*ſuis ſubſidio*] iam venerant, cætera quidem terra potiebantur: at illam terræ partem non magnam, quæ circum caſtra erat, Athenienſes in ſua poteſtate habebant. Sed Malea [*promontorium*] ipſis erat potius nauium ſtatio, & locus mercatus. Atque bellum ad Mitylenen ita gerebatur. Per idem huius æſtatis tempus, Athenienſes in Peloponneſum etiam triginta naues, & Aſopium Phormionis [*filium earum*] ducem miſerunt. Acarnanes enim [*eos*] orauerant,

vt aliquem Phormionis vel filium, vel cognatum, ducem ad se mitterent. Hæ autem naues oram maritimam legentes, agri Laconici oppida diripuerunt. Deinde verò Asopius maiorem harum nauium partem domum remisit, & ipse cum duodecim Naupactũ iuit. Postea verò cùm frequentes Acarnanum copias euocasset, Oeniadis bellum intulit. Et cum nauibus per Acheloum nauigauit, & pedestres copiæ agrum vastabant. Sed cùm [*Oeniadæ*] se ipsi non dederent, peditatum quidem dimisit, ipse verò in Leucadem nauigauit, suisque copiis in terram ex nauibus ad Nericum expositis, dum se recipit, cùm ipse, tum etiam pars quædam eius copiarum ab illius regionis incolis, qui ad opem suis ferendam vndique conuenerant, & à paucis quibusdam militibus præsidiariis cæditur. Postea verò Athenienses, cùm suorum cadauera à Leucadiis fide publica interposita recepissent, discesserunt. Legati verò Mitylenæorum, qui in prima naui [*Spartam*] missi fuerant, quemadmodum ipsis Lacedæmonij dixerant, vt Olympiam venirent, vt cæteri quoque socij illis auditis consultarent, Olympiam iuerunt, [*ibiq; præsto fuerunt.*] Erat autem Olympias, quâ Dorieus Rhodius [*in ludis Olympicis*] iterum vicerat. cumque post solennem illius festi celebrationem in colloquium venissent, in hunc modum verba fecerunt.

MITYLENAEORVM CONCIO.

Institutum, quod apud Græcos moribus est receptum, Viri Lacedæmonij, sociique, nos [*probe*] quidem nouimus. Qui enim recipiunt illos, qui in bellis deficiunt, & priorem societatem relinquunt, quatenus quidem aliquam vtilitatem ex illis percipiunt,

cipiunt, [*eatenus illos*] charos habent. Sed cùm superiorum amicorum proditores esse existimẽt, [*eosdem*] improbos [*esse*] ducunt, [*odioq; persequuntur.*] Atque hæc opinio non est iniqua, [*nec a ratione abhorrens,*] si & illi, qui deficiunt, & illi, à quibus defectionem faciunt, inter se sint voluntate, beneuolentiaque pares, & [*bellico*] apparatu, ac viribus æquales, nec vlla iusta defectionis causa subsit. Quod in nobis, & Athenienſibus non fuit. Quamobrem ne cuiquam improbi, [*ac proditores*] esse videamur, si, cùm pacis tempore ab ipsis honorificè tractaremur, in [*huius belli*] periculis [*nunc ab ipsis*] deficimus. Primùm enim de iure, & virtute, præsertim cùm petamus, vt in vestram societatem nos recipiatis, verba faciemus. quia scimus nullam amicitiam constantem inter priuatos conciliari, nullamque societatem [*firmam*] inter ciuitates vlla in re fieri, nisi [*qui amicitiam, & societatem inter se ineunt, amici, sociiq;*] sint inter se cum manifesta, [*veraq;*] virtute, & in cæteris [*rebus,*] morum similitudine consentiant. Nam in animorum discordia factorum etiam diuersitas existit. Etenim societas inter nos, & Athenienses primùm est inita, quum vos quidem à belli Medici administratione discessistis, illi verò ad illius belli reliquias persequẽdas permanserunt, societatem tamen [*cum illis*] fecimus, non vt Græcos in Atlienienſium potestatem redigeremus: at vt Græcos à Medorum dominatu liberaremus. Et quandiu quidem [*illi*] ex æquo rebus præfuerunt, [*illos*] alacriter sequuti sumus: sed postquàm animaduertimus ipsos illam quidem cum Medo simultatem remissiùs exercere, sociis verò iugum seruitutis imponere, tunc nõ amplius sine timore fuimus. Sed cũ propter multitudinem eorum, qui hac de re consultaturi, & sententiam

laturi erant, in vnum coëuntes [*ipsis*] resistere non posse mus. [*omnes*] socij, præter nos, & Chios, in seruitutem [*ab ipsis*] sunt redacti. Nos verò, qui nostri iuris eramus, & liberi nomine [*duntaxat,*] ad bellum vnà cum ipsis profecti sumus. Nec amplius pro ducibus fidelibus Athenienses habebamus, quia rerum [*ab ipsis*] antè gestarum exemplis vtebamur. Nec enim verisimile videbatur, ipsos illis quidem seruitutis iugum imposuisse, quos in eandem fœderis societatem nobiscum receperant, cæteris verò, si fortè rei peragendæ facultas ipsis aliquando offerretur, idem non esse facturos. Quòd si omnes adhuc liberi, nostrique iuris essemus, de ipsorum fide nobis minus esset dubitandũ, ipsosq; nihil noui molituros faciliùs crederemus. Sed cùm plerosque [*socios*] in suam potestatem redegerint, si æquo iure nobiscum agerent, grauius nimirum ferrent, &, cùm plerique [*socij*] iam [*ipsis*] cedant, [*& eorum imperio pareant.*] si nos soli pari iure cum ipsis agere vellemus, [*profectò, (vt verisimile videtur) hoc ipsis esset longè molestius.*] præsertim quia, quo magis ipsorum potentia quotidie crescit, nos etiam eò magis ab aliis deserimur. [*& ad maiorem solitudinem redigimur.*] Sed mutui metus æqualitas societatem sola facit fidelem. [*firmamq; conseruat.*] Qui enim [*societatem violare,&*] aliquid præter ius facere vult, [*is tamen,*] quia viribus non præstat, ab altero inuadendo deterretur. Nos verò nulla alia de causa [*ab Athenienſibus*] liberi relicti sumus, nisi quatenus ad imperium [*quærendum*,] & specioso verborum prętextu, & consilij aggressione, [*dolo,*] potius, quàm virium [*conatu*] res obtineri posse [*ipsis*] videbantur. Simul enim [*cæteri socij*] hoc etiam nostri testimonij argumento nitebantur, socios, qui idem iuris, ac autoritatis habebant, ad

ean-

eandem militiam cum ipsis [*Athenienſibus*] nunquam vltrò profecturos fuiſſe, niſi illi, quibus [*Athenienſes*] bellum inferebant, aliquod grauius peccatum cõmiſiſſent. Simul etiam firmiſſimos quoſque ſocios contra infirmiores primùm ſecum adducebant, & cæterorum ſociorum potentia circunciſa, [*ac diminuta,*] reliquos, quos poſtremos reliquerant, oppreſſu faciliores erant habituri. Quòd ſi à nobis initium duxiſſent, quoniam omnes ſocij ſuas domeſticas vires adhuc habebant, quoniam etiam [*habebant ad quos confugere, &*] apud quos conſiſtere poterant, haud pariter [*eos*] ſubegiſſent. Quinetiam noſtra claſſis metum aliquem ipſis incutiebat, ne fortè in vnum coacta, & aut vobis, aut alicui alij adiuncta, periculum ipſis crearet. Partim etiam [*ex imminenti ſeruitutis periculo*] euaſimus, quia ipſorum populum, & Reipub. principes, qui perpetuis vicibus in honoribus conſtituuntur, [*ſemper colimus, &*] obſeruamus: nec tamen diu videbamur poſſe [*in eodem libertatis ſtatu permanere,*] niſi hoc bellum conflatum eſſet, [*quod coniiciebamus,*] vtentes exemplis rerum, quas aliis fecerunt. Quænam igitur erat hæc fidelis amicitia, aut [*firma*] libertas, in qua alteri alteros alienis animis recipiebamus? Et illi quidem in bello præ metu nobis blandiebantur, nos verò rebus pacatis idem viciſſim ipſis faciebamus. Et quod aliis fidem, [*ac amicitiam*] cõfirmat, beneuolentia, inquam, hoc ipſum timor firmum nobis præſtabat: metuque magis, quàm amicitia retenti, in ſocietate perſtitimus. Et vtris immunitas periculi, [*& immunitatis ſpes*] audaciam citiùs erat præbitura, hi etiam priores [*fœdus violaturi, &*] aliquid præter ius facturi erant. Quare ſi cui iniuſtè facere videmur, quòd antè defeceri-mus, propter dilationem malorum, quibus illi nos

erant affecturi, nec vicissim tantisper expectare voluerimus, dum nos ipsi planè cognosceremus an aliquid eorum fieret, [*quæ formidabamus,*] is non rectè sentit. Nam si pari potentia præditi & insidias ipsis mutuò struere, & vicissim in aliud tempus [*eas*] differre possemus, quid opus esset nos, qui potentia pares essemus, in ipsorum potestate esse? Cùm verò inuadendi facultas penes illos semper sit, decet etiam penes nos esse periculi maturè vitandi facultatem. Cùm igitur, Lacedæmonij, ac socij, has [*defectionis faciendæ*] rationes, & causas haberemus, defecimus, quæ manifestæ quidem sunt auditoribus, ita vt cognoscere possint, nos [*hoc*] meritò fecisse; validæ verò ad terrorem nobis incutiendum, & ad efficiendum, vt ad aliquod salutis nostræ præsidium nos conuertamus, qui vel iampridem [*hoc ipsum facere*] volebamus, quo tempore rebus adhuc pacatis legatos ad vos misimus, qui de defectione vobiscum agerent: sed [*eam facere*] prohibiti fuimus, quia vos [*in societatē, fidemq; vestram nos*] recipere noluistis. Iam verò, quia Bœoti [*nos ad hoc faciendum*] prouocarunt, confestim [*ipsis*] obtemperauimus. Duplicemque defectionem nos facturos existimabamus, vnam quidem à Græcis, ne vnà cum Athenienſibus ipsos maleficiis afficeremus: sed vnà [*vobiscum ipsos*] in libertatē vindicaremus, alteram verò, ab Athenienſibus, ne nos ipsi postea ab illis profligaremur: sed [*defectionem*] prius faceremus, [*quàm ab illis perderemur.*] Nostra tamen defectio citiùs, [*quàm voluissemus,*] facta est, eaq; imparata, [*quia res ad bellum necessarias nondum parauimus.*] Quo etiam magis oportet [*vos*] nobis in societatem receptis, auxilium quàm celerrimè mittere, vt constet vos & illis succurrere, quibus est succurrendum, & simul hostibus nocere. Oportu

nunc o

Athe

pensi

dem

tra n

nauiu

cum

pforu

vos

fare

verò

lum

nim

litatē

adm

tur:

Est a

long

tem

iam p

ra ma

defec

[nobis

adiun

primi

periu

cios.

get.

vitabi

ditis,]

ferati

dicari

gitur

Olyn

portunitas autem [*ad hoc peragendum talis se vobis nunc offert,*] qualis nunquam antè [*se vobis obtulit.*] Athenienses enim & morbo, & pecuniarum impensis sunt attriti. Ipsorum verò naues partim quidem sunt circa vestram [*regionem,*] partim verò contra nos sunt constitutæ: quare verisimile est eos nauium copiam non habituros, si vos hac æstate cum naualibus, pedestribusque copiis simul [*in ipsorum agrum*] iterum irruptionem faciatis. Sed aut vos contra se cum infesta classe venientes propulsare non poterunt, aut ab vtrisque discedent. Neq; verò quispiam existimet se domesticum periculum pro alieni agri defensione subiturum. Cui enim Lesbos procul abesse videtur, [*hæc tamen*] vtilitatē ei ex propinquo præbebit. Nec enim (quemadmodum quis existimat) bellum in Attica geretur: sed [*in Lesbo,*] vnde Attica vtilitatem percipit. Est autem [*illi*] pecuniarum prouentus à sociis, & longè maior erit, si [*Athenienses*] in suam potestatem nos redegerint. nec enim alius deficiet: sed etiam præterea res nostræ, illorum fient. Et acerbiora mala patiemur, quàm illi, qui, antequàm vllam defectionem facerent, ipsis seruiebant. sed si vos [*nobis*] alacriter succurratis, cùm ciuitatem vobis adiungetis, quæ magnam classem habet, (cuius in primis vos indigetis) tum etiam Athenienſium imperium faciliùs euertetis, subtrahentes eorum socios. Quilibet enim se [*vobis*] confidentiùs adiunget. Et sinistram opinionem de vobis conceptam vitabitis, quam sustinetis, [*& propter quam male auditis,*] quòd illis, qui [*ad vos*] deficiunt, opem non feratis. Sed si constet illos à nobis in libertatē vindicari, robur belli firmius habebitis. Græcorum igitur spes, quas in vobis ponunt, ipsumque Iouem Olympium erubescentes, in cuius templo suppli-

cibus similes sumus, Mitylenæis in vestram societatem receptis opem ferratis, neque nos deseratis, qui priuato quidem periculo corpora [*nunc*] obiicimus: sed communem vtilitatem, si rem feliciter geramus, omnibus allaturi sumus: & damnum longè communius, si, vobis non exoratis, labamur. Estote igitur viri, quales & ipsi Græci vos esse iudicant, & noster metus desiderat. Atque Mitylenæi quidem hæc dixerunt. Lacedæmonij verò, eorumque socij cùm [*hæc*] audissent, eorumque postulata comprobassent, Lesbios in societatem receperunt, & irruptionem in agrum Atticum faciendam censuerunt. Et sociis, qui [*ibi*] aderant, edixerunt vt primo quoque tempore cum duabus suarum copiarū partibus in Isthmum irēt, vt [*irruptionē in agrum Atticum*] facturi. Ipsiq; primi [*eò*] iuerunt, & instrumenta, quibus naues trahuntur, ac subducuntur, in Isthmo pararunt, vt eas Corintho subductas in mare, quod Athenas spectat, transportarent. & cum naualibus, pedestribusq; copiis simul [*Atticam*] inuaderent. Et hi quidem alacriter hæc faciebant. Cæteri verò socij lentè conueniebant, & in frugibus colligendis erant occupati, militiæque tædio erant affecti. Athenienses verò, cum eos propter [*falsam*] suæ imbecillitatis opinionē se instruere intellexissent, cumque declarare vellent eos non rectè sentire: sed se licet classem, quæ ad Lesbum erat, suo loco non mouerent, tamen & classem, quæ ex Peloponneso contra se veniebat, facilè propulsare posse, centum naues [*rebus omnibus ad bellum necessariis*] instruxerunt, & cùm ipsi, tum etiam in quilini, exceptis illis, qui erant equestris ordinis, illis etiam exceptis, qui erant ex ordine Pentacosiomedimnorum, eas conscenderunt. Et in altum prouecti circum Isthmum

mum nauigabant, suæque potentiæ vires ostentabant, & in quamcunque Peloponnesi partem ipsis placebat, ex nauibus descendebant. Lacedæmonij verò, cùm viderent rei euentũ longè alium, quàm ipsi expectabant, cùm ea, quę à Lesbiis dicta fuerant, falsa esse ducebant, tum etiam existimantes rem esse factu difficilem, [*Athenienſium imperium à Lacedæmoniis euerti,*] simul etiam quia socij non aderant, & triginta Athenienſium naues, quę circa Peloponnesum erant, agrum ipsorum vrbi finitimum circumcircà vastare nuntiabantur, domum redierunt. Postea verò classem parare cœperunt, quam in Lesbum mitterent. Et ciuitatibus, quadraginta naues imperarunt, vt singulę pro rata parte naues ad hunc numerum explendum suppeditarent. & classis præfectum destinarunt Alcidam, qui [*eò*] profecturus erat. Athenienses verò & ipsi cum suis centum nauibus domum se receperunt, postquam illos quoque [*domum rediisse*] cognouerunt. Atque eo tempore, quo naues istæ nauigabant, in his [*rebus, quas tunc gerebant,*] maxima, simul & ornatissima, rebusque omnibus ad nauigationem necessarijs instructissima classis ipsis fuit, & altera huic similis, atque adeò longè maior, huius belli initio. Nam centum naues Atticam, Euboeam, & Salaminem custodiebant, & aliæ centum circa Peloponnesum erant, præter illas, quę ad Potidæam, & aliis in locis erant. Quare vniuersarum nauium vna ætate instructarum summa fuit ducentarum, & quinquaginta. atque hoc potissimum vnà cum Potidæa pecunias absumpsit. Nam milites, qui Potidæam obsidebant (qui autem primi ad eam obsidendam missi fuerant, erant ter mille, nec pauciores, qui in eius obsidione permanserunt, donec eam expu-

gnarunt) binas drachmas accipiebant. eorum enim vnus quisque vnam suo, alteram famuli nomine singulis diebus accipiebat. Illi quoque mille, & sexcenti milites, qui cum Phormione erant, quiq; ante vrbis expugnationem discesserũt, & vniuersę naues idem stipendium accipiebant. Pecuniæ igitur ita primùm consumptæ sunt, & tantus nauium, maximus, inquam, numerus, [*rebus omnibus ad bellum necessariis*] est instructus. Mitylenæi verò eodem tempore, quo Lacedæmonij circũ Isthmum erant, cum ipsi, tum etiam auxiliarij milites ad Methymnam, cuius per proditionem capiendę spem conceperant, terrâ cum exercitu sunt profecti. & vrbem adorti, cùm res ipsis non succederet, quemadmodum expectabant, Antissam, Pyram, & Eresſum petierunt. Et stabilitis harum ciuitatum rebus, murisque firmatis, domum celeriter se receperunt. Methymnæi verò & ipsi post illorum discessum cum copiis aduersus Antissam iuerunt. Sed accepta clade ab Antissæis, & auxiliariis quibusdam militibus, qui subsidio ipsis venerant, multos amiserunt, cæterique celeriter domum reuerterunt. Athenienses verò, cùm hæc audissent, & Mitylenæos terra potiri, & suos milites non satis virium ad illos prohibendum habere, iam circiter autumni initiũ mittunt Pachetem Epicuri [*filium,*] ducem, cum mille sui corporis militibus. Hi verò & militum, & remigum officium in nauibus facientes ad Mitylenem perueniunt, eamque simplici muro cingunt. Nonnullis etiam in locis naturâ munitis castella ædificarunt. Et Mitylene quidem vtrinque, & terra, & mari acriter obsidebatur, & hyems appetebat. Cæterùm Athenienses pecuniis ad obsidionem indigentes, cùm ipsi pecunias tunc primùm [*in vsus publicos*] contulerunt, & 200 talenta

lenta emiserunt, tum etiam duodecim naues pecuniæ colligendæ gratia, & Lysiclem cum quatuor collegis ad socios [*miserunt.*] Ille verò cùm ex aliis locis pecunias classe circumuectus exigebat, tum etiam ex [*vrbe*] Myunte per Mæandrũ Cariæ campum vsque ad Sandium collem ascendit, & à Caribus, ac Anæitis, qui ipsum inuaserant, & ipse, & magnus aliarum ipsius copiarum numerus cæsus est. Eadem hyeme Platæenses (adhuc enim à Peloponnesiis, & Bœotis obsidebantur) cùm & penuria rei frumentariæ grauiter laborarent, nec vllam subsidij Athenis ad se venturi spem amplius haberent, nec vlla alia salutis parandæ ratio appareret, cùm ipsi, tum Athenienses, qui cum ipsis obsidebantur, primùm quidem inito consilio statuunt omnes exire, hostiumque muros superare, si modo per vim hoc facere possent, huius conatus autoribus Theæneto Timidæ [*filio,*] qui vates erat, & Eupolpida Daimachi [*filio,*] qui & ipse dux erat. Deinde verò dimidia ipsorum pars, quòd periculum ingens esse duceret, metu quodam territa destitit incœpto. Sed ducenti, & viginti circiter in eadem eruptionis faciendæ sententia vltro permanserunt, in hunc modum. Scalas hostilium murorum altitudini pares fecerunt. Hanc autem emensi sunt, contemplantes laterum coagmentatorum commissuras, qua parte murus ipsorum ad eos spectans tectorio carebat. Multique simul has laterum coagmentatorum commissuras numerabant. Et horum quidem nonnulli à vera ratiocinatione aberraturi erant, plerique verò eam assequuturi erant, præsertim quia sæpius [*eas*] numerabant, simul etiam quia non procul aberant: sed ea muri pars, ad quam [*Scalas admouere*] volebant, facilè conspiciebatur. Scalarum igitur mensuram, & procerita-

rem hoc modo sunt assequuti, ex laterum crassitudine eam coniectantes. Peloponnesiorum autem murus hac erat structura. Duplicem ambitum habebat, alterum quidem, Platæas versus, [*contra Platæensium eruptiones*] alterum vero, exteriorem, [*contra Athenienses*,] si quis forte Athenis [*ad opem Platæensibus ferendam*] contra [*ipsos*] veniisset. Hi autem ambitus alter ab altero sexdecim ferme pedum interuallo distabant. In hoc verò sexdecim pedum spatio tabernacula distincta, custodibus erant ædificata, eaque perpetua, [*& contigua,*] ita vt vnicus, solidusque murus esse videretur, vtrinque pinnas habens. & ad decimam quamque pinnam turres ingentes, & eiusdem, qua murus, crassitudinis, extabant & eædem ad interiorem, & exteriorem eius frontem pertingebant, ita vt transitus prope turrim nō esset: sed per eas medias trāsirent. Noctu verò, quoties tempestas humida, [*tempus q. pluuium*] erat, pinnas quidem relinquebant, è turribus verò, quæ parum remotæ, ac supernè tectæ erant, excubias agebant. Murus igitur, quo Platæensis ab hostium præsidiis cingebantur, huiusmodi erat. Platæenses autem rebus [*ad eruptionem faciendam*] paratis, obseruata nocte, quæ & pluuia, & vento turbida erat, simul etiam quæ lunæ lumine carebat, exierunt. Illis autem præerant, qui & conatus huius autores [*ipsis*] fuerant. Ac primùm quidem transiuerunt fossam, quæ ipsos ambibat. Deinde verò hostium muro successerunt, clàm illorum custodibus, quia propter tenebras quidem, custodes prospicere non potuerunt [*eos, qui veniebant,*] strepitum verò, quem ipsi [*Platæenses*] edebant, dum [*ad hostium murum*] accederent, propter ventum obstrepentem exaudire non potuerant. Simul etiam [*Platæenses ad hostes*] accedebant

inter-

interuallo satis magno alij ab aliis distantes, ne arma collisa sonum ederent, reique significationem darent. Erant autem leuiter armati, [*& expediti,*] & sinistro tantùm pede calceati, vt in luto firmius consisterent. Per illud igitur interuallum, quod erat inter turres ad murorum pinnas accesserunt, quòd eas desertas esse scirent, primùm quidem illi, qui scalas ferebant, qui etiam eas admouerunt. Deinde verò duodecim leuis armaturæ milites cum pugione, ac thorace ascendebant. Quibus præerat Ammeas Corœbi [*filius,*] qui eriã primus ascendit. Post ipsum verò, sex, qui sequebantur, vtranque turrim superant. Deinde post hos alij leuiter armati, cum iaculis succedunt. Quibus alij à tergo scuta ferebant, vt illi facilius ascenderent, quæ ipsis erant tradituri, quum prope hostes ventum esset. Postquàm autem [*eorum*] plerique muros superarunt, custodes, qui excubias in turribus agebant, [*hoc*] senserunt. Quidam enim Platæensis dum ascenderet, tegulam manu apprehensam de pinnis deiecit, quæ lapsa strepitum edidit, statimque clamor [*à custodibus*] est sublatus, exercitus verò ad muros concurrit. Nec enim sciebat quidnam esset periculi, quia nox erat obscura, & procellosa, simul etiam Platæenses, qui vrbe relicti fuerant, egressi, Peloponnesiorum murum inuaserunt, à parte, quæ opposita erat illi, qua sui [*murum*] superabant, vt [*hostes*] animum ad illos minimè aduerterent. In suo autem quique loco manentes tumultuabantur, nec vllus [*custodum*] ex sua custodia [*discedens*] opem aliis ferre audebat. Sed animo dubio erant, neque coniicere poterant quidnam accidisset. Et illi trecenti milites, quos Peloponnesij ex omni suorum numero delegerant, quibus negotium datum fuerat, vt, siquid

opus esset, ad opem ferendam præstò essent, è muro ad clamorem processerunt. facesque hostilis aduentus indices, Thebas versus sublatæ sunt. Platænses verò, qui in vrbe erant, & ipsi ex suo muro multas faces sustulerũt, quæ ad hoc ipsum præparatæ fuerant, vt ignium signa hostibus essent incerta, vtque suspicati aliquid aliud accidisse, quàm quod res erat, opem non ferrent, priùs quàm sui, qui exierant, euasissent, & in loca tuta se recepissent. Platænses verò, qui muros interea conscendebant, postquàm illi, qui suorum primi erant, murum conscenderunt, & vtramque turrim custodibus occisis in suam potestatem redegerunt, ipsi & turrium transitus hostibus resistentes custodiebant. ne quis per eas penetrans ad opem suis ferendam contra se veniret, & scalas è muro turribus admouentes, suorum plerosque per scalas in loca superiora recipiebant, & eorum alij quidem ex turribus, & ex inferioribus, & ex superioribus [*earum*] partibus [*hostes,*] qui [*suis*] subsidio veniebant, missilibus arcebant. Alij verò interea, quorum maior erat numerus, cùm multas scalas simul admouissent, pinnasque deiecissent, per spatium, quod erat inter turres, ascendebant, & subinde qui recipiebantur, in fossę crepidine stabant, & sagittis, atque iaculis petebant [*hostes,*] si quis [*eorum suis*] subsidio veniens, [*fossæ*] transitum, ad murum impedire vellet. Vbi autem omnes, qui in turribus erant, [*murum*] transierunt, illi, qui postremi [*de turribus*] descenderunt, ad fossam ægrè venerunt. Interea verò illi trecenti cum facibus, quas gestabãt, in eos ferri cœperunt. Platænses igitur eos ex tenebris faciliùs conspiciebant, stantes in fossæ crepidine, & sagittis, iaculisque nudas [*corporis*] partes petebant. Ipsi verò, quòd in tenebris essent, propter

pter faces minùs conſpiciebantur. Itaque & Platæenſes, qui poſtremi erant, foſſam quidem tranſiuerunt prius, [*quam ab hoſtibus opprimerentur.*] ſed ægrè, & per vim. Nam & glacies in ea concreuerat, quæ non erat ſolida, ita vt eos tranſeuntes ſuſtinere poſſet, ſed potius erat aquoſa, qualis eſſe ſolet ſubſolano [*potius,*] quàm Borea ſpirante. Et nox illa propter huiusmodi ventum niuibus conſperſa aquam in ea vehementer auxerat, quam *vix* [*capitibus*] ſupra [*eam.*] extantes tranſiuerunt. Et propter huius tempeſtatis magnitudinem potiſſimùm euadendi facultas ipſis oblata. Platęenſes verò à foſſa digreſſi, viam, quæ Thebas ferebat, iuerunt conferti, ad dextram habentes Androcratis fanum. exiſtimabant enim illos minimè ſuſpicaturos eſſe, ſe conuerſum iri ad illam viam, quæ ad hoſtes duceret. ſimul etiam videbant Peloponneſios cum facibus inſequentes, ea via, quæ per Cithæronem, & Capita quercus, Athenas ducebat. Sex autem, ſeptémve ſtadia Thebas verſus ire perrexerunt, deinde diuertentes, viam, quæ ad montem fert, iuerunt, & Erythras, ac Hyſias petierunt, nactíque montes, Athenas perfugerunt, ducenti, & duodecim ex maiore numero. fuerunt enim eorum nõnulli, qui in vrbem reuerterunt, antequàm [*murum*] ſuperarent. Vnus verò ſagittarius in exteriore foſſa captus eſt. Peloponneſij igitur, poſtquàm hoſtem inſequi deſtiterunt, in ſuam quique ſtationem redierunt. At Platæenſes, qui erant in vrbe, rerum omnium, quæ tunc acciderant, ignari: cùm illi, qui in vrbem redierant, ipſis renuntiaſſent [*omnes ab hoſte cæſos, &*] nullos eſſe ſuperſtites, ſimul ac dies illuxit, emiſſo caduceatore de induciis egerunt, vt ſuorum cadauera reciperent, [*& ſepulturæ mandarent.*] Sed cognita rei veritate,

incepto destiterunt. Platæenses igitur, qui [*hostium munitiones*] superarunt, hoc modo salutem sibi pepererunt. Eadem hyeme iam abeunte, Salæthus Lacedæmonius Lacedæmone cum triremi Mitylenen est missus. Hic Pyrrham vectus, & illinc itinere pedestri per quendam torrentis alueum profectus, quâ munitiones transiri poterant, occultè Mitylenen est ingressus. Et Mitylenæorum Magistratibus irruptionem in Atticam factum iri, & illas quadraginta naues, quas ipsis subsidio venire oportebat, simul affuturas, seq; vt hæc significaret, & cætera curaret, præmissum dixit. Tunc verò Mitylenæi confirmati sunt, & animos ad Athenienses minus aduertere cœperunt, & de compositione cum illis agere destiterunt. Atq; hæc hyems exiit, & huius belli, quod Thucydides conscripsit, quartus annus excessit. Insequentis æstatis initio, Peloponnesij, postquàm Alcidam, qui classis ipsorum præfectus erat, cum quadraginta, & duabus nauibus, quas [*sociis ciuitatibus*] imperauerant, Mitylenen miserunt, ipsi, eorumque socij irruptionem in Atticam fecerunt. Vt Athenienses vtrinq; turbati, [*ac distracti*,] contra naues, quæ Mitylenen proficiscebantur, non irent. Huic autem expeditioni [*in Atticam factæ*] præerat pro Rege Pausania, Plistoanactis filio, adhuc pupillo, Cleomenes patruus. Vastarunt autem in Attica, cùm alia, quæ prius cæsa fuerant, & siquid repullulauerat, & quæcunq; in superioribus expeditionibus prætermissa fuerant. Atque hæc irruptio [*in agrum Atticum facta*] Athenienses post secundam fuit omnium acerbissima. Nam [*Peloponnesij*,] cùm semper expectarêt donec ex Lesbo aliquid nouj de suâ classe, audirent, quasi eò iam appulisset, passim discurrentes pleraq; vastarunt. Sed cùm nihil eorum, quæ

quæ sperauerant, ipsis succederet, cumque res frumentaria eos defecisset, domum redierunt, & in suam quique ciuitatem se receperunt. Mitylenæi verò interea, cùm neque naues ex Peloponneso ad ipsos venirent, sed moras necterent, simul etiam cùm res frumentaria eos defecisset, compositionem cum Athenienſibus hac de cauſſa facere ſunt coacti. Salæthus, ne ipſe quidem naues amplius expectans, populum armat, qui antè inermis erat, vt eruptionem in Athenienſes facturus. At oppidani, poſtquàm arma ſumpſerunt, neq; Magiſtratus amplius audire voluerunt, & habitis inter ſe conciliis, imperabant vt potentes frumenta ſuppreſſa in lucem proferrent, eaque vtitim populo diuiderent, alioqui ſe compoſitionem cum Athenienſibus facturos, vrbemque ipſis deditu-ros affirmarunt. Cùm autem illi, qui Reipub. præerant, hoc intellexiſſent, nec [*iſtorum conatus*] impedire poſſent, & ſi compoſitione excluderentur, ſe in periculum venturos animaduerterent, communiter paciſcuntur cum Pachete, eiusq; copiis, [*& ſe, vrbemq; his conditionibus dedunt,*] vt Athenienſibus arbitratu ſuo de Mitylenæis ſtatuere liceret, vtque ipſi Mitylenæi [*Pachetis*] exercitum in vrbem reciperent, & legationem pro ſe ipſis Athenas mitterent. Interea verò dum [*Legati*] redirent, Paches neminem Mitylenæorum in vincula coniiceret, aut in ſeruitutem redigeret, aut occideret. Atque compoſitio quidem hæc fuit. At illi Mitylenæi, qui potiſſimùm cũ Lacedæmoniis egerant, [*& præcipui deſectionis autores fuerant,*] ſibi vehementer metuentes, poſtquàm exercitus, [*in vrbem*] eſt ingreſſus, [*has deditionis conditiones*] non tulerunt: ſed [*omnes*] pariter ad aras conſederunt. Paches verò eos illinc excitatos, nequid iniuriæ

ipsis fieret in Tenedum custodiendos transmittit, donec Athenienses aliquid [*de ipsis*] statuissent. Triremibus etiam Antissam missis, [*eam*] sibi adiunxit, & cætera, quæ ad exercitum, [*& rem militarem*] pertinebant, arbitratu suo constituit. Peloponnesij verò, qui quadraginta nauibus vehebantur, quos celeriter venisse oportuerat, cùm circa Peloponnesum ipsam nauigantes tempus triuerunt, tum etiam in reliquo nauigationis cursu lentè vecti Athenienses quidem, qui in vrbe erant, latuerunt, quoad ad Delum appulerunt. Illinc verò ad Icarum, & Myconum profecti, tunc primùm Mitylenen [*per deditionem ab hoste*] captam intellexerunt. Sed cùm rem exploratam habere vellent, ad Embatum Erythræę nauigarunt. Die autem, à Mitylene capta, circiter septimo, ad Embatũ sunt delati. Itaque re explorate cognita, pro præsenti rerum illarum statu, quid esset agendum, consultare cœperunt. Tunc Teutiaplus Eleus eos sic est alloquutus. Alcida, cæteriq́ue Peloponnesij, mei collegæ, qui copiarum duces adsumus, mihi videtur Mitylenen nobis esse nauigandum, ita vt iam sumus, antequàm aduẽtus noster diuulgetur. Nam (vt verisimile est) cùm homines vrbe recens sint potiti, magnã ipsorum in custodiis negligentiam offendemus, præcipuè verò à mari, qua ex parte cùm ipsi nullum hostem contra se venturum sperant, tum etiam nostræ vires sunt firmissimæ. Verisimile etiam est ipsorum peditatũ, quippe quòd sint victores, per hospitia dispersum negligentius agere. Si igitur ex improuiso, & noctu impetum in ipsos faciamus, spero fore, vt cum illis, qui sunt in vrbe, (siquis modò nobis beneuolus adhuc supereſt) res illas in potestatem nostram redigamus, neque metu territi periculum subire recusemus,

existi-

existimantes nouas belli rationes nullas alias esse, quàm istas, [*ex videlicet pro Reipub. ac sociorum salute pericula fortiter subeuntur, omnisq; negligentia reiicitur*] à quo [*neglgentiæ vitio*] si quis dux sibi ipsi caueat, & [*hoc ipsum*] in hostibus animaduertens illos adoriatur, ex animi sententia res plurimas gerere poterit. Hic igitur ita loquutus, rem Alcidæ non persuasit. Alij verò nonnulli ex Ionia exules, & Lesbij, qui cum ipso nauigabant, ei suadebāt, vt, quandoquidem hoc periculū formidabat, aliquam vrbem in Ionia, aut Cumam Æolicam occuparet, vt ex vrbe, [*quam cepisset,*] prodeuntes, Ioniam ad defectionem impellerent. Spem autem [*rei feliciter peragendæ*] esse [*dicebant.*] Se enim præter nullius voluntatem [*eo*] venturos [*affirmabant.*] Et si prouentum istum, qui maximus erat, Athenienſibus eriperent, simul etiam si stationes ipsis oppositas haberent, [*maximos*] sumptus [*ab hostibus*] factum iri [*dicebant. Dicebant*] etiam se sperare Pisuthnen à se adductum iri, vt ad huius belli societatē se adiungeret. Sed Alcidas ne ista quidem admisit: sed ad eam sententiam animo potissimum inclinauit, vt, quoniam non satis maturè Mitylenen peruenire potuisset, [*eiusq; seruandæ spe frustratus esset,*] in Peloponnesum quàm celerrimè se reciperet. Quamobrem cùm Embato soluisset, discessit. cumq; ad Teiorum Myonesum appulisset, pleroſque captiuos, quos in suæ nauigationis cursu interceperat, trucidauit. Et cùm Ephesum appulisset, Samiorum, qui ex Anæis erant, Legati ad eum venerunt, nec bellè eum Græciam in libertatem asserere dixerūt, si illos necaret, qui nec arma contra [*Peloponnesios*] tulissent, nec [*ipsis*] hostes essent: sed necessitate coacti societatem cum Athenienſibus fecissent. Et, nisi finem faceret, ipsum paucorum quidem ho-

stium amicitiam sibi conciliaturum, longè verò plures ex amicis hostes habiturum. Quorum verbis Alcidas adductus, quotquot de Chiis adhuc penes se habebat, & ex aliis nonnullos dimisit. Nam homines, licet [*Peloponnesiorum*] naues conspicerent, haud tamen fugiebant: sed potius vt ad Atticas accedebant. & ne vel minimam quidem spem habebant, cùm Athenienses maris imperium obtinerent, Peloponnesiorum naues in Ioniam vnquam traiecturas esse. Alcidas verò Ephesо raptim discessit, & in fugam se dedit. Nam à Salaminia, & Paralo nauibus, dum adhuc in portu ad Claron esset, conspectus fuerat. Hæ autem ab Athenis cursum casu tenebant. ac hostis insequẽtis aduentum metuens, per altum ferebatur. ad nullam aliam regionem vltrò, nisi ad Peloponnesum appulsurus. Pacheti verò cùm vndique, tum etiam ex Erythræa huius rei nuntius afferebatur. Cùm enim Ionia nullis munitionibus esset munita, metus ingens erat ne Peloponnesij maritimam oram nauibus legentes, quamuis & sic in animo non haberent [*diutius ibi*] manere, tamen obiter prout in singulas vrbes incidissent, eas diriperent. Paralus verò, & Salaminia naues, cùm ipsæmet ipsum [*Alcidam*] ad Claron vidissent, [*rem Pacheti*] nuntiarunt. Ille verò eum magna festinationis contentione persequebatur. Et vsq; ad insulam Latmon eum est persequutus, sed cùm [*Alcidas*] nusquam amplius appareret, ita vt eum assequi posset, [*Paches*] retro redijt. Cùm autem [*hostium naues*] in alto assequutus non fuisset, hoc in lucro posuit, quòd nusquã subsistere, neque castra munire, neque sibi eas præsidiis obsidẽdi, & stationes ipsis oppositas habendi materiã præbere coactæ fuissent. Dum autẽ [*ab hoste persequendo*] reuerteretur, maritimã [*Asiæ*] oram

legens

legens, ad Notium Colophoniorum vrbem appulit, vbi Colophonij habitabant, quòd [*Colophon ipsorum antiqua patria,*] vrbs à mari remotior, ab Itamane, & barbaris per domesticam seditionem [*ab altera factione*] accitis capta fuisset. Hęc autem capta fuit eo fermè tempore, quo Peloponnesij secundam irruptionem in Atticam fecerũt. In vrbe igitur, Notio, cùm seditio rursus orta fuisset inter illos, qui eò confugerant, & veteres vrbis colonos, alij quidem auxiliares copias, quas à Pissuthne, & ab Arcadibus, ac barbaris accersiuerant in munitionibus vrbem interseptientibus habebant, & illi de Colophoniis, qui profugerant ex [*antiqua patria,*] vrbe quæ à mari erat remotior, quique Medis fauerant, cum eiusdem factionis hominibus eò ingressi, Rempub. administrabant. alij verò, qui clàm istis aufugerant, & qui exules erant, Pachetem accersiuerunt. Cùm autem Paches Hippiam, Arcadum ducem, qui in munitionibus illis vrbem interseptientibus erat, ad colloquium euocauisset, ea conditione, vt, si nihil dixisset, quod sibi placeret, eum in suas munitiones rursus saluum, sanumque restitueret, ille quidem ad ipsum processit. Ipse verò, cũ eum in custodia sine vinculis seruari iussisset, [*hostium*] munitiones repentè adortus, illisq; nihil tale expectantibus, capit, & Arcadas, ac barbaros, quotquot intus erant, occidit. Et Hippiam postea introductum, sicuti factis induciis promiserat, postquàm intus fuit, comprehendit, sagittisque confodit. Et Colophoniis Notium restituit, illis exceptis, qui Medorum partibus fauerant. Postea verò Athenienses colonis eò missis, eam ciuitatem ex legibus, institutisque suis constituerunt, omnibus Colophoniis, si quis vsquam erat, ex ciui-

tatibus in vnum coactis. Paches autem Mitylenen reuersus, Pyrrham, & Ereſſum in deditionem redegit. captumque Salæthum Lacedæmonium in vrbe latitantem, Athenas mittit, ſimul etiam illos Mitylenæos, quos in Tenedum aſſeruandos miſerat, & ſi quis alius ipſi defectionis autor fuiſſe videbatur. Maiorem etiam exercitus partem dimittit, & cum reliquis remanſit, vt cùm Mitylenes, tum etiam cæteræ Leſbi res arbitratu ſuo conſtitueret. Cùm autem qui à Pachete miſſi fuerant, Athenas peruenisſent, Athenienſes Salæthum quidem confeſtim interfecerunt, licet conditiones offerret cùm aliàs, tum etiam Peloponneſios à Platæis (adhuc enim obſidebãtur) ſe abducturum. De reliquis verò conſultare cœperunt. Et præ ira cenſuerunt interficiendos non ſolùm eos, qui aderant; ſed etiam omnes Mitylenæos, quotquot puberes eſſent: impuberes verò, ac fœminas in ſeruitutem redigendas: dantes crimini cùm alteram defectionem, quam [*ab Athenienſibus*] fecerant, licet eorum imperio non præmerentur, vt alij; tum etiam [*alteram, ad quam Ionas ſolicitauerant,*] quòd Peloponneſiorum claſſis, quæ auxilium ipſis [*Mitylenæis*] ferens, in Ioniam nõ ſine periculo penetrare auſa fuerat, motũ illum non minimùm adiuuiſſet. nec enim paruo, leuique conſilio defectionem feciſſe videbãtur. Triremem igitur ad Pachetem mittunt, quæ populi decretum nuntiet, imperantes, vt primo quoque tempore Mitylenæos necet. Poſtero autem die confeſtim eos vehementer pœnituit, & ſæuum, ac immane decretum, quod fecerant, ſecum ipſi reputabant, quo totam ciuitatem, potius quàm ipſos defectionis autores necari iubebant. Cùm autem Mitylenæorum legati, qui [*tunc*] aderant, & quotquot Athenienſes ipſis ſtudebant, hoc animaduertiſſent,

sent, suaserunt illis, qui Reipub. præerant, vt hac de re ad populum iterum referrent, & sententias rogarent. Quod facilè persuaserunt, quia & illis hoc erat perspectum, maiorem ciuium partem cupere hac de re iterum consultandi potestatem sibi per aliquos dari. Quamobrem concione statim coacta, cùm aliæ sententiæ à singulis sunt dictæ tum etiam Cleon Cleæneti filius, cuius etiam de [*Mitylenæis*] occidendis sententia pridie euicerat, qui & cæteris in rebus ciuis erat omnium violétissimus, & tunc temporis apud plebem longè gratiosissimus, ita vt ei, quicquid vellet dicendo facilè persuaderet, in medium progressus, hanc orationem habuit.

Cleonis concio.

Cùm sæpe aliàs ego statum popularem minimè aptum iudicaui ad imperium in alios obtinendum, tum verò præcipuè nunc in hac vestra de Mitylenæis pœnitentia, [*& sententiæ mutatione, hoc ipsum palam perspicio.*] Nam quia vos in quotidiana, & mutua consuetudine hîc securi estis, nec vllas insidias timetis; idem etiam de sociis sentitis, [*& eandem securitatem, animiq; tranquillitatem habetis, nec vllas ipsorum insidias timetis.*] Et quicquid vel eloquentia eorum adducti deliqueritis, vel misericordia moti remiseritis, non existimatis vos magno cum Reipub. periculo per vestram ignauiam hoc facere, non autem in sociorum gratiam, [*quam non propterea vobis conciliatis, licet hac ignauiæ indulgentia erga illos vtamini.*] Nõ considerantes, imperiũ, quod obtinetis, tyrannidem esse, ipsosque [*socios*] ad insidias vobis faciendas attentos esse, vestroque imperio inuitos parere: qui vobis dicto sunt audientes, non propter beneficia, quæ vos ipsi vestro cum

detrimento in eos contuleritis: sed propter potentiam, quâ superiores estis, [&] potius [*propter metum,*] quàm propter illorum erga vos beneuolentiam. Omnium verò perniciosissimum erit, si nihil eorum, quæ à nobis decreta fuerint, certum, firmumque maneat: nec intelligamus illam Rempub. quæ malis quidem: sed tamen immotis, [*ac perpetuò firmis*] legibus vtitur, præstantiorem esse, quàm illam, quæ bonis quidem legibus vtitur: sed tamen mobilibus, [*ac inconstantibus.*] Et imperitiam cum modestiæ cõiunctam esse vtiliorem, quàm peritiam cum immodestia coniunctam; & imperitiores homines, si cum peritioribus conferantur, Respub. plerunque melius administrare. Nam isti quidem, & legibus sapientiores videri, & in publicis consultationibus sententiam semper obtinere volunt, quasi in aliis maioribus rebus ingenij sui vim ostentare non possint, atque propterea plerunque Respub. euertunt. Illi verò, quia suæ peritiæ diffidunt, se legibus imperitiores esse, & illius sententiam, qui rectè dixit, à se vituperari non posse, vltrò fatentur. Itaque Respub. plerunque rectè administrant, quia sunt rerum æqui æstimatores, potius quàm concertatores. Sic igitur nos quoque facere, nec dicendi facultate, & solertiæ contentione elatos, vestræ multitudini aliter, quã sentimus, suadere decet. Ego igitur in eadem sententia permaneo, atque illos miror, qui de Mitylenæis ad vos iterum retulerunt, & moram interponunt, quod illis, qui iniuriam fecerunt, commodius est, [*quàm nobis.*] qui enim iniuriam accepit, [*si mora interponantur,*] ira languidiore persequitur [*illum, qui fecit iniuriam.*] Vltio verò, quæ est injuriæ illatæ aduersaria, si statim eam sequatur, maximas pœnas repetit. Illum etiam miror, (quisquis ille erit,)

qui

qui contra me dicet, & aperte pronuntiare non dubitabit. Mitylenęorum quidem iniurias esse nobis vtiles, nostros verò casus sociis detrimenta non afferre. Sed profectò constat hunc aut dicendi facultate fretum, concertationis studio daturum operam, vt demonstret id non esse decretum, quod tamen maximè decretum est; aut quęstu inductum, speciosa, & exculta oratione vobis imponere conaturum. At Respub. propter huiusmodi concertationes aliis quidem præmia dat, ipsa verò, pericula sustinet. Huius verò rei culpa penes vos est, qui huiusmodi certamina perperam instituitis, & verborum quidem spectatores, rerum verò auditores esse consueuistis. Res quidem futuras, si quis optimè dixerit, fieri posse coniectantes. Res verò iam gestas, ex illorũ oratione spectantes, qui egregiè vos obiurgarint, & non id, quod vos ipsi vidistis, certius existimantes esse, quã quòd audistis. Et orationis quidem nouitate facilimè vobis imponi finitis: spectatam verò, ac probatam orationem nullo modo sequi vultis. rerum quidem inusitatarum semper serui, vsitatarum verò, contemptores. Et vnus quisque vestrum potissimum quidem dicendi facultate præstare cupit, sin illis, qui hac eloquentiæ laude excellunt, resistitis, ne, si illorum sententiam sequamini, illis inferiores esse videamini. & si quis aliquid acutè dixerit, ad illum laudandum prompti estis, vel antè quàm hoc ipsum dixerit, prompti etiam estis ad significandum, ea, quæ dicuntur, à vobis iam esse percepta, vel ante quàm sint dicta: sed ad horum euenta prospicienda tardi estis. Et aliquem alium rerum statum (vt ita loquar) quæritis, quàm sit is, in quo viuimus, quanquam ne præsentem quidem rerum statum satis bene cognoscitis. Denique, vt rem paucis ex-

pediam, aurium voluptati seruitis, & potius similes estis spectatoribus, qui sedent, & audiunt sophistas, quàm viris, qui de Repub. consultant, à quibus vitiis, ego vos auocare conans, pronuntio vnam Mitylenæorum ciuitatem vobis maximam iniuriam iam feciſſe. Ego enim illis, qui veſtrum imperium ferre nequeunt, aut qui ab hoſtibus coacti, defecerunt, veniam do. Sed cùm illi qui inſulam tenebant, & vrbem muris cinctam incolebant, & qui à mari tantùm noſtros hoſtes metuebant, vbi & ipſi firmo claſſis apparatu aduerſus eos erant muniti, ſuisque legibus vtentes, liberi viuebant, & ante omnes à nobis honorabantur, talia facinora patrarint, quid aliud, quàm inſidias fecerunt, bellum potius inferentes, quàm defectionem facientes? (defectio enim eſt illorum, qui vim aliquam patiuntur) & [*quid aliud egerunt, quàm*] iunctis opibus cum illis, qui nobis ſunt hoſtes infenſiſſimi, nos perdere ſtuduerunt? Atqui hoc eſt atrocius, quàm ſi per ſe, [*ſoliq;*] partis opibus bellum nobis intuliſſent. neque calamitates aliorum, qui poſt defectionem à nobis factam, in ſeruitutem iam ſunt redacti, documentum ipſis fuerunt, neq; præſens [*ipſorum*] felicitas ipſos à periculis adeundis deterruit facti autem audaces ad futura, & ſperatis rebus maioribus, quàm quas præſtare poterant, & minoribus, quàm quas cupiebant, bellum ſuſceperunt, armis potius, quàm iure diſceptandum cenſentes. Quo enim tempore ſe victores fore putarunt, nullis iniuriis à nobis affecti, nos inuaſerunt. Vſu autem venire ſolet, vt [*fortunatæ, ac beatæ*] ciuitates, illæ præcipuè, quibus nuper, ac præter expectationem felicitas contigit, ad inſolentiam ſe conuertant. Illa verò felicitas, quæ ſecundum rationem hominibus contingit, eſt plerunq; ſtabilior,

lior, quàm quę præter expectationem accidit. Et (vt ita loquar) [*ciuitates, quibus felicitas insperata contigit,*] aduersam fortunam facilius propulsant, quàm secundam tuentur. Decuerat autem iam pridem Mitylenæos nullo peculiari honore præter cæteros à nobis affici. nam eò petulantiæ progressi non essent. Hoc enim alioqui naturâ comparatum est, vt homo eum quidem contemnat, à quo colitur; eum verò admiretur, qui ipsi non cedit, [*& à quo non obseruatur.*] Plectantur igitur vel nunc pro magnitudine iniuriæ, neque paucis quidem [*ac nobilitati, defectionis*] culpa tribuatur, plebs verò à vobis absoluatur. Nam vniuersi pariter nos inuaserunt, quibus, si ad nos confugissent, nunc iterum in vrbe [*sua*] degere liceret. Sed tutius esse arbitrati eandem belli fortunam periclitari cum paucis [*& nobilitate,*] simul omnes à nobis defecerunt. Considerate autem, si easdem pœnas infligatis & socijs illis, qui ab hostibus coacti, & illis, qui vltro defecerunt, quem tandem fore putatis, quin leuissima de causa deficiat, si aut re feliciter gesta libertatem sit adepturus, aut re infeliciter gesta nihil grauius sit perpessurus? Nos verò in singulis ciuitatibus & fortunarum, & salutis periculum subibimus. Et, si re prosperè gesta vrbem iam profligatam, [*& opibus exhaustam*] receperimus, prouentibus, in quibus sita est nostra potentia, in posterum priuabimini. si verò labamur, [*nec vrbem receperimus,*] præter eos, quos iam habemus, nouos etiam hostes habebimus. Et quo tempore illis, qui nunc sunt hostes minimè dubij, resistendum erit, eo bellum nostris socijs erit faciendum. Non oportet igitur vllam spem ipsis relinquere, quâ sperent fore, vt vel oratione probabili nobis persuadeant quod cupiunt, vel pecuniis peccata redimãt,

& quasi humanitus peccarint, veniam à nobis impetrent. Nec enim inuiti deliquerunt: sed [*vltrò, &*] scientes insidias [*nobis*] fecerunt. Quod autē præter voluntatē fit, id venia dignū est. Ego igitur & tunc primùm, & nunc quoque contendo, ne pristinam sententiam mutātes decretum iam antè factum rescindatis, néve misericordia, & verborum illecebris, & lenitate, tribus rebus imperio perniciosissimis adducti peccetis. Nam misericordiam illis, qui sunt similes, [*& qui misericordia mouentur,*] vicissim tribui est æquum: non autem illis, qui mutua miseratione non commouentur, & qui propter necessitatem, [*qua nobis inuiti parere coguntur,*] se nobis hostes perpetuò præbent. Et oratores, qui sua oratione [*animos auditorum*] oblectant, in aliis minoribus rebus certamen. [*& amplam suæ eloquentiæ ostentandæ materiam*] habebunt: non autem [*in ea re,*] in qua, ipsa quidem ciuitas pro minima voluptate, quam perceperit, maximam iacturam faciet; ipsi verò pro causa bene acta, beneficium, [*& suæ facundiæ præmium*] accipient. Et lenitas illis potius tribuitur, qui in posterum [*modesti, ac*] amici sunt futuri, quàm illis, qui semper sui similes, & nihilo minus hostes sunt futuri, si [*superstites*] relinquantur. Atque (vt semel rem totam paucis expediam) si meam sententiam sequamini, ea facietis, quæ cùm erga Mitylenæos æqua, tum etiam [*vobis ipsis*] vtilia sunt futura. Sed si aliter statuatis, illis quidem nihil gratificabimini, vos verò ipsos vestro præiudicio magis damnabitis. si enim isti meritò defecerunt, vos certè contra fas, & ius ipsis imperare dicemini. Quòd si vel contra fas, & ius, hoc tamen vobis faciendum censetis, oportet igitur hos etiam præter fas, & ius à vobis puniri, quia hoc vobis conducit, aut imperium à vobis deponi, operamque dari, vt

fine

sine periculo viros bonos agatis, eademque pœna illos afficere velitis, [*qua illi vos affecissent, si voti compotes facti fuissent;*] neque vos, qui [*ex insidiarum periculo recens*] euasistis, clementiores [*erga illos*] existere [*velitis,*] quàm illi, qui [*vobis*] insidias fecerunt, [*erga vos fuissent, si rem ex animi sententia gessissent:*] cogitantes quę verisimile est ipsos facturos fuisse, si vos vicissent, præsertim cùm vos iniuria lacessiuerint. Illi verò præcipuè, qui nulla de causa aliquem maleficio afficiunt, hunc etiam ad internecionem vsq; persequuntur, & funditus perdunt, quia periculum sibi impendens ab hoste, qui [*superstes*] relinquitur, suspectum habent, [*ac formidant.*] Qui enim iniuriam aliquam accepit à quo non oportuit, hic periculo vitato in eum acerbior esse solet, quàm in iustum hostem. Nolite igitur vestri ipsorum proditores esse. Sed animo quàm proximè accedentes ad mala, quæ passuri eratis, [*si victi fuissetis,*] & [*attentissimè considerantes*] vos cæteris omnibus rebus anteposituros fuisse, eos in vestrā potestatem redigere, nunc parem gratiam ipsis referatis, non emolliti ob præsentem ipsorum fortunam, ac statum, in quo iam sunt, nec periculi, quod vobis non ita pridem impendebat, obliti. Hos igitur pro meritis plectite, & insigne exemplum sociis præbete, vt intelligant eum, qui defectionem à vobis fecerit, morte mulctatū iri. Hoc enim si cognouerint, vos, neglectis hostibus, cum vestris sociis posthac minus pugnabitis. Atque Cleon quidem hęc dixit. Post eum verò Diodotus Eucratis filius, (qui & in superiore concione ipsi maximè fuerat aduersatus, ne Mitylenæi necarentur) tunc etiam in medium progressus, hæc verba fecit.

DIODOTI CONCIO.

Neque illos, qui de Mitylenæis iterum ad con-

silium retulerunt, reprehendendos puto, neque illos, qui maximis de rebus sæpius consultandum esse negant, laudandos censeo. Nam hæc duo, celeritatem, & iram, bonæ consultationi maximè contraria esse iudico. Quorum alterum quidem cum amentia coniunctum esse solet; alterum verò, cum imperitia, & consilij tenuitate. Et qui verba rerum doctores esse contentiosè negat, aut amens est, aut priuatim aliquid ipsius interest. Amens quidem, si vlla alia ratione, [*quam verbis,*] res futuras, easque obscuras declarari posse putat. Ipsius verò [*priuatim aliquid*] interest, si cupiens aliquid turpe persuadere, de hoc quidem, quod est turpe, se non bellè dissentire posse putet: sed, si probè, *ac strenuè*] vituperauerit [*alios,*] cùm illos, qui sententiam contra ipsum sunt dicturi, tum etiam auditores à se territum iri [*speret.*] Illi etiam sunt grauissimi, qui, vt suæ prudentiæ, ac eloquentiæ specimen edant, magnifica oratione corruptelam [*suis aduersarijs*] obiectant, eoque hoc nomine accusant. Si enim imperitiam [*illis*] obiicerent, & ille, qui rem persuadere, [*& causam obtinere*] pon posset, imperitus potius, quàm iniustus haberetur, victusq; discederet. Sed si [*præterea corruptelæ*] iniustitia [*ab hoc illis*] obiiciatur, & idem causam obtineat, est suspectus, & nisi obtineat, non solùm imperitus: sed etiam iniustus existimatur. Et Respub. ex huiusmodi re detrimentum capit. Consultoribus enim propter metum destituitur. quanquam præclarè cum ea ageretur si tales ciues nulla dicendi facultate præditos haberet. minimè enim ad peccandum impellerentur [*suæ eloquentiæ viribus freti.*] Atqui oportet bonum quidem ciuem non terrensem aduersarios, qui sententiam contra ipsum dicturi: sed pari dicendi potestate facta disputantem,

demon-

demonstrare se meliora dicere. Ciuitatem verò sapientem [*oportet*] optimo consultori non addere [*nouum*] honorem: sed nec eum, quæ iam habet, imminuere. Illum etiam, qui non est bonus consultor [*æquè, atq; alius*,] non solùm nulla pœna, sed ne vlla quidem ignominia afficere. Ita enim & is, qui in dicendis sententiis præstat, nihil aliter ac sentit, neque quidquam ad gratiam dicet, adductus spe longè maiorum honorum, quos adipisci cupit. Et qui [*propter suam imperitiam*] rectum consilium dare non nouit, & ipse multitudinem sibi conciliare non studebit, eadé ratione ei in re aliqua gratificans. Quorum nos contraria facimus, & præterea, si quis in sordium, [*& corruptelæ*] suspicionem venerit, & tamen eum optimè dicere constet, inuidentes ei propter incertam sordium suspicionem, [*certam, ac*] manifestam vtilitatem Reipub. eripimus. Solet autem vsu venire, vt bonæ, [*ac salutares*] sententiæ, quæ ex improuiso dicuntur, non minus sint suspectæ, quàm malæ, [*& perniciosæ*:] adeò vt oporteat pariter, tam illum, qui Reipub. pessimum consilium est daturus, quàm illum, qui optimam sententiam est dicturus, multitudinem dolo sibi conciliare, & mendacio suam causam probare. Et solam Rempub. beneficiis apertè, & sine dolo nullus propter huiusmodi suspiciones afficere potest. Qui enim apertè beneficium ipsi dat, in quæstus obscuri suspicionem incidit, [*quasi pro beneficio Reipup. dato, ipse beneficium aliquod longè maius ab ea clàm sit accepturus.*] Oportet autem in rebus maximis, & in tanta [*imperij*] dignitate nos, qui verba facimus, longiùs prospicere, quàm vos, qui non longè prospicitis: [*sed tantum res proximas spectatis.*] præsertim cùm nos, qui consilium damus, rationem reddere cogamur vobis, qui

nos auditis, & qui nullis rationibus reddendis, nulliquè iudicio obnoxij estis. Si enim & ille, qui aliquid persuasit, & ille, cui hoc persuasum fuit, æquè mulctaretur, profectò prudêtius iudicaretis. Nunc verò ad quemlibet animi motum, quo repentè fueritis abrepti, licet nonnunquam in rebus iudicandis labamini, tamen illius, qui [*consilium dederit, & vobis aliquid*] persuaserit, vnam sententiam, nec vestras ipsorum plectitis, quamuis multæ sint, quæ simul peccarint. Ego verò in medium proceßi, neque pro Mitylenæis cuiquam sententiam contrariam dicturus, neq; quempiam accusaturus. Non enim de illorum facinore nobis est certamen, ßi sapimus; sed de vtilitate nostra, vt nobis rectè consulamus. Quamuis enim ipsos iniustißimum facinus feciße pronuntiem, non tamen propterea eos etiam occidendos censuerim, nißi [*hoc Reipub.*] conducat. neque etiam, ßi qua venia sint digni, [*hanc ipßis dandam censeo,*] nißi [*hoc ipßum*] è Repub. fore constiterit. Nam de rebus futuris, potius quàm de præsentibus nos consultare puto. Atque in eo, quod Cleon præcipuè contendit, ad socios in officio continendos, ne defectionem in posterum faciant, [*vobis*] vtile fore, ßi capitale ßupplicium ipßis proponatis, [*in eo, inquam, a Cleone vehementer dißentio.*] & ego quoque de eo quod in posterum vobis vtile est futurum, contrà contendens, longè aliter sentio. [*quàm ipse.*] Et à vobis peto, ne ßpecioßa ipßius oratione, [*& verborum illecebris capti,*] meæ orationis vtilitatem repellatis. Nam eius oratio, quæ maiorem æquitatis ßpeciem habet, propter vestram iram, quæ nunc in Mitylenæos est accenßa, fortaße [*vos ad ipßius sententiam*] attrahet. Nos verò cum ipßis [*Mitylenæis*] iam non dißceptamus, ita vt de iure nobis ßit quærendum;

rendum: at de ipsis consultamus, quonam modo nobis in posterum vtiles esse poterunt. In singulis enim ciuitatib⁹ capitis pœna proposita est in multa peccata, non solũ huic [*quod ab istis est commissum.*] paria: sed etiam minora. Homines tamen spe solicitati periculum subeunt, nec vllus adhuc in periculum venit, qui se ex eo non euasurum, neque suum conatum sibi successurum existimans, de se ipso desperarit. Nec vlla ciuitas, quæ defectionem fecerit, ad hanc vsque diem extitit, quæ hoc aggredi, [*& periculum subire*] dubitauerit, licet aut suum, aut aliorum sociorum apparatum [*longè*] minorem haberet, quàm credebat. Omnibus enim natura insitum est, vt & priuatim, & publicè peccent. nec vlla lex est, quæ [*homines*] ab hoc [*naturæ vitio*] prohibere valeat. Siquidem homines per omnia pœnarum genera iuerunt, [*eas paulatim*] augentes, si quo modo à facinorosis minus læderentur. Etenim verisimile est mitiores pœnas olim in maxima scelera constitutas fuisse. Sed cùm temporis progressu [*pœnarum leges*] violarentur, [*ipsæque pœnæ propter nimiam lenitatem negligerentur,*] ad mortem pleræque processerunt. Et tamen hoc quoque violatur, [*istaq; mortis pœna contemnitur.*] aut igitur aliquis terror hoc vehementior est excogitandus, aut ne iste quidem [*homines*] coërcebit. Sed paupertas quidem, audaciam necessitati, opum verò potentia, petulantiæ, & superbiæ violentiam cum perpetua pluris habendi cupiditate coniunctam præbet. Alij quoque status, [*& varia vitæ genera*] pro diuerso hominum affectu, prout singula constricta tenentur aliqua cupiditate vehementiori, quàm quæ refrænari possit, homines ad pericula impellunt. Et spes, & amor qualibet in re [*hoc ipsum faciunt.*] hic quidem, dux, illa verò,

comes. atque hic quidem, rei aggrediendæ rationem excogitans, illa verò, fortunæ prosperitatem suggerens, [*hominibus*] plurimum nocent. Atque [*hæc naturæ vitia,*] quamuis sub aspectum minimè cadant] tamen maiorem vim habent, quàm mala, quæ cernuntur. Et præter ista, [*spem scilicet, ac amorem,*] ipsa quoque fortuna nihilo minus adiuuat ad [*homines ad periculum*] impellendos. Nam ex inopinato nonnunquam astans, [*ac sese offerens,*] aliquem [*priuatum hominem*] vel infirmioribus opibus instructum impellit ad pericula, & ciuitates [*integras*] eo magis, quo de maioribus rebus agitur, de libertate, aut de imperio in alios obtinendo. & quia cum vniuersa ciuitate singuli ciues temerè de se plus æquo sentiunt. Denique (vt rem paucis complectar) hoc fieri non potest, & magnę est stultitiæ, si quis existimet se aliquam rationem habere, qua homines à peccatis deterreat, aut legum vi, aut aliquo alio mali grauioris metu, cùm humana natura ad aliquid agendum, [*ac ad peccandum*] magno studio, magnoque impetu feratur. Quare nõ oportet nos aut mortis pœna, tanquam locuplete fideiussore fretos, aliquid grauius de Mitylenæis statuere, aut omnem spem tollere illis, qui defecerint, fore vt nullus ipsorum pœnitentiæ locus detur, neque suum peccatum quàm leuissima pœna ipsis eluere liceat. Consideratę enim, nunc quidem, si qua ciuitas præterea, quæ defectionem fecerit, & quæ adhuc habuerit, vnde [*belli*] impensas [*victoribus*] restituere, & tributum in posterum persoluere possit, se superstitem fore cognouerit, ad compositionem veniet, at illo modo, [*quem Cleon præscribit,*] quam tandem fore putatis, quæ non melius, quàm nunc [*ista fecit, ad bellum*] se instruat, & diuturnam obsidionem ad extre-

extremum vsque perferat? An idem valet serò, & citò compositionem facere. Nobis verò quomodo detrimento sum non erit, si propter sublatam compositionis faciendæ spem, in longam obsidionem sumptus facere cogamur, &, si vrbem capiamus, [*eam opibus exhaustam, ac*] profligatam recipiamus, & vectigalibus, quæ inde habebamus, in posterum priuemur? Atqui hac re aduersus hostes valemus. Quapropter nobis non est committendum, vt, dum illorum, qui deliquerunt, iudices sumus [*nimium*] seueri, [*ex hac nimia nostri iudicij seueritate*] detrimentum potius capiamus, quàm videamus, quonam modo [*eos*] moderatè mulctantes, ciuitatibus, quæ pecuniarum vi pollent, in posterum vti possumus. Et [*oportet nos*] existimare, non legum atrocitate: sed officij nostri sedulitate [*eas*] custodiendas, [*& in officio, fideq; continendas.*] Nos tamen longè aliter nunc facimus. Nam si quem liberum hominem subegerimus, qui alterius imperio coactus pareret, ac meritò defecerit, vt se in pristinam libertatem vindicaret, eum atrocibus suppliciis afficiendum censemus. Atqui liberos homines acriter punire non oportet, si defectionem fecerint, sed [*eos*] diligenter custodire, [*ante quàm defectionem faciant,*] & anteuertere, vt ne in cogitationem quidem huius rei veniant, &, si eos in nostram potestatem redegerimus, [*delicti*] culpam quàm minimè ipsis tribuere, [*& quàm leuissimè in ipsos animaduertere oportet.*] Vos igitur considerate quantopere hac etiam re peccaturi sitis, si Cleoni assentiamini. Nunc enim plebs in omnibus ciuitatibus est vobis benenola, &, aut non deficit cum nobilibus, aut, si deficere cogatur, statim se illorum hostem declarat, à quibus ad defectionem impulsa fuit. Et cùm aduersariæ ciuitatis mul-

titudinem vestri studiosam habeatis, ad bellum pergitis. Quod si Mitylenæorum plebem occidatis, quæ neque defectionis particeps fuit, & quæ, postquàm arma penes se habuit, vrbẽ vltrò [*vobis*] tradidit: primùm quidem iniustè facietis, quia bene de vobis meritos occidetis. Deinde verò constituetis, [*ac in morem, & consuetudinem inducetis id,*] quod homines potentes maximè cupiunt. Nam cùm ciuitates ad defectionem impulerint, plebem statim [*suæ factionis fautricem, ac*] sociam habebunt: quia vos ipsi eandem pœnam omnibus pariter, tam illis, qui deliquerint, quàm illis, qui non deliquerint, propositam esse prius demonstraueritis. Quamuis autem [*Mitylenæi*] deliquerint, hoc tamen erat dissimulandum, vt ea [*ciuitatis*] pars, quę sola adhuc rebus nostris fauet, à nobis non alienetur. Hoc enim ad imperium retinendum longè vtilius existimo, iniuriam nobis volentibus fieri, [*ita vt eam non vindicemus: at dissimulemus:*] quàm à nobis summo iure agentibus eos occidi, quos non oportet. Atque id, quod est in Cleonis sententia, vltionem iustam, eandemque vtilem esse, in eadem re simul fieri posse non reperitur. Vos igitur, cùm intellexeritis hanc meam sententiam [*Cleonis sententia*] meliorem esse, neque misericordia, neq; lenitate adducti (quibus ne ego quidem vos adduci fino,) sed ex ipsis rebus, quæ vobis suadentur, [*facta ac sententiarum collatione,*] mihi assentiamini, & de illis, quos Paches vt fontes [*huc*] misit, quæstionem per otium habeatis, cæteros verò [*in suis pristinis sedibus*] habitare permittatis. Hæc enim & in posterum bona sunt futura, & hostibus timorem iam sunt iniectura. Quisquis enim rectè deliberat, is contra hostes magis pollet, quàm qui temeraria virium ferocitate fretus in eos fertur, &

factis

factis aggreditur. Atq; Diodotus quidē hæc dixit. Quamuis autē hæ sententiæ inter se maximè contrariæ dictæ fuissent, res tamen propter opinionum varietatem, apud Athenienses in controuersiam est vocata, & quum ad suffragia ventum est, parem penè numerum vtraq; sententia tulit. Diodoti tamen sententia superior fuit. Quare confestim alteram triremem magna festinatione miserunt, ne, si fortè posterior [*priorem non*] anteuertisset, ciuitatem iam extinctam offenderent. vno autem ferme die, & nocte [*prior posteriorem*] anteceslerat. cùm autem Mitylenæorum legati vinū, & panem hordeaceū in ipsa naui præparassent, & magna præmia se [*illis, qui Mutylenen proficiscebantur,*] daturos promisissent, si [*alteram nauem*] anteuertissent, tanto studio, [*tantaq; contentione*] cursum nauigationis confecerunt, vt vno eodemque tempore & remigarēt, & panem vino, oleoque maceratum comederent, & per vices, alij quidem somnum caperent, alij verò remigarent. cùm autem quodā fortunæ beneficio tunc nullus ventus contrarius spirasset, & prior quidem nauis haud magna festinatione nauigaret, quòd ad triste ministerium proficisceretur, hæc verò hunc in modum adeò properaret, illa quidem tantisper præcessit, dum Paches decretum legeret, & ad imperata faciendum se præpararet. Hæc verò posterior, eam proximè subsequens, ad portum appulit, & impediuit [*Pachetem,*] ne ciuitatem perderet. In tantum igitur discrimen Mitylene venit. Cæteros verò, quos Paches vt præcipuos defectionis autores miserat, Athenienses ex Cleonis sententia morte mulctarunt. Erant autem numero paulo plures mille. Et Mitylenes muros demoliti sunt, & naues [*ab illis traditas*] acceperunt. Postea verò nullum quidem

tributum Lesbiis imposuerunt: sed agro (excepto Methymnæorum) in tria millia partium diuiso, trecentas quidem eximias Diis consecrarunt, in reliquas verò, colonos de suis facta sortitione miserunt, [*& vnicuique portionem, quæ ipsi sorte obtigit, assignarunt.*] Quibus Lesbij certam pecuniæ summam, nempe duas minas, in singulas portiones ex pacto, & conuento quotannis persoluentes, agrum ipsi colebant. Oppida etiam, quotquot Mitylenæi in sua potestate habebant, Athenienses per deditionem ceperunt, quæ postea Athenienium imperio paruerunt. Eadem æstate, post receptam Lesbum, Athenienses, duce Nicia Nicerati filio, cum classe aduersus Minoam insulam Megaris adiacentem iuerunt. Megarenses enim in ea turrim extruxerant, eaque pro propugnaculo vtebantur. Nicias autem volebat Athenienses illic, breuiore loci spatio, non autem in Budoro, aut Salamine, suæ præsidiariæ classis stationem habere, [*& ex loco propinquiore diligenter obseruare*] Peloponnesios, [*& cauere*] ne clàm eruptiones illinc facerent, triremib⁹, (quemadmodum & antè fecerant) & prædonibus emissis, simul etiam ne quicquam [*in vrbem*] Megarensibus importaretur. Cùm igitur primùm duas turres in extremo maris littore sitas, & à Nisæa prominentes, machinis expugnasset, & accessum ad insulam expedisset, ita vt Athenienses eò liberè nauigare possent, illud spatium, quod inter insulam, & continentem erat, quà ponte per loca palustria auxilium insulæ à continente non ita multum distanti ferri poterat, munitionibus interseptit. cùm autem hoc opus intra paucos dies confeciſſet, & munitionem in ipsa quoque insula extruxisset, ac præsidium in ea reliquisset, cum exercitu domum rediit. Per eadē autem huius æstatis tempora, Pla-

tæen-

tæenſes quoque, quòd nullum commeatum amplius haberent, nec obſidionem diutius ferre poſſent, hunc in modum cõpoſitione facta Peloponneſiis ſe dediderunt. [*Peloponneſij*] muros vrbis oppugnare cœperant, illi verò ipſos propulſare non poterant. Quare dux Lacedæmonius, cùm eorum imbecillitatem cognouiſſet, per vim quidem eos capere noluit, (hoc enim à Lacedæmoniorum Magiſtratibus ei fuerat interdictum, vt, ſi fortè [*pax, &*] fœdus aliquando cum Athenienſibus fieret, & vtrique oppida bello capta, quæ in ſua poteſtate haberent, reddenda conſentirent, Platæa non redderetur, quòd ipſi [*Platæenſes*] ſua ſpõte ſe dedidiſſent) ſed caduceatorem ad eos miſit, qui diceret, nunquid ſe, & vrbem vltro Lacedæmoniis dedere, eorumque iudicio ſtare vellent, ea conditione vt de ſontibus ſupplicium ſumerent, nullum verò indicta cauſa damnarent, ac punirent. Atque caduceator quidem hæc tantùm dixit. Illi verò (iam enim in extrema imbecillitate conſtituti erant) vrbem ipſis dediderunt. Peloponneſij verò, Platæenſes per aliquot dies aluerunt, donec Lacedæmone quinque Iudices aduenerunt. Cùm autem illi adfuiſſent, nullam quidem accuſationem ipſis propoſuerunt, [*nec vllos accuſatores conſtituerunt, qui cum ipſis iure diſceptarent:*] ſed illos accerſitos hoc tantùm interrogabant, nunquid in hoc bello, ex quo ſuſceptum eſſet, de Lacedæmoniis, eorumque ſociis aliquo modo bene meriti eſſent. Illi verò, cùm petiiſſent vt ſuam cauſam oratione prolixiore ſibi agere liceret, [*impetrata dicendi poteſtate*] reſpondерunt, ſuæque cauſæ patronos conſtituerunt Aſtymachum Aſopolai, & Laconem Aemneſti filium, cui publicum erat cum Lacedæmoniis hoſpitium, atque in mediam progreſſi in hunc modum verba fecerunt.

PLATAEENSIVM CONCIO.

Vrbis deditionem, ô Lacedæmonij, vestra æquitate freti fecimus, non existimantes nos tale iudicium subituros: at æquius aliquod fore sperantes, & conditionem nobis oblatam accepimus, vt non apud alios: sed apud vos Iudices causam diceremus, quemadmodum etiam dicimus. sic enim potissimum nos nostrum ius obtenturos arbitrabamur. Iam verò veremur ne ab vtroque simul aberrauerimus. Nam & de capite nostro certamen esse, [*iudiciumq; fieri*,] & vos non æquos iudices fore, meritò suspicamur: coniecturam inde facientes, tum quia nullus accusator antè constitutus est, cuius criminationē refellamus: sed nos ipsi petiimus, vt dicendi potestas nobis fieret. tum etiam quia vestra interrogatio perbreuis est, ad quam si vera respondeamus, hoc nostram causam euertit, sin falsa, mendacij facilè argui possumus. Quamuis autem maximis difficultatibus vndique premamur, & in ancipiti fortuna constituti simus, cogimur tamen, & tutius esse ducimus, aliquid dicendo periclitari. Quod enim dici potuit ab illis, qui in tali discrimine versantur, nisi dictum fuerit, hominib⁹ præbet occasionem existimandi, hoc ipsum, si dictum fuisset, salutem illis dare potuisse. Sed præter alia incommoda, illud etiam nobis est valde molestum, quòd persuadēdi ratio nobis sit ardua. Nam si ignoti inter nos essemus, allatis testimoniis rerum illarū, quas ignoratetis, causam nostram fortasse iuuaremus. Iam verò apud eos, qui rerū sunt gnari, omnia dicentur. Nec illud pertimescimus, ne crimini nobis detis, & propterea nos damnetis, quòd virtute vobis inferiores simus, sed ne hoc ipsum in aliorum gratiam faciatis; nos verò iudi-

cium

eium iam peractum, vestroque præiudicio confirmatum subeamus. Veruntamen ius nostrum aduersus Thebanorum simultates tuebimur, & quicquid ad iustam nostræ causæ defensionem facit, proferemus, nostraque beneficia cùm in vos, tum etiam in cæteros Græcos collata commemorabimus, & flectere vos conabimur. Sic enim respondemus ad vestram illam perbreuem interrogationem, nunquid in hoc bello de Lacedæmoniis, eorumque sociis aliquo modo bene meriti simus, si nos, vt hostes interrogatis, vos nullam iniuriam à nobis accepisse, qui nullis beneficiis à nobis affecti fueritis. sin vt eos, quos amicos esse ducitis, vos potius peccare, qui bellum nobis intuleritis. Quod autem ad pacem attinet, & ad bellum contra Medos gestum, bonorum, [*ac fortium*] virorum officium fecimus, quia illam quidem, nunc non violauimus priores, illos verò, tunc soli ex omnibus Bæotis vnâ vobiscum pro libertate Græcorum aggressi sumus. Nam quamuis in locis mediterraneis habitaremus, tamen nauale prælium ad Artemisium commisimus, & quum in agro nostro pugna commissa est, in ea vobis, & Pausaniæ adfuimus. Et si quæ aliæ res cum periculo coniunctæ per id tempus à Græcis gestæ fuerunt, omnium *participes* supra *vires* extitimus. Vobis etiam, Lacedæmonij, priuatim, quum maximus terror Spartam circunstetit, post terræmotum, quo tempore Helotes defectione à vobis facta in Ithomen se receperunt, tertiam nostræ ciuitatis partem vobis auxilio misimus. quarum rerum memoriam vos deponere non decet. Ac olim quidem in maximis, grauissimisque rebus tales esse non dubitauimus. postea verò fuimus hostes: sed vos in culpa fuistis. Cùm enim à vobis petiissemus vt in vestram socie-

tatem nos reciperetis, quum Thebani vim nobis intulerunt, nos reiecistis, & imperastis, vt ad Athenienses confugeremus, quòd illi quidem essent vicini, vos verò in loco valde remoto habitaretis. In bello tamen nullam insignem iniuriam à nobis accepistis, nec accepturi eratis. Quòd si ab Athenensibus vestro iussu deficere noluimus, nullam iniuriam propterea vobis fecimus. Illi enim contra Thebanos auxilium nobis tulerunt, quum vos [*hoc ipsum facere*] pigebat. Nec amplius honestum erat eos prodere, præsertim homines de nobis bene meritos, quos in societatem precibus adduximus, & à quibus ciuitate donati fuimus. Imò verò nos decebat ad illorũ imperata alacriter faciẽda ire. Sed quæ vtriq; peccastis, dũ sociis imperaretis, si quid non honestè fecistis, horũ culpa non penes illos est, qui secuti sunt: sed penes illos, qui vos ad res prauas agendũ duxerunt. Thebani verò cũ alias multas iniurias nobis intulerũt, tum etiã hanc postremam, quæ (vt vos ipsi nostis) horum, quæ patimur, est causa. Cùm enim fœderum, [*pacisq;*] tempore, præterea in sactis, quæ primo cuiusque mensis die celebrantur, vrbem nostram occupassent, eos merito sumus vlti, secundum legem ab omnibus receptam, quæ fas esse docet, hostem, qui nos inuadit, propulsare. Quare ipsorum gratia nunc immeritò plectemur. Nam si ex præsenti vtilitate, quam ex illorum societate percipitis, & ex hostili illorum odio, quo nos prosequuntur, iudicium faciatis, [*nosq; plectatis*,] vos non religiosos iuris Iudices esse: sed potius vtilitati seruire constabit. Quòd si nunc isti vobis vtiles videntur esse, profectò nos, cæteriq́ue Græci tunc, quum in maiori periculo essetis constituti, vobis multo magis vtiles extitimus. Vos enim nunc quidem alios inua-

ditis,

ditis, [*ipſis*] formidoloſi. Sed illo tempore, quo barbarus iugum ſeruitutis omnibus Græcis imponebat, iſti cum ipſo fuerunt, [*& ipſum adiuuerunt.*] Quare æquum eſt, vt huic noſtro peccato (ſi modò peccatum aliquod à nobis eſt commiſſum) iam opponatis illud noſtrum animi ſtudium, quo tunc erga vos fuimus. Et ſi vtriuſque collationem facia-tis, ſtudium quidem maius, peccatum verò minus reperietis: idque eo tempore, quo inter Græcos rariſſimi reperiebantur, qui ſuam fortitudinem illi [*formidandæ*] Xerxis potentiæ opponerent: & [*eo tempore, quo*] ij magis laudabantur, qui aduerſus impetum barbarorum, qui ipſos inuadebant, nullam vtilitatis, ſalutisque ſuæ rationem habuerunt, ſed vel maximo cum periculo res optimas, [*& pulcherrimas*] alacriter, & fortiter agere voluerunt. ex quorum numero licet nos fuerimus, licet etiam [*propterea*] honores præcipui nobis habiti fuerint, nunc tamen veremur, ne hac ipſa de cauſa [*potiſſimum*] perdamur, quòd Athenienſes iuſte potius ſequi voluerimus, quàm vos [*iniuſtè, &*] noſtræ vtilitati conſulentes. Atqui de rebus iiſdem idem pariter, [*& ſemper*] vos ſentire decet, & exiſtimare vtilitatem nihil aliud eſſe, quàm, quum ſociis, qui ſtrenuè ſe geſſerunt, ſemper certam fortitudinis gratiam rependimus, & ſimul præſentia negotia ex vſu noſtro conſtituimus. Illud etiam maturè conſiderate vos nunc quidem probitatis, & æquitatis exemplar à plerisque Græcis exiſtimari. Sed ſi de nobis iniquam ſententiam tuleritis (nec enim hoc iudicium, quod de noſtra cauſa facietis, erit obſcurum; ſed vos, qui bene auditis, de nobis, qui non malè audimus, ſententiam feretis) cauete ne [*omnes*] factum veſtrum improbent, quòd de bonis viris, quamuis vos ipſi meliores ſitis, aliquid

præter decorum, [*& dignitatem vestram*] statueritis, néve [*rem ab humanitatis officio alienam indicent.*] si spolia de nobis, qui de Græcis vniuersis bene meriti sumus, in publicis templis suspendantur. Facinus autem atrox esse videbitur, si Lacedæmonij Platæas diripiant. Et [*omnes iniquo ferent animo.*] quòd patres quidem, [*maioresq; vestri*] nomen huius ciuitatis in tripode Delphico virtutis ergò insculpserint, vos verò ex vniuersa Græcia propter Thebanos hoc ipsum deleatis. Nam eò calamitatis iam progressi sumus, quippe qui & antè periissemus, si Medi vicissent, & nunc apud vos, qui nobis olim eratis amicissimi, à Thebanis superamur, & duo grauissima certamina subiimus: vnum quidem, tunc, ne fame necaremur, nisi vrbem dedissemus; alterum verò, nunc, quod capitis causam dicamus, [*& in salutis discrimen vocemur.*] Et nos illi Platæenses, qui supra vires optimè meriti sumus de Græcis vniuersis, deserti, omniq́ue auxilio destituti, ab omnibus reiicimur. nec eorū quisquam, qui tunc [*eiusdem periculi*] socij fuerunt, [*nunc nobis*] opem fert. quinetiam Lacedæmonij, veremur ne vos, vnica spes nostra, parum constantes sitis. Sed vos oramus & per Deos, qui nostræ societatis, fœderisq́ue præsides, ac testes quondam fuerunt, & per virtutem, quam erga Græcos demonstrauimus, vt flectamini, & sententiam mutetis, siquid fortè vobis à Thebanis persuasum fuerit: vtq; hanc gratiam vicissim ab illis reposcatis, ne ipsi illos occidant, quos à vobis occidi non decet; & honestum beneficium pro turpi [*ab illis*] reportetis, néve, vt aliis gratificemini, infamiam ipsi pro beneficio in eos collato subeatis. Nam corpora nostra morte mulctare vobis est in promptu: sed huius facinoris infamiam delere est difficillimum. nec enim iure

nos

nos afficietis supplicio, quia non inimici: sed amici sumus, qui necessitate compulsi bellum vobis fecimus. Itaque si [*nobis impunitatem concedatis, &*] mortis metu nos liberetis, sententiam religiosè, [*sanctéq;*] tuleritis, illud in primis cogitantes, nos volentes in vestram venisse potestatem, & more supplicum manus tendentes. (huiusmodi autem homines ipse Græcorum ritus occidi vetat.) præterea nos perpetuò de vobis bene meritos esse. Aspicite enim sepulchra patrum vestrorum, quos à Medis cæsos, & in agro nostro sepultos, quotannis publicè cohonestabamus & indumentis, & aliis inferiis, quæ defunctis afferri solent, & primitiis fructuum, quos quatuor anni tempora in nostro solo producunt, quas amici, [*ad amicos,*] ex amico agro, & socij, ad illos, qui quondam socij nobis fuerant, ferre solebamus. Vos verò longè aliter, quàm illi, facietis, si nos iniquo iudicio damnaueritis. Rem enim considerate. Pausanias quidem eos humauit, existimans illos à se in agro amico, & apud amicos humari. Vos verò, si nos occideritis, & agrum Platæensem, Thebanum feceritis, quid aliud [*facietis,*] quàm patres, cognatosque vestros, honoribus, quibus nunc afficiuntur, exutos, in hostili solo, & apud ipsos eorum interfectores relinquetis? Præterea verò, & agrum, in quo Græci in libertatem vindicati fuerunt, in seruitutem redigetis? delubra etiam deorum, ad quæ votis conceptis illi Medos superarunt, deserta patiemini? Et patria sacrificia illorum, qui [*templa*] fundarunt, & condiderunt, tolletis? [*Quod si feceritis,*] profectò, Lacedæmonij, rem facietis indignam vestra gloria, indignam maiorum vestrorum memoria, indignam nobis, qui de vobis bene meriti sumus, quia in hæc omnia grauissimè peccabitis, si propter a-

lienas inimicitias, cùm vos ipsi nullam iniuriam à nobis acceperitis, nos occidatis. Sed [*rem vestra gloria dignam facietis,*] si nobis parcatis, animoq; frangamini, modesta misericordia tacti: considerantes non solùm atrocitatem supplicij, quo plectemur: sed etiam quales simus nos, qui hoc ipsum patiemur: [*considerantes*] etiam quã sit incertum cuinam calamitas vel immerenti sit euentura. Nos igitur (vt nos decet, vtq; necessitas ipsa nos cogit) Deos imploramus, qui in iisdem aris à nobis æquè coluntur, quiq;e Græcis omnibus sunt communes, & ab illis petimus, vt [*vobis*] persuadeant hæc, [*quæ dicimus,*] proferentes iusiurandum, quod patres vestri iurarunt, cuius vos obliuisci non oportet. Et patrum vestrorum sepulchra suppliciter oramus, & vita defunctos imploramus, ne in Thebanorum potestatem redigamur, néve nos, qui vobis amicissimi sumus, inimicissimis tradamur, illumq; diem in memoriam vobis redigimus, quo præclarissima facinora, cum patribus vestris edidimus, nos, qui nunc, hoc ipso die, in grauissimo capitis periculo versamur. Quod autem & necessarium, & acerbissimum est hominibus in huiusmodi fortuna constitutis, dicendi finem facere, quòd cum ipso dicendi fine, vitæ quoq; finiendæ periculum sit proximum, finem dicendi facientes, illud iam dicimus nos non dedidisse vrbẽ Thebanis. (nam fame, turpissimo necis genere necari, quàm hoc facere maluissemus) sed vobis, ad quos vestra æquitate freti accessimus. Et æquum est, nisi vos exorare possimus, nos à vobis hoc saltem impetrare, vt in eundem locum, vnde processimus, nos restituatis, & periculum, quodcunque sors tulerit, nos ipsos eligere sinatis. Simul etiam vobis mandamus, [*& vos oramus,*] Lacedæmonij, ne nos, qui Platæenses sumus,

sumus & qui maximam animi alacritatē pro communi Græcorum salute olim demonstrauimus, ex vestris manibus, & ex vestra fide, [*quam sequuti deditionem fecimus,*] cùm simus vestri supplices, Thebanis, qui nobis sunt hostes, infensissimi, tradamur: & [*vos oramus,*] vt nostri seruatores sitis, néve, qui cæteros Græcos in libertatē vindicatis, iidem nos funditus perdatis. Atque Platæenses quidem hæc dixerunt. Thebani verò, veriti ne Lacedæmonij illorum verbis adducti aliquid [*de supplicij seueritate*] remitterent, ipsi quoque in medium progressi se verba facere velle dixerunt, quòd illis quoque, præter suam opinionem, facta fuisset potestas oratione prolixiore respondendi ad propositam quæstionem. Cùm autem [*Lacedæmonij eos verba facere*] fussissent, hanc orationem habuerunt.

THEBANORVM CONCIO.

Nunquam à vobis postulassemus, vt nobis dicendi potestatem faceretis, si & ipsi [*Platæenses*] breuiter ad interrogata respondissent, nec in nos conuersi, crimina nobis obiecissent, nec extra propositum, præcipuè verò cùm ne ab vllo quidem fuerint accusati, oratione prolixa se ipsos excusassent, nec pluribus laudassent res à se gestas, quas nullus vituperauit. Nunc igitur oportet nos, partim quidem, ad crimina nobis obiecta respondere; partim verò, ipsorum laudationem refutare, vt neque nostra improbitas, neque ipsorum gloria ipsis prosit: sed audita de vtrisque veritate, iudicium faciatis. Nos enim primùm ipsis inimici facti sumus, quia, cùm Platæam omnium vrbium, quæ sunt in Bœotia, postremam condidissemus, & alias vrbes cum ea, quas expulsa hominum colluuie tenuimus, isti (vt primùm fuerat constitu-

tum) imperio noſtro parere nolebant, & cùm ſoli præter cæteros Bœotos patria inſtituta violarent, poſtquam [*hæc obſeruare*] cogi cœperunt, à nobis ad Athenienſes defecerunt, & illis adiuncti multa damna nobis dederunt, pro quibus & ipſi viciſſim multa à nobis acceperunt. Poſtquam verò barbarus in Græciam venit, aiunt ſe ſolos ex omnibus Bœotis cum Medis non ſenſiſſe, atq; hoc potiſſimũ nomine cùm ipſi gloriantur, tum etiã nobis conuiciãtur. nos verò fatemur quidẽ illos cum Medis non ſenſiſſe, quia nec Athenienſes: verùm cùm poſtea Athenienſes eadem ratione aduerſus Græcos irent, contrà, eos ſolos ex omnibus Bœotis ab Athenienſibus ſtetiſſe [*dicimus.*] Atque conſiderate in quo Reipub. genere vtrique verſantes hoc fecerint. Nam noſtra quidem ciuitas tunc temporis neque legitimo paucorum dominatu, neq; populari ſtatu gubernabatur: ſed (quod legibus, & modeſtiæ maximè contrarium eſt, & quod ad tyrannidem proximè accedit) paucorum virorum potentia Reipub. gubernacula tenebat. Hi autem, quia ſperauerant fore, vt ſuas opes longè firmius fundatas retinerent, ſi Medi viciſſent, vi plebem coërcentes, ipſos accitos [*in vrbem*] introduxerunt. Et vniuerſa ciuitas, quæ ſui iuris non erat, hoc fecit, nec decet ei exprobrare ea, quæ non ſaluis legibus peccauit. At poſtquam & Medus diſceſſit, & [*noſtra ciuitas*] leges recepit, conſiderare oportet, cùm poſtea Athenienſes aduerſus Græcos veniſſent, & cùm reliquam Græciam, tum etiam noſtram regionem in ſuam poteſtatem redigere conarentur, & propter inteſtinas diſcordias bonam eius partem iam occupaſſent, nunquid pugna ad Coronæam commiſſa, ipſis que ſuperatis, Bœotiam in libertatem vindicauerimus, & nunc ala-

criter

criter Græciam cum cæteris liberemus, tantum equitatum, tantumque rerum bellicarum apparatum præbentes, quantum nulli alij de sociis. Atq; hæc quidem respondemus ad crimen obiectum, quod cum Medis senserimus. Quòd autem vos maiorem iniuriam Græciæ feceritis, & quolibet supplicio digniores sitis, demonstrare conabimur. Societatem (vt aitis) cum Athenienſibus iniistis, & ciuitate ab illis donati fuistis, vt nos vlciscemini. Oportebat igitur vos aduersus nos tantùm ducere ipsos [*Athenienses,*] neque vnà cum ipsis alios [*Græcos*] inuadere, præsertim cùm (si quò inuiti ad alios subigendos ab Athenienſibus ducebamini) horum Lacedæmoniorum societas contra Medum contracta, vobis esset præstò, quam vos ipsi tantopere iactatis. nam & vim nostram à vobis arcere, & (quod maximum est) sine metu deliberandi facultatem vobis præbere potuisset. Sed profectò volentes, non autem coacti Athenienſium partes sequi maluistis. Et tamen dictitatis turpe fuisse bene de vobis meritos prodere. Imò verò longè turpius, & iniquius erat vniuersos Græcos, cum quibus iureiurando adhibito societatem feceratis, quàm solos Athenienses prodere. hos quidem, quia Græciam in seruitutem redigebant, illos verò, quia eam in libertatem vindicabant. nec parem, nec dedecoris expertem gratiam ipsis retulistis. Vos enim (vt dicitis) eos asciuistis, quòd iniuriam pateremini; sed iisdem in iniuria aliis facienda vos socios præstitistis. Atqui turpius est non referre ſimilem gratiam, quàm referre eam, quæ iustè quidem debetur: sed tamen iniustè refertur. Et [*hoc modo*] declarastis vos ne tunc quidem solos [*ex Bœotis,*] Græcorum causa à Medis non stetisse: sed, quia ne

Athenienſes quidem [*ab illis ſteterant:*] vos verò, quia eadem, quæ illi, facere volebatis, illis verò contraria, [*vt in Athenienſium gratiam eos oppugnaretis,*] nunc tamen poſtulatis, vt ea vobis prõſint, quæ aliorum cauſa fortiter egiſtis. Sed hoc nequaquam eſt æquum. Sed quemadmodum Athenienſes elegiſtis, ſic etiam vnâ cum illis certate, [*eosq; veſtri periculi ſocios habete, eorumq; opem implorate, vt præſens infortunium à vobis auertatur.*] nẽque ſocietatis tunc factæ ius proferte, vt capitis periculo vos hoc nomine nunc liberandos eſſe demonſtretis. eam enim deſeruiſtis, eiusque iure violato, cùm Æginetas, tum etiam nonnullos alios ex illis, quibuſcum fœdus, ac ſocietatem interpoſito iureiurando feceratis, vnâ cum Athenienſibus, quibus veſtram operam nauaſtis, in ſeruitutẽ potius redegiſtis, quàm impediuiſtis, [*ne, in ſeruitutem ab illis redigerentur:*] idque non inuiti, quippe qui leges ſaluas haberetis, quas adhuc [*habetis,*] neque (ſicuti nos) ab vllo coacti; nouiſſimam etiam adhortationem, qua (antequàm circumuallaremini) ad pacem inuitabamini, &, vt neutris opem ferretis: [*at ab vtrorumq; partibus abſtineretis,*] admonebamini, admittere noluiſtis. Quos igitur omnes Græci odiis proſequantur iuſtius, quàm vos, qui honeſto quodam probitatis, ac fortitudinis prætextu illos funditus euertere ſtuduiſtis? Et præclara illa facinora, quæ quondam à vobis fortiter edita gloriamini, ad vos non pertinere, [*nec veſtræ virtutis eſſe propria,*] nunc demonſtraſtis. Ea verò, quæ veſtrum ingeniũ ſemper expetebat, iam apertiſſimè patefacta redarguuntur. Athenienſes enim iniquum iter ingreſſos ſequuti eſtis. Quod igitur attinet ad noſtrum inuitum Mediſmũ, & veſtrum voluntarium Atticiſmum, hoc modo vobis reſponde-

spondemus, [*vt nos quidem præter nostram voluntatem cum Medis senssisse, vos verò sponte vestra cum Athenienssibus stetisse demonstremus.*] Quòd verò attinet ad iniuriam, quam vobis nouissimè factam dicitis (nos enim stantibus adhuc fœderibus, & primo mensis die, quo solennia sacra celebrabatis, in vestram vrbem nefariè venisse dicitis) ne hac quidem in re nos grauiùs peccasse ducimus, quàm vos. Si enim nos ipsi [*nostra sponte*] ad vestram vrbem profecti vos oppugnassemus, & agrũ hostili more vastassemus, iniuriam profectò vobis fecissemus. sed si vestræ ciuitatis cùm opibus, tum genere viri primarij, qui vos & ab externa societate auertere, & ad patria omnium Bœotorum iura reducere volebant, sua sponte nos accersiuerunt, quid tandem iniuriæ vobis facimus? Qui enim [*aliquos ad aliquod facinus faciendum*] ducunt, potius peccant, quàm qui [*ipsos*] sequuntur. Sed nec illi (vt nostra fert opinio) [*vllo modo peccarunt,*] nec nos. cùm enim ciues essent, vt vos, & longè maiores opes periculis obiicerent, suæ vrbis portas aperuerunt, & in suam vrbem nos amicè, non hostiliter introduxerunt, quòd eos, qui de vobis, improbiores erant, non amplius improbos esse, nec peiores fieri, & illos, qui meliores erant, suam dignitatem obtinere vellent. [*quod eo consilio fecerunt,*] vt animi [*vestri*] moderatores essent, *vestramq; libidinem vefrænarent,*] ciuitatem ciuibus non orbantes: sed in pristinam cum necessariis gratiam reducentes, nullius inimicitias, omnium verò pariter amicitias, ac societatem vobis conciliantes. Quòd autem non hostiliter hoc fecerimus, hinc apertè patet, nam nec vlli vim attulimus, & maturè ediximus, vt, quisquis ex patriis Bœotorum institutis viuere vellet, ad nos transiret. vos verò, cùm libenter ad

nos transisseris, & compositionem feciseris, primùm quidem quieuistis, postea verò, cùm nostrorum militum paucitatem animaduertissetis, (si fortè iniquius aliquid egisse videbamur, quòd præter vestræ plebis voluntatem [*in vrbem*] ingressi fuissemus,) parem gratiam nobis non retuliseris, vt neque factis quicquam innouaretis, & verbis nos ad exeundum induceretis. Sed contra compositionem nos inuasistis, ac illorum quidem, quos congressi trucidastis, vicem non ita dolemus, (hoc enim illi quodam belli iure sunt passi:) sed [*in illos,*] qui manus vobis tendebant, & quos viuos cepistis & quos à vobis interfectum non iri postea nobis promisistis, & tamen nefariè interfecistis, quomodo atrocia facinora non patrastis? præsertim cùm tres insignes iniurias exiguo temporis interuallo nobis feceritis? nam & fœderis pacta fregistis, & ciues nostros postea trucidastis, & de illis non occidendis (si ab omni rerum vestrarum, quæ in agris erant, iniuria, & maleficio temperaremus) fidem nobis datam fefellistis. Et tamen dicitis nos iura violasse, vos verò dignos esse censetis, qui pro vestris sceleribus nullas pœnas vicissim luatis, sed profectò non ita erit, si modò isti sententiam sanctè, ac religiosè tulerint: sed horum omniũ scelerum causa supplicio afficiemini. Hæc autem, ô Lacedæmonij, longa oratione persequuti sumus, cùm vestri, tum nostri causa: & vestri quidé causa, vt hos à vobis iustè damnatum iri cognoscatis; nostri verò causa, vt longè æquiores pœnas à nobis expetitas [*sciatis.*] neque priscas illorum virtutes, (si modò aliquæ fuerunt) audientes frangamini. quas illis quidem præsidio esse oportet, qui patiuntur iniuriam: illis verò, qui facinus aliquod turpe faciunt, duplam irrogare pœnam: quia

peccata

peccata priſtinæ ſuæ virtuti non conueniẽtia committunt. neque lamentis, ac miſeratione quicquã proficiant, implorantes patrum veſtrorum ſepulchra, ſuamq; ſolitudinem deplorantes. Nos enim contrà affirmamus noſtram iuuentutem quæ ab iſtis trucidata fuit, mala longè grauiora paſſam, cuius patres, partim quidem, dum Bœotiam ad vos adducerent, [*eiusq; ſocietatem voch conciliarent,*] ad Coronæam obierunt, partim verò, in ſenio filiis orbati, & in ædibus deſolatis relicti, vos precibus multo iuſtioribus obſecrant, vt de iſtis ſupplicium ſumatis. Homines enim, qui malum aliquod immeritò patiuntur, miſericordia ſunt digniores, at qui meritò (ſicut iſti) contrà [*digniores ſunt,*] quorum malis omnes gaudeant Et præſentem ſolitudinem ſua ipſorum culpa habent. nam ſua ſponte meliores ſocios reiecerunt. Et nos contra ius violarunt, quamuis nullis iniuriis à nobis fuerint laceſſiti, odio potius, quàm iure [*de nobis*] iudicium facientes, neque parem [*ſuis ſceleribus*] pœnam iam rependentes. nam iuſtum ſupplicium patientur, nec ex prœlio manus vobis tendentes, vt aiunt: ſed ex compoſitione ſe ipſos ad cauſam dicendam dedentes. Succurrite igitur, Lacedæmonij, & legi Græcorum ab iſtis violatæ, & nobis, qui præter ius iniuriã paſſi ſumus, debitam gratiã referte pro ſtudio, & animi alacritate, quã erga vos demõſtrauimus. Neq; propter iſtorum orationẽ apud vos repulſam feramus. Græcis autẽ exemplum præbete, quo declaretis vos nõ verborum: ſed factorũ certamina ipſis propoſituros. Quæ ſi bona ſunt, breuis [*eorum*] commemoratio ſatis eſt. Sed ſi propter peccati vitium ſunt mala, longa oratio verborum ornatu exculta, ipſis velamenta prætendit. Verùm ſi vos, penes quos arbitrium, & poteſtas

nunc est, breui interrogatione vsi, rebus cognitis sententiam aduersus omnes [*istos*] tuleritis, homines [*facinorosi*] orationem speciosam, quâ sua iniusta facinora velent, [*posthac*] minus quærent. Atq; Thebani quidem hæc dixerunt. Lacedæmonij verò Iudices existimantes suam interrogationem sibi rectè processuram, [*si Platæenses interrogarent,*] an [*Lacedæmonij*] beneficium aliquod ab ipsis in hoc bello accepissent (quoniam & superiori tempore ipsos rogauerant, vt ex veteri Pausaniæ, post bellum Medicum, fœdere, quiescerent, [*& ab armis abstinerent, nec tamen hoc ab ipsis impetrare potuerant,*] quoniam etiam conditiones, quas postea, antequam circumuallarentur, ipsis obtulerant, vt videlicet ex illius fœderis formula communes essent, [*& neutrorum partes sequerentur,*] accipere noluerãt) [*tunc Lacedæmonij*] existimantes se propter sua iusta postulata [*ab illis neglecta,*] iam vt hostes fœderis expertes ab illis violatos, singulos [*eorum*] productos, & eodem modo rursus interrogatos, an aliquo beneficio Lacedæmonios, eorumque socios in hoc bello affecissent, cùm illi respondissent nullum beneficium à se in ipsos collatum, illinc abductos interficiebant: & nullum supplicij immunem fecerunt. Et Platæensium quidem non pauciores ducentis necarunt: Athenienſium verò, viginti, & quinque: qui vnâ obsessi fuerant: fœminas autem in seruitutem abduxerunt: & vrbem Megarensibus, qui propter seditionem domo profugerant, & Platæensibus, qui supererant, quique secum sensserant, per integrum annum Thebani dederunt incolendam. Postea verò cùm eam totam funditus euertissent, & solo æquassent, prope Iunonis templum extruxerunt diuersorium quoquo versus ducentûm pedum, domiciliis infra, supraque circun-

datum.

datum. Et [*ad hoc opus faciendum*] vsi sunt ipsis Platæensium tectis, & ianuis. Ex reliqua verò supellectile, quæ in mœnibus erat, ex ære, inquam, & ferro lectos construxerunt, quos Iunoni consecrarunt, templumque lapideum centum pedum eidem ædificarunt. Agrum verò publicatum, & ad decem annos locatum Thebani coluerunt. Propemodum autem, imò verò omnino Lacedæmonij à Platęensibus adeò fuerũt auersi, Thebanorum gratia, quòd ipsos in bello, quod iamtum susceptum erat, sibi perutiles fore putarẽt. Res igitur, quæ ad Platæam gestæ sunt, nonagesimo tertio anno à societate, quam Platæenses cum Athenienſibus inierant, hũc exitum habuerunt. Quadraginta verò Peloponnesiorum naues, quæ Lesbiis subsidio profectæ fuerant, cùm tunc per pelagus ausugissent, vt persequentem Athenienſium classem vitarent, & tempestate prope Cretam iactatæ fuissent, & illinc ad Peloponnesum palantes appulissent, tredecim triremes Leucadiorum, & Ambraciotarum, & Brasidam Tellidis filium, qui aduenerat, vt Alcidæ consiliarius esset, ad Cyllenen offendunt. Lacedæmonij enim in animo habebant, quoniam Lesbi conseruandæ spes eos fefellerat, parata maiore classe, in Corcyram seditione laborantem nauigare, quòd Athenienses cum duodecim duntaxat nauibus ad Naupactum essent. antequàm autem Athenis maior aliquis nauium numerus [*aliis*] subsidio veniret, vt præuerterent [*nouæ classis aduentum, hoc facere statuerant.*] atque Brasidas, & Alcidas in his parandis erant occupati. Nam Corcyræi discordiis intestinis laborare cœperunt, ex quo illi, qui ad Epidamnum in prœliis naualibus capti fuerant, ad ipsos redierant, à Corinthiis dimissi, verbo quidem, talentis octingentis redempti, datis idoneis fideiuſ-

seribus, hospitibus suis: re verò ipsa, [*gratis dimissi,*] quòd Corinthiorum verbis adducti promisissent fore, vt Corcyram in ipsorum potestatem redigerent. Hi autem singulos ciues solicitabant, ac id agebant, vt ciuitatem ad defectionem ab Athenien-sibus faciendam impellerent. Cùm autem Attica nauis, item & Corinthia veniisset, vtraque cum legatis, quos vehebat; cumque ventum esset in colloquium, Corcyræi decreuerunt, vt Athenien-sibus quidem, ex pacto socij. Peloponnesiis verò, quemadmodum & prius, amici essent. Et Pythiam (hic enim erat voluntarius Athenien-sium hospes, & tunc ciuitatis princeps) isti viri in iudicium vocant, crimini dantes quòd Corcyram in Athenien-sium potestatem redigere moliretur. Hic verò absolutus, vicissim reos facit quinq; ex illis omnium ditissimos, crimini dans quòd ex Iouis, & Alcini fano vallos præciderent. Pro singulis autem vallis singuli stateres erat mulcta constituta. Cùm autem illi damnati fuissent, & mulctam persoluere deberent, ac propter eius magnitudinem ad templa confediissent supplices, vt compositione facta, certis pensionibus mulctam irrogatam persoluerent, Pythias (erat enim & senator) [*Corcyræis*] persuasit, vt lege [*in eos*] agerent. Illi verò, cùm propter hanc legem [*ab honoribus, & Curia*] prohiberentur, simul etiam audirent, Pythiam, quandiu senator esset, multitudini persuasurum, vt eosdem amicos, hostesque duceret, quos Athenienses, facta coniuratorum manu, cum pugionibus in Senatum ex improuiso irrumpunt, & cùm ipsum Pythiam, tum etiam alios tam senatorum, quàm priuatorum hominum, ad sexaginta, interficiunt. Pauci verò quidam, qui cum Pythia senserant, ad Atticam triremem, quæ adhuc aderat, confugiunt. Hoc facinore per-

perpetrat[illegible] & conuocatis Corcyræis, dixerunt hæc optima esse, atque hoc modo [*Corcyræos*] in seruitutem ab Athenienſibus minimè redactum iri. ac in posterum neutros, nisi cũ singulis nauibus venirẽt, à Corcyræis pacatis recipiendos: si verò cum pluribus, eos in hostium numero, locoque ducendos. Cùm autem hæc dixissent, populum in suam sententiam decretum facere coëgerunt, statimq; legatos Athenas miserunt, qui & res gestas nuntiarent, & ita facto opus fuisse demonstrarent, & illis, qui eò confugerant, persuaderent, vt nihil, quod à rationibus, commodisque ciuitatis esset alienum, molirentur, ne qua rerum turbatio, mutatioque fieret. Cùm autem legati Athenas peruenissent, Athenienses cùm eos, vt res nouas molientes, tum etiam [*alios,*] quibus persuaserant [*id, cuius causa eò missi fuerant,*] corripuerunt, & in Ægina custodiendos deposuerunt. Interea verò Corcyræi, qui Reipub. principes erant, Corinthiacæ triremis, & Spartanæ legationis aduentu, plebem adoriuntur, pugnaque commissa vicerunt: sed noctis interuentu, plebs quidem in arcem, & editiora vrbis loca confugit, ibiq; castra frequens posuit, & Hyllaïcum portum tenebat. Victores verò, forum occuparũt, vbi permulti ipsorum habitabant, & portum, qui in forum, & in continentem spectat. Postridie verò leue certamen inter se missilibus commiserunt, & in agros vtrique nuntios dimiserunt, seruitia solicitantes, spe libertatis proposita. Et plebi quidem seruitiorum multitudo se sociam adiunxit. alteris verò octingẽti milites ex continente subsidio venerunt. Vno autem die interiecto, pugna rursus est commissa, & plebs vicit, quòd & locorum munitione, & hominum numero superior esset. mulieres etiam eos viriliter adiuuerunt,

hostem tegulis è summis ædium culminibus ferientes, & tumultum supra muliebrem sexum sustinentes. Cùm autem sub crepusculum vespertinum nobiles, ac diuites, quorum exiguus erat numerus, in fugam versi fuissent, & metuerent ne plebs eodem impetu, sublato clamore, in se irruens, & naualibus potiretur, & se interficerent, ædes, quę in foro circuncirca erãt, & illis contiguas domos incendunt, ne qua illinc in se fieret impressio, neque suis, neque alienis parcentes. quamobrem & multæ mercatorum pecuniæ crematæ sunt, & parum abfuit quin vrbs tota penitus periret, si ventus ingruisset, qui flammam in ipsam sparsisset. Atque illi quidem facto pugnandi fine, quieuerunt, & vtrique noctem illam dispositis custodiis transegerunt. Et Corinthiaca nauis, quia plebs vicerat, clàm discessit: & militum auxiliarium plerique hostem latentes in continentem se receperunt. sequenti verò die, Nicostratus, Diotrephis filius, Athenienſium dux, cum duodecim nauibus, & quingentis grauis armaturæ militibus Messenijs, Naupacto ad opem [*Corcyræis*] ferendam venit. & de compositione inter illos faciẽda agere cœpit, illisq; persuasit (vt in mutuæ concordiæ gratiam redirent) vt decem quidem homines, qui præcipui malorum autores fuerant, in iudiciũ vocarent, qui diutius [*ibi*] non manserunt: [*sed statim se subduxerunt.*] reliqui verò [*Corcyram*] incolerent, icto inter se, & cum Athenienſibus fœdere, vt eosdem hostes, & eosdem amicos ducerent. Atque ille quidem his rebus gestis discessurus erat. sed plebis principes ei persuaserunt, vt sibi quinque de suis nauibus relinqueret, vt aduersarij minus se commouerent, se verò totidem de suis, rebus omnibus ad nauigationem necessariis instructas,

ctas, cum eo missuros [*dixerunt.*] atque ille quidem [*hoc ipsis*] concessit. Illi verò suos quiq; aduersarios delegerunt, quos naues conscendere iusserunt. Sed illi, veriti ne Athenas mitterentur, ad Castoris, & Pollucis fanum supplices consederũt. At Nicostratus illos illinc excitare, & consolari cœpit. Sed cùm illis persuadere non posset, [*vt illinc discederent,*] populus armis hac de causa sumptis, quòd existimaret eos nihil sani in animo habere, qui propter suam diffidentiam cum Nicostrato nauigare nollent, & eorum arma ex ædibus absportauit, & nonnullos ipsorum, in quos inciderat, interfecisset, nisi Nicostratus [*eum*] impediuisset. Alij verò, cùm hæc fieri viderent, ad Iunonis templum supplices consederunt, erantque non pauciores quadringentis. Populus verò, veritus ne quid noui molirentur, verbis adductos illinc excitauit, & in insulam Iunonis templo oppositam transportauit; & quæ ad vitam sustentandam erant necessaria, illuc ad ipsos transmittebat. Cùm autem seditio in hoc statu esset, quarto, quintóve ab istis in insulam transportatis die, tres, & quinquaginta Peloponnesiorum naues ex Cyllene, vbi, post reditum ex Ionia, statione habebãt, aduenerunt. His autem præerat Alcidas, vt & prius, & Brasidas consiliorum socius cum eo nauigabat. cùm autem appulissent ad Sybota portum, qui est in continẽte, primo diluculo aduersus Corcyram nauigarunt. Corcyræi verò magno cum tumultu, cùm res vrbanas, [*ac intestinos inimicorum conatus.*] tum etiam classis hostilis aduentum formidantes, sexaginta naues simul instruere cœperunt, & prout vnam quanque rebus omnibus ad prœliũ committendum necessariis explebant, eam aduersus hostem emittebant. Athenienses enim ipsis sua-

ferant, vt se primos exire, [*& hostibus obuiam ire*] sinerent, ipsi verò postea cum tota classe simul subsequerentur. Sed cum ipsorum naues dispersæ ad hostes accederent, duæ quidem protinus ad eos transfugerunt, qui verò in aliis vehebantur, inter se prœliabantur. nihil autem ritè, nihil ordine fiebat. Peloponnesij verò [*hoc hostium*] tumultu animaduerso, cum viginti quidem nauibus se Corcyræis opposuerunt, cum reliquis verò, duodecim Atticis nauibus, quarum duæ erant Salaminia, & Paralus, [*obuiam processerunt.*] Atque Corcyræi quidem, quia malè, [*nullo, vel militaris ordine seruato,*] nauibus que raris [*in aduersarios*] impetum faciebant, soli grauiter laborabant. Athenienses verò, quia multitudinem [*hostium*] metuebant, & [*verebantur,*] ne [*ab illis*] circumuenirentur, in confertas [*illorum naues*] non irruebant, nec in eas, quæ in medio agmine cõtra se instructæ erant. Sed in extremum cornu irruentes, vnam nauem demergunt. Postea verò [*Peloponnesij*] sua classe in orbem digesta, hostem circumeuntes turbare conabantur. at qui aduersus Corcyræos in acie stabant, hac re cognita, & veriti ne [*suis*] idem accideret, quod ad Naupactum [*contigerat ipsis*] auxilium ferunt. Tunc verò naues confertæ simul in Athenienses impressionem fecerunt. Illi verò se subducere cœperunt, iam in puppim remigantes. simul etiam volebant Corcyræorum naues maturè fugere, dum ipsi quàm lentissimè retrocederent, & hostium sibi oppositorum impetum sustinerent. Hoc igitur nauale prœlium, quod huiusmodi fuit, sub solis occasum finitum est. Et Corcyræi, veriti ne hostes, vt pote victores, infesta classe contra se venirent, & vrbem inuaderent, aut ex insula eos exportarent, quos ipsi in eam

eam transportarant, aut aliud quippiam noui molirentur, eos, quos eò transmiserant, illinc in Iunonis templum rursus reportarunt, & vrbem custodiebant. Hostes verò, quamuis eos nauali prœlio superassent, ad vrbem tamen accedere non sunt ausi: sed cum tredecim Corcyræorum nauibus, quas ceperant, in continentem nauigarunt, vnde venerant. Postridie verò nihilo magis vrbem infesta classe petierunt, licet omnes eius incolæ in magna perturbatione, & trepidatione essent, licet etiam Brasidas (vt fertur) Alcidam ad hoc adhortaretur; quamuis numero suffragiorũ esset inferior: sed in promontorium Leucimnam ex nauibus egressi, agros vastarunt. Interea verò Corcyræorum populus vehementer metuens ne Peloponnesiorum classis vrbem inuaderet, cum supplicibus, aliisque in colloquium de ciuitate conseruanda venit: & eorum nonnullis persuasit, vt naues cõscenderent. Nam [*Corcyræi, quamuis in hoc rerum statu essent constituti,*] tamen triginta naues rebus ad prœlium necessariis expleuerunt, hostis aduentum opperientes. At Peloponnesij ad meridiem vsque agrum eorum populati, discesserũt. sub noctem autem ignibus accensis significatum fuit ipsis sexaginta naues Atticas à Leucade venire, quas Athenienses miserãt, cum Eurymedonte Theuclis filio, qui ipsis præerat, quia de Corcyræorum seditione certiores facti fuerant, & naues, quæ cum Alcida erant, aduersus Corcyram ituras intellexerant. Peloponnesij igitur eadem nocte statim, magna celeritate domum redierunt terram legentes. cùm autem naues per Leucadium Isthmum [*in alterum litus huic oppositum*] transportassent, ne circumeuntes [*ab hoste*] conspicerentur, [*ita demum*] se receperunt. Corcyræi verò, cùm & Atticas naues aduentare, &

hostiles discessisse intellexissent, Messenios receperunt, & in vrbem introduxerunt, qui prius erant extra: & naues, quas rebus ad prœlium necessariis expleuerant, circumuehi, & in portum Hyllaïcum venire iusserunt, & dum illæ circumueherentur, si quem de suis inimicis cepissent, eum interficiebât. quinetiam eos omnes, quibus persuaserant, vt naues conscenderent, ex nauibus eduxerunt, illisque cæsis discesserût. Et ad Iunonis templum profecti, ex supplicibus circiter quinquaginta ad iudicium subeundum, verbis adduxerunt, omnesque capite damnatos morte mulctarunt. Sed plerique supplicum, qui verbis illorum adduci non potuerant, vt iudicium subirent, cùm viderent ea, quæ gerebantur, ibidem, in templo se mutuò interfecerunt. & nonnulli eorum ex arboribus se ipsos laqueis suspenderunt. reliqui verò, prout quisque potuit, se ipsos absumpserunt. Et per septem dies, per quos Eurymedon cum sexaginta nauibus [*eò*] profectus, [*ibi*] manserat, Corcyræi eos interfecerunt, quos inimicos esse ducebant: crimini quidem illis dantes, quòd popularem statum euerterent. sed nonnulli etiam ob inimicitias priuatas, alij etiam propter pecunias, quæ ipsis debebantur, à debitoribus, qui eas acceperât, interfecti fuerunt. omneque mortis genus [*tunc excogitatum*] visebatur: & (quemadmodum in huiusmodi rerum statu solet accidere) nihil est, quod non contigerit, atq; adeò longè plura, [*quam à me sunt dicta.*] Etenim pater filium occidebat. Et homines à templis abstrahebantur, & propè ipsa cædebantur. quinetiam nonnulli muro circunsepti in Bachi templo, [*fame necati*] perierunt. Eò sæuitiæ progressa est seditio, atque ideo maior est visa, quòd hæc apud eos prima extitisset. Nam postea propemodum & vniuersa

uersa Græcia commota est, quòd vbique discordiæ essent inter plebis patronos, qui Athenienses, & optimates, qui Lacedæmonios accersere volebant. ac in pace quidem nullam [*huius rei peragendæ*] speciosam causam habuissent: nec ad ipsos accersendos adeò prompti fuissent. Sed cùm in bello iam premerentur, & vtrique se sociorum auxiliis indigere simularent, vt simul & aduersam factionem opprimerent, & ex eadem sociorum euocatorum ratione potentiã sibi ipsis adiungerẽt; [*tunc verò*] illis, qui rerum nouarum erant cupidi, facilè dabatur facultas accersendi socios, [*quibus se indigere vtrique simulabant.*] Et multæ, eæque graues calamitates propter seditionem ciuitatibus acciderunt, quæ accidere solent, & semper accident, quoad eadem hominum natura fuerit: sed tamen vel grauiores, vel leuiores, & genere diuersæ, prout singulæ rerum, fortunæque mutationes contigerint. nam in pace quidem, & rerum secundarum affluentia, cùm ipsæ ciuitates, tum etiã homines priuati mentes habent meliores, quod in odiosas necessitates nõ incidant. Bellum verò, subducta paulatim rerum copia ad quotidianum vitæ vsum necessaria, violentus est magister, & ad præsentem rerum statum multorum mores effingit. Ciuitates igitur seditionibus agitabantur, & illæ, in quibus seditiones serius excitabantur, res, quas alibi iam accidisse, fama acceperant, longe superare studebant, vt propter rerum à se recens inuentarum nouitatem, ingenij laudẽ quærerent, quòd nouas inimicorum adoriẽdorum rationes magna cum solertia inuenissent, & noua suppliciorum genera excogitassent. Quinetiam vsitatam vocabulorum significationem in rebus arbitratu suo immutarunt. Nam inconsiderata quidem audacia

fortitudo amicorum studiosa existimata est: consideratavero cunctatio, timiditas: speciosa modestia verò ignauiæ prætextus. Et adhibere prudentiá ad rem omnem quæ gerenda suscipitur, in re qualibet cessatio, & segnities [*existimabatur.*] At vesana celeritas, [*qua quis ad res aggrediendas præceps fertur,*] viri [*fortis*] officio tribuebatur. Cautio verò in iteranda deliberatione, speciosa negotij detrectandi materia. Et qui iracundus erat, is fide dignus semper habebatur: at qui verbis ei resistebat, huius fides erat suspecta. Qui verò insidias aliis parauerat, si res ipsi ex animi sententia successisset, prudens [*habebatur.*] & si aliorum insidias sibi paratas prouidisset, longè prudentior [*existimabatur.*] Qui verò prospexisset ne vllis huiusmodi rebus ipse indigeret, is amicitiæ dissolutor, & aduersariorum timens [*vocabatur.*] In summa, is laudabatur, qui alterum in iniuria facienda præuertisset, & qui alium nihil tale cogitantem ad hoc ipsum impulisset. Quinetiam sodales cognatis, [*ac necessarius*] anteponebantur, quòd [*sodales*] ad audendum sine vlla tergiuersatione promptiores essent, [*quàm ipsi cognati, ac necessarij.*] Nam huiusmodi sodalitiorum cœtus non vtilitatis causa, ex legum latarum præscripto: sed auaritiæ gratia, contra leges vsu longo stabilitas, fiebant. nec tam iurisiurandi interpositi religione, quàm scelerum, quæ simul patrabant, communicatione, fidem inter se confirmabant. Et quę ab aduersariis probè dicebantur, ea admittebāt, si opibus præstarent ita, vt illorum insidias cauere possent, non autem generositate; [*animiq; simplicitate.*] Et vnus quisq; hoc plures faciebat, si alium pro iniuria ilsata vlcisci posset quàm si ipse nulla iniuria ab alio lacesseretur. Et si forte reconciliandæ gratiæ causa iusiurandum in-

cer

ter vtranq; partem aliquando interponebatur, id in præsentia valebat, propter difficultatem, [*qua tunc vtrique premebantur, quòd aduersarios opprimere non possent,*] quia vires aliunde non habebant: sed ad quamlibet rei peragendæ occasionem oblatam, qui prior fidere cœpisset, is, si [*aduersarium*] minùs munitum animaduertisset, propter fidem, [*qua ille fretus nullas insidias, nullamq; vim timebat, illum per fraudem*] lubentius vlciscebatur, quàm [*si*] apertè [*rem gessisset.*] Nam & tutum hoc esse putabat, &, quòd fraude superasset [*aduersarium,*] prudentiæ præmium, [*laudemq;*] præterea consequebatur. facilius enim multi, qui sunt fraudulenti, solertes appellantur, quàm tardi, boni. atque hoc quidem erubescunt: illo verò gloriantur. Horum autem omnium [*malorum*] causa fuit principatus, qui propter auaritiam, & ambitionem appetebatur. His autem quasi fundamentis iactis, alacritas etiam animorum ad contentionis studium accedebat. Nam singularum ciuitatum principes, honesta vtrique nominis præscriptione, ciuilem iuris æquabilitatem, qua multitudo vtitur, [*id est, statum popularem,*] & moderatam optimatum dominationem [*cæteris administrandæ Reipub. generibus*] anteponentes, Rempub. verbo quidem curabant: sed re ipsa tanquam suorum certaminũ præmium eam sibi proponebant, [*& quæstui habebant:*] & cùm alij alios omni modo superare contenderent, atrocissima quæq; facinora sunt ausi, & [*inimicitias hostili more*] sunt persequuti, pœnas, non quantum æquitas, & vtilitas publica postulabat, sed longè grauiores [*inimicis*] irrogantes, & pro sua vtrique libidine semper eas in qualibet re statuentes, & vel iniquis suffragiis [*inimicum quique suum*] damnantes, vel manibus, [*& vi*] potentiam

sibi parantes, ad præsentis contentionis libidinem explendam erant parati. Itaque neutri [*quicquam transigere*] consueuerunt, habita ratione religionis, [*ac iurisiurandi:*] sed quibus specioſa oratione aliquid commodè transigere licuisset, illi melius audiebant. Ciues verò, quotquot inter vtrosque erant, medij, [*& qui neutris fauebant, nec in partibus erant,*] hi, vel quòd illos non adiuuarent, vel propter inuidiam, quòd ipsi calamitatum essent immunes, ab vtraque factione penitus perdebantur. Adeò omne facinorum genus in Græcia passim propter seditiones extitit. Et simplicitas (cuius ipsa generositas est maximè particeps) cum irrisione funditus est deleta. Animis verò infestis inter se esse, & nullam alteri fidem habere, longè præstitit. nam nec vlla sermonis autoritas, nec vllus iurisiurandi terror illas inimicitias dirimere poterat. Sed cùm omnes animis essent propensiores ad desperandum de alterius fide, & constantia, illud potius prospiciebant, quomodo malum impendens vitarent, quàm, vt cuiquam fiderent, adduci poterant. Et qui prudentia minus valebant, plerunque superiores erant. Quòd enim & suam imprudentiam, & aduersariorum prudentiam metuerent, veriti ne vel illorum eloquentia superarentur, vel propter illorum ingenij calliditatem præuenirentur, ac insidiis priores appeterentur, audacter ad quælibet facinora suscipienda ferebantur. Qui verò [*hæc*] negligebant, & [*sua prudentia freti, aduersariorum insidias*] se præsensuros [*existimabant,*] nec sibi factis vllis opus esse [*ducebant*] in anteuertendis illorum insidiis, quas consilio vitare possent [*isti:*] non muniti, [*nec tecti: sed imparati,*] facilius opprimebantur. Pleraque igitur huiusmodi audaciæ facinora Corcyræ prius, [*quam*

in aliis Græciæ ciuitatibus,] patrata fuerunt, & alia, quæcunque facere possent, qui suas iniurias vlciscuntur, in eos, qui damnum datum, iniuriamque sibi factam sunt vlti, à quibus, dum illorum imperio parêrent, insolenter potius, quàm modestè tractati fuerunt. Et [*quæcunque facere possent pauperes*] aliqui, qui consueta, [*ac diuturna*] rerum inopia se liberari cuperent, præcipuè verò, qui per auaritiam fortunas alienas occupare studerent, & se has præter ius consequi posse confiderent. Et [*quæcunque patrare possent,*] qui non auaritiæ causa: sed primùm [*quidem*] æquo iure [*suos inimicos*] inuaderent, [*deinde verò*] immani indignatione longissimè prouecti, crudeliter [*eos,*] & animo inexorabili persequerentur. Cùm autè vitæ disciplina tunc temporis Corcyræ fuisset pertutbata, ipsa quoque humana natura, quę vel præter leges [*dù adhuc stant & vigent,*] iniustè facere consueuit, legibus superatis, se iræ quidem impotentè: at iure potentiorem, omnisq; superioris dignitatis hostem esse lubenter declarauit. Nam [*nisi res se ita habuisset, homines profectò*] pietati vindictam non antepositissent, neque innocentiæ, quæstum, in quo inuidia potentiam non nocentem habebat, sed homines tũ alios vlciscuntur, communes leges de rebus illis latas, in quibus spes omnibus est reposita, fore, vt, si ipsi in calamitates aliquas inciderint, saltem ipsæ [*leges*] conseruentur, euertere maturè volunt, nec [*vllum subsidium alijs*] relinquere, si quis fortè in periculũ vocatus, aliqua illarum indigeat. Corcyræi igitur, qui in vrbe erant, primi [*Græcorum omnium*] tales iras inter se [*tunc*] exercuerunt. Et Eurymedon, & Athenienses cum classe [*illinc*] discesserunt. Postea verò Corcyræorum exules (nam ad quingentos illorum euaserant) occupatis quibusdam munitio-

nibus, quæ in continente erant, suo vlteriore agro potiti sunt, atque illinc, [*vt ex arce belli*] erumpentes, populabantur agros illorum, qui erant in insula, magnisque detrimentis illos afficiebant. Et [*propterea*] in vrbe fames ingens est exorta. Iidem etiam legatos de suo [*in patriam*] reditu acturos Lacedæmonem, & Corinthum miserunt. Sed cùm nihil proficerent, postea paratis nauibus, & militibus auxiliariis, in insulam traiecerunt, numero vniuersi circiter sexcenti. atque nauibus incensis, vt nulla spes alia relinqueretur, quàm agri occupandi, montem Istonem conscenderunt, & munitione illic extructa, eos, qui in vrbe erant, grauissimè vexabant, agroque potiebantur. Hac eadem æstate extrema. Athenienses viginti naues in Siciliam miserunt, & Lachetem Melanopi, & Charœadam Euphileti filium, harum præfectos. Nam Syracusani, & Leontini bellum inter se gerebant. Syracusanorum autem sociæ erant, exceptis Camarinæis, cæteræ Dorienses ciuitates, quæ in Lacedæmoniorum societatem huius belli initio concesserant, eos tamen in bello non adiuuerant. Leontinorum verò, Chalcidicæ ciuitates, & Camarina. Sed ex Italia, Locri quidem, Syracusanis, Rhegini verò, propter cognationem Leontinis fauebant. Leontinorum igitur socij, cùm propter antiquam societatem, [*quæ ipsis cum Athenien sibus intercedebat,*] tum etiam, quòd Iones essent, legatis Athenas missis, Athenienses persuaserunt, vt naues ad se mitterent, nam & terræ, & maris vsu à Syracusanis prohibebantur. Athenienses verò naues miserunt, per speciem quidem necessitudinis, sed [*re ipsa,*] eo consilio, vt neque frumentum illinc in Peloponnesum exportaretur, vtq; tentarent an res Siculas in suam potestatem redigere possent. Cùm igitur Rhegium

Italiæ

Italiæ [*oppidum*] appulissent, cum sociis bellum gerere cœperunt. atque hæc æstas excessit. At hyeme ineunte morbus Athenienses iterum invasit, qui nunquam ille quidem omnino sedatus fuerat: sed tamen quædam eius quiescentis intermissio facta fuerat: quum autem eos rursus est aggressus, non minus anno integro [*apud eos*] est immoratus. prius verò, vel per biennium [*est grassatus.*] adeò vt nihil fuerit, quòd Athenienses magis, quàm morbus iste presserit, eorumque vires afflixerit. Nam ex legionariis militibus obierunt non pauciores, quàm quatuor millia, & quadringenti, & trecenti equites. Nam cæteræ turbæ numerus iniri non potest, tunc verò præterea frequentes terræmotus extiterũt & Athenis, & in Eubœa, & cùm inter Bœotos, tum verò præcipuè in Bœotiæ oppido Orchomeno. Et Athenienses, ac Rhegini, qui in Sicilia erant, insulis, quæ Æoli vocantur, eadem hyeme bellum cum triginta nauibus intulerunt. Nam æstate propter aquarum inopiam bellũ ipsis inferri nequit. Liparæi autem, qui sunt Cnidiorum coloni, eas possident: habitantque in vna ex istis insulis non magna, quæ Lipara vocatur. hinc autem proficiscentes, alias, Didymen scilicet, Strongylen, & Hieram, colunt. Homines autem, qui sunt in illa regione, Vulcanum in Hiera fabrilem artem exercere putant, quia noctu quidem, magnum ignem, interdiu verò, fumum emittere cernitur. Hæ autem insulæ sitæ sunt è regione Siculi, & Messani agri: erantque Syracusanorum sociæ. Athenienses verò vastato illorum agro, cùm illæ se [*ipsis*] dedere nollent, Rhegium redierunt. atque hæc hyems exiit, & belli, quod Thucydides conscripsit, quintus annus excessit. Sequente verò æstate Peloponnesij, eorumque socij, duce Agide, Archidami fi-

lio, Lacedæmoniorum Rege, ad Isthmum vsque processerunt, vt irruptionem in Atticam facerent. Sed cùm crebri terræmotus fierent, retrò se receperunt, nec irruptionem in Atticam fecerunt. Per hæc tempora terræmotibus Eubœam apud Orobias agitantibus, mare ab ea, quæ tunc erat tellus, magno cum fluctuum impetu veniens, quandam vrbis partem inuasit. Atque vna quidem [*maris*] pars [*illam vrbis partem*] demersit; altera verò, se [*in suum pristinum alueum*] recepit. Et quod antea tellus fuerat, id nunc est mare. omnesque mortales perdidit, quot quot in editiora loca ocius cursu se cõferre non potuerant. Hùic autem similis alluuio extitit circa Atalantam insulam apud Locros Opuntios; quæ ab Athenienſium castello partem abstraxit, & duarum nauium, quæ subductæ erant, alteram diffregit. In Peparetho quoque fuit quędam maris restagnatio, quæ tamen [*vrbem*] non inundauit. Et terræmotus muri partem, & Prytaneum, & aliquot alias domos diruit. Huius autem rei ego causam fuisse puto, quòd terræmotus, qua parte vehementissimus extitit, ab hac mare longè amandarit, hoc verò repentè rursus retractum inundationem violentiorem fecerit. nam sine terræmotu non videtur mihi contingere, vt hoc fiat. Eadem ætate, cùm alij, vt quibusque contigit, in Sicilia, bellum inter se gesserunt, tum etiam ipsi Sicilienses, alij aliis arma inferentes, & Athenienses, cum suis sociis. Quæ autem maximè digna memoratu vel socij cum Athenienſibus, vel hostes aduersus Athenienses gesserũt, horum mentionem faciam. Cùm enim Charœades Athenienſium dux à Syracusanis in prœlio cæsus fuisset, Laches totum classis imperium penes se habens, cum sociis Mylis Messeniorum oppido bellum intulit. Mylis autem

autem præsidio erant duæ Messeniorum cohortes, quæ nonnullas etiam insidias struxerant [*Atheniensium*] militibus, qui in nauibus erant: sed Athenienses, eorumque socij illos, qui in insidiis collocati fuerant, in fugam vertunt, multosque cædunt. Et munitionem adorti, eos compositione facta & arcem dedere, & secum aduersus Messanam militare coëgerũt. Postea verò Messanij, cùm Athenienses, eorumque socij [*eos*] inuasissent, ipsi quoque deditionem fecerunt, datis obsidibus, aliisque fidei pignoribus præbitis. Eadem æstate, Athenienses triginta quidem naues circa Peloponesum miserunt (quibus præerant Demosthenes Alcisthenis, & Procles Theodori filius:) sexaginta verò in Melum, cum duobus millibus grauis armaturæ militum, Nicias autem Nicerati filius ipsis præerat. Melios enim, quòd insulam incolerent, nec imperio parere, neque societatem secum inire volebant, subigere volebant. Sed cùm illi agro [*ab hostibus*] vastato, se ipsis minimè dederent, [*Athenienses*] castris ex Melo motis, ipsi quidem ad Oropum, quod est è regione, nauigarunt, cumque sub noctem [*eò*] appulissent, grauis armaturæ milites ex nauibus egressi, ad Tanagram Bœotiæ [*vrbem*] itinere pedestri protinus ire cœperũt. Athenienses verò, qui Athenis erant, ex omni vniuersi populi ordine coactis frequẽtibus copiis, Hipponico Calliæ, & Eurymedonte Theuclis filio, ducibus, dato signo, in eundem locum terrâ suis obuiam iuerunt. castrisque illo die apud Tanagram positis, agrum populabantur, & noctem illic egerunt. Ac postridie, cùm Tanagræos, qui eruptionẽ [*ex vrbe*] in ipsos fecerant, & Thebanos aliquot, qui auxilio [*Tanagræis*] venerant, prœlio superassent, & arma illis abstulissent, & trophæum statuissent,

hi quidem, in vrbem, illi verò, ad naues redierunt. Nicias autem cum sexaginta nauibus terram legẽs, maritimam Locridis oram vastauit, domumque rediit. Sub hoc ipsum tempus Lacedæmonij Heracleam, quæ est in agro Trachinio, missa colonia condiderunt, hac de causa. Nam vniuersi Melienses in tres partes distinguuntur, in Paralios, Hierenses, & Trachinios. Ex his autem Trachinij ab Oetæis finitimis bello attriti, initio quidem se ipsos Athenienſibus adiungere statuerant: sed veriti ne illi parum fideles sibi essent, Tisamenum legatum elegerunt, quem Lacedæmonem miserunt. cum ipsis autem & Dorienses, quæ est Lacedæmoniorum metropolis, legatos miserunt, vt idem peterent. Nam ipsi quoque ab Oetæis grauissimè vexabantur. Lacedæmonij autem his auditis, in animo habebant coloniã emittere, quòd & Trachiniis, & Dorienſibus opem ferre vellent. Simul etiam quòd hæc vrbs ad bellum aduersus Athenienses gerendum in loco opportuno sita esse ipsis videretur. nam & aduersus Euboeam [*ibi*] classem paratum iri, vt traiectus breuis esset, & ad transitum in Thraciam [*sibi*] vsui futuram [*putabant.*] Et omnino oppidum illud [*colonia eò missa*] condere studebãt. Primùm igitur Deũ, qui Delphis est, consuluerunt [*an hoc facere deberent.* Cùm autẽ ille [*eos hoc facere*] iussisset, colonos cùm de suis, tum de populis circuncirca finitimis [*eò*] emiserunt. quinetiam aliorum Græcorum quisquis vellet, sequi iusserunt, exceptis Ionibus & Achæis, & nonnullis aliis gentibus. Tres autem ex Lacedæmoniis Leon, Alcidas, & Damagon, coloniæ duces, & conditores fuerunt. cùm autem eò peruenissent, vrbem à fundamentis denuò excitatam muro cinxerunt, quæ nunc Heraclea vocatur, quadraginta

ferm, ẽ

fermè stadiorum spatio à Thermopylis, & viginti, à mari distans. naualiaque præparauerunt, eaq; iuxta Thermopylas, ad ipsas earum angustias facere cœperunt, vt ea facile tueri possent. Athenienses autem, cùm hæc vrbs à colonis vndique coactis conderetur, primùm quidé timuerunt, hancque potissimùm aduersus Eubœam condi putarũt, quòd illinc ad Cæneum Eubœæ [*promontorium*] breuis esset traiectus. postea verò præter opinionem, [*res*] ipsis cessit. nihil enim mali inde [*Athenienſibus*] euenit. Cuius rei hæc fuit causa: quia Thessali, qui rerum illarum potiebantur, & quorum in agro [*hæc vrbs*] condebatur, veriti ne præpotentes accolas haberent, assiduo bello nouos colonos premebant, donec eos attritos in pauciſſimos redegerunt, quamuis initio permulti fuissent. Quilibet enim hanc vrbem, quam Lacedæmonij condebant, stabilem, fore sperans, [*eò*] confidenter ibat. Veruntamen vel ipsi Lacedæmonij Magistratus, qui [*illuc*] proficiscebantur, [*illius ciuitatis*] res maximè labefactarunt, & vrbem infrequentè reddiderunt, quod plurimos deterruissent, asperius, quinetiam nonnullis in rebus perperam [*ipsis*] imperantes. quamobrem populi finitimi facilius eos iam superabant. Eadem ætate, & sub idem tempus, quo Athenienses in Melo detinebantur, illi quoque Athenienses, qui cum triginta nauibus circa Peloponnesum erant, primùm quidem ad Ellomenum Leucadiæ quosdam ex præsidiariis per insidias interfecerunt, deinde verò cum maiore classis apparatu, & cum omnibus Acarnanibus, qui cum frequẽtibus copiis, quas ex omnibus suæ gentis ciuitatibus coëgerant, exceptis Oeniadis, eos comitabantur, præterea cum Zacynthiis, & Cephalleniis, & quindecim Corcyræorum naui-

bus, aduersus Leucadem iuerunt. Atque Leucadij quidem, cùm ipsorum ager tam extra, quàm intra Isthmum (vbi & ipsa Leucas est sita, & Apollinis templum) vastaretur, quod militum numero longè inferiores essent, [*nec hostium impressionem sustinere possent,*] quiescebant, [*& intra sua mœnia se continebant, nec vllam eruptionem in illos faciebant.*] Acarnanes verò Demosthenem Athenien sium ducem rogabant, vt eos circumuallaret. hanc enim vrbem facilè expugnari posse, seque ciuitate sibi semper inimica liberatum iri putabant. Sed Demosthenes hoc ipso tempore verbis Messeniorum adductus est, vt crederet e dignitate sua esse, cùm tantus exercitus esset coactus, Ætolis bellum inferre, quod & Naupacto hostes essent. Et [*iidem Messenij dicebant illum,*] si hos superasset, reliquas quoq; ciuitates, quæ in illis Epiri partibus erant, in Athenien sium potestatem facilè redacturum. Ætolorum enim gentem magnam illam quidem, & bellicosam esse: quia tamen in vicis nullo muro cinctis, idque longe inter uallo inter se distantibus habitabat, & leui armatura vtebatur, eam non difficulter ab eo subigi posse demonstrabant, [*si celeriter eam inuasisset,*] antequam ipsa copiis omnium suarum ciuitatum in vnum coactis obuiam ipsi prodiret, vt saluti, fortunisq; cõmunibus opem ferret. Suadebant autem vt primum quidem inuaderet Apodotos, deinde vero Ophionenses, post hos Eurytanes. (quæ est maxima Ætolorum pars. Sermone autem vtuntur ignotissimo, & carnibus crudis vescuntur, quamobrem etiam ὠμοφάγοι vocantur.) His enim captis, cæteros etiam [*Ætolorum*] populos deditionem facile facturos [*affirmabant.*] Ille vero Messeniorum, qui in gratia apud eum erãt, verbis adductus, præcipuè verò quia credidit se fine

Atheni-

Athenienſium copiis, [*cum ſuis*] Epiroticis ſociis, [*&*] cum Ætolis poſſe itinere terreſtri proficiſci contra Bœotos, per Locros Ozolas, ad Cytinium Doricum, quod Parnaſſum ad dextram habet, donec deſcenderet ad Phocenſes, qui propter amicitiam, quæ ipſis cum Athenienſibus perpetuò quondam interceſſerat, ad eandem militiam alacriter venturi, vel etiam per vim, qua cogerentur, profecturi videbantur. Iam verò Bœotia Phocenſibus eſt finitima. cum omnibus igitur copiis, inuitis Acarnanibus, à Leucade ſoluens oram maritimam legens, ad Sollium nauigauit. Conſilio autem cum Acarnanibus communicato, cùm illi hoc non admiſiſſent, [*neque probaſſent,*] quòd Leucadem circumuallare noluiſſet, ipſe cum reliquis copiis Cephalleniorum, Meſſeniorum, Zacynthiorum, & trecentorum ex ſuis claſſiariis Athenienſium (nam quindecim Corcyræorum naues abierant) Ætolis bellum intulit. Ex Oenone autem Locridis profectus eſt. Iſti autem Locri Ozolæ erant [*Athenienſium*] ſocij, eoſq; cum omnibus ſuis copiis in loca mediterranea proficiſci oportebat, vt illic Athenienſibus præſtò eſſent. quòd enim Ætolis eſſent finitimi, & armorum genere ſimiles, cùm propter peritiam pugnæ, qua illi vtebantur, tum etiam propter locorum notitiam, eorum auxilium in hac expeditione magno vſui fore videbatur. Cùm autem in Iouis Nemeæi templo (in quo ab illius regionis incolis Heſiodus obiiſſe dicitur, cùm oraculum accepiſſet, hoc ſibi in Nemea euenturum) cum toto exercitu pernoctaſſet, ſub auroram caſtris inde motis in Ætoliam eſt profectus. primoque die Potidaniam cepit; ſecundo, Crocylium; tertio, Tichion. ibique ſubſtitit: & prædam in Eupolion Locridis miſit. nam in animo habebat,

vbi cætera loca prius in suam potestatem redegisset, ita demum postea aduersus Ophionenses Naupactum reuersus, nisi se dedere voluissent, cum suis copiis proficisci. Sed hic apparatus Ætolos non latuit, imò ne tunc quidem quum primùm [*à Demosthene de Ætolis inuadendis*] consilium inibatur, & postquàm [*eius*] exercitus [*in Ætoliam*] irrupit, omnes [*Ætoli*] ingenti manu ei obuiam iuerunt. nam vel illi, qui Ophionẽsium sunt extremi, qui ad Meliacum sinum pertingunt, Bomienses, & Callienses, opem [*suis*] tulerunt. Messenij verò [*tunetiam*] idem, quod & initio, Demostheni suadebãt. [*Nam*] eum docentes Ætolorum debellationem facilem esse, hortabantur vt quàm celerrimè vicos [*illorum*] inuaderet, nec expectaret donec vniuersi copiis in vnum contractis ei occurrerent: sed in quemcunque [*vicum*] incideret, [*eum*] expugnare semper conaretur. Ille verò his verbis adductus, & fortuna fretus, quòd nulla in re ei aduersaretur, Locros, quos ipsi auxilium ferre oportebat, non præstolatus (vehitum enim, & leuis armaturæ opera potissimũ indigebat) aduersus Ægitium contendit, & aggressus expugnat. Nam oppidani fuga dilapsi fuerant, & tumulos oppido imminentes occupauerant. nam in locis excelsis erat situm, à mari distans octoginta fermè stadiis. Ætoli verò (iam enim ad Ægitium venerant, vt ei ferrẽt opem) Athenienses, eorumque socios inuaserunt, & alij ex his, alij ex aliis tumulis decurrentes, missilia [*in eos*] ingerebant. Et quoties Athenienſium exercitus [*ipsos*] inuadebat, ipsi pedem referebant, illis verò pedem referentibus instabant. Et huiusmodi pugna diu est commissa, dum alij alios mutuò insequerẽtur, & vicissim se reciperent, & in vtroque, [*videlicet tam in ipsa insequutione, quam in receptu.*] Athe-

thenienſes erant inferiores. Quoad igitur illorum ſagittariis tela ſuppeditarunt, hiſque vti potuerunt hi [*Ætoli*] reſtiterunt. (Nam Ætoli, quòd leuiter armati eſſent, dum ſagittis peterentur, reprimebantur) at cùm ſagittariorum præfectus occubuiſſet, & iſti diſſipati fuiſſent, & iidem eodem labore continenter, diuque tolerato iam defeſſi eſſent, & Ætoli ipſis inſtarent, & miſſilibus ipſos peterent, ita demum terga verterunt, fugæque ſe dederunt, & incidentes in torrentium alueos exitu carentes, & in loca, quorum erant ignari, perdebantur. Nam Chromon Meſſenius, qui viæ dux ipſis erat, iam obierat. Ætoli verò miſſilibus eos petentes, multos quidem eorum illic, in ipſa fuga pedibus aſſequuti, quòd eſſent homines pedũ velocitate præſtantes, & leuiter armati, perdiderunt. Sed longè plures, qui à viis aberrauerant, & in ſyluam non per viam ſe contulerant, allato, [*iniectoq;*] igne concremarunt. Denique fugæ, & interitus omne genus in Athenienſium exercitu cernebatur. Et qui ſuperfuerũt, ad mare, & Oeneonem Locridis (vnde profecti fuerant) ægrè fuga ſe recipere potuerunt. Perierunt autem cùm ex ſociis multi, tum etiam ex ipſorum Athenienſium militibus grauiter armatis ad ſummum circiter centum & viginti. Atq; tot quidem numero [*fuerunt,*] & eadem ætas [*militaris omnibus erat.*] Iſti igitur, qui Reipub. Athenienſis ciues, virique fortiſſimi erant, in hoc bello perierunt. periit etiam alter ex ducibus Procles. cùm autem ſuorum militum cadauera fide publica interpoſita ab Ætolis recepiſſent, & Naupactum rediiſſent, poſtea cũ nauibus Athenas delati ſunt. Demoſthenes verò apud Naupactum, & in illius regionis locis remanſit, quòd ob res à ſe [*malè*] geſtas Athenienſes formidaret. Per eadem tempora,

Athenienſes etiam, qui circa Siciliam erant, cùm in Locridem nauigaſſent, in quodam exſcenſu è nauibus in terram facto, Locros, qui [*loco*] auxilium ferebant, ſuperarunt, & Peripolium ceperunt, quod ſitum erat ad flumen Halecem. Eadem æſtate, Ætoli, qui iam antea Corinthum, & Lacedæmonem legatos miſerant, Tolophum Ophionenſem, & Boriadem Eurytanem, ac Tiſandrum Apodotum, [*illarum ciuitatum Magiſtratibus,*] perſuaſerunt, vt ſibi copias contra Naupactum mitterent, propter Athenienſes [*à Naupactiis*] accerſitos, & in oppidum introductos. Lacedæmonij verò ſub autumnum tria millia grauis armaturæ ſociorum emiſerunt. Horũ in numero fuerunt quingenti ex Heraclea vrbe in agro Trachinio tunc recens condita. His autem copiis præerat Eurylochus Spartanus, eumque Maſſarius, & Menedatus Spartani comitabantur. Exercitu autem Delphis coacto Eurylochus caduceatorem ad Locros Ozolas præmiſit. nam per illorum regionem ad Naupactum iter erat, ſimul etiam eos ab Atheniſium ſocietate abducere volebat. Amphiſſenſes autem omnium Locrorum maximè eum adiuuabãt, quia propter Phocenſium odium ſibi timebant. & cùm ipſi primi dederunt obſides, tum etiam alios ad idem faciendum induxerunt, qui hoſtilis exercitus aduentum meruebant. Primùm igitur Myonenſes ſibi finitimos (hac enim ager Locrenſis aditum habet difficillimum) deinde Ipnenſes, Meſſapios, Tritæenſes, Challæos, Tolophonios, Heſſios, & Oeanthenſes. Iſti omnes etiam ad eandem expeditionem profecti ſunt. at Olpæi obſides quidem dederunt: ſed tamen alios ſequi noluerunt. Hyæi verò ne obſides quidẽ dederunt, priusquàm vicus eorum nomine Polis ab hoſtibus eſt captus.

Poſtquàm

Postquàm autem res omnes ad expeditionem necessariæ comparatæ fuerunt, [*Eurylochus*] obsidibus in Cytinio Dorico depositis, cum exercitu per Locrorum agrum Naupactum versus contendit. Et dum iter faceret, Oeneonem ipsorum [*Locrorum oppidum*,] & Eupolium cepit. Nam [*Eurylocho*] se adiungere noluerant. cùm in agrum Naupactium peruenissent, & Ætoli simul auxilium ei iam tulissent, agrum vastarunt, & suburbia nullis cinctæ muris ceperunt. Et Molycricum profecti, quæ Corinthiorum quidem colonia erat: sed Athenienssium imperio parebat, ceperunt. Demosthenes verò Athenienssis (adhuc enim post reditum ex Ætolia, vbi cladem acceperat, circa Naupactum agebat) cùm hostilis exercitus aduentum præsensisset, & de ipsa [*Naupacto*] timeret, ad Acarnanes profectus, ipsis ægrè (propter discessum ex Leucade) persuasit, vt Naupacto subsidio venirent, Et cum eo mille grauis armaturæ milites nauibus vectos miserunt: qui vrbem ingressi, eam sunt tutati. Metus enim vehemens erat, ne, cùm magnus esset murorum ambitus, & pauci propugnatores, [*vrbis incolæ hostibus*] resistere non possent. Eurylochus verò, & qui cum eo erant, cùm intellexissent [*Athenienssium*] copias in vrbé ingressas, eamque [*propterea*] expugnari non posse, se receperunt non in Peloponnesum: sed in Æolidem, quę nunc Calydon vocatur, & Pleuronem & in alia illius regionis loca, nec non in Proschion Ætoliæ. Nam Ambraciotæ ad eos profecti, ipsis persuaserunt, vt secum Argos Amphilochicum, & cæteram Amphilochiam, & Acarnaniam aggrederentur. Simul etiam ipsis dixerunt fore vt, si hæc in suam potestatem redegissent, tota Epirotica gens societatem cum Lacedæmoniis contraheret. Eury-

lochus igitur horum verbis adductus, & omissis Ætolis, circum illa loca cum exercitu conquieuit, donec Ambraciotis ad militiam profectis, ad Argos subsidio venire oporteret. atque hæc æstas excessit. Sequente autem hyeme, Athenienses, qui in Sicilia erant, cum sociis Græcis, & [*aliis*] Siculis, quotquot violento Syracusanorũ imperio premebantur, & qui cùm [*eorum*] essent socij, defectione à Syracusanis [*ad Athenienses*] facta ipsos in hoc bello iuuabant, aduersus Nessam Siciliæ oppidum, cuius arcem Syracusani tenebant, iuerunt, & oppugnarunt. quum autem hoc expugnare non potuissent, abierunt. In ipso autem receptu, Syracusani, qui in arce erant, Athenienſium socios, qui eos nouissimi sequebantur, dum se reciperent, inuaserunt. & impressione in illos facta, magnam exercitus partem in fugam vertũt, & non paucos occidunt. Postea verò Laches, & Athenienses exscensu è nauibus in nonnulla Locridis loca facto, ad Caicinum fluuium, Locros, qui cum Proxeno Capatonis filio ad vim arcendam occurrerant, circiter trecentos, prœlio superarunt, armisq; detractis abierunt. Eadem hyeme, Athenienses Delum etiã ex oraculò quodam lustrarunt. Nam & antè Pisistratus tyrannus eam quidem lustrauerat: sed non totam: at tantum insulæ spatium, quantum à templo prospici poterat. tunc verò tota hoc modo fuit expiata. Quæcunque in Delo defunctorum monumenta erant, omnia sustulerunt, & edixerunt nequis in posterum in insula moreretur, neque [*mulier*] in ea pareret: sed [*iam morituri*] in [*insulam*] Rheneam transportarentur. Rhenea autẽ tam paruo interuallo à Delo distat, vt Polycrates Samiorũ tyrannus, qui quondã ad aliquod tempus & classe polluit, & aliis insulis imperauit, Rheneam etiam

captam,

captam, Apollini Delio consecrauerit, ad Delum catena religatam. Tunc quoque primùm Athenienses post lustrationem, festa lustralia, ludosque Deliacos, qui quinto quoque anno celebrabantur, instituerunt, [*atq; celebrarunt.*] Fuit autem & priscis temporibus in Delo frequens Ionum, & accolarum in insulis circumiacentibus habitantium conuentus. nam cum vxoribus, & liberis ad spectacula conueniebant, vt nunc Iones ad ludos in Dianæ Ephesiæ honorē institutos [*confluere solent.*] Illic autem gymnicum, musicumq; certamen fiebat. Et ciuitates [*eo*] saltatorum choros mittebant. Quòd autem hæc ita se habuerint, Homerus in primis declarat, his versibus, qui sunt ex hymno Apollinis:

Tunc tibi magnopere in Delo mens gestit Apollo,
Cum natis quoties cum coniugibúsque frequentes
Iones in fluxa celebrant tua compita veste:
Cestibus & variis certamina sacra choreis
Oblectant, referúntque tuas modulamine laudes.

Quòd autem Musices etiam certamen [*ibi*] fieret, & [*musici proposito certamine illuc*] certaturi se conferrent, his quoque versibus indicat, qui sunt ex eodem Apollinis hymno. nam postquam Deliacum mulierum chorum celebrauit, suam laudationem his versibus finiuit, in quibus & sui ipsius mentionem fecit:

Verùm agedum, nobis adsis cum Phœbe Diana.
Vos etiam cunctæ me discedente valete:
Et memores estote mei posthac, homo siquis
Venerit huc alius peregrè, dicátque, Puellæ,
Quis vir in his versans vnquam lepidissimus ora
Pectora præcipuè demulsit vestra canendo?
Vos vno assensu sic respondete fauentes,
Vir qui luminibus captus Chion incolit altám.

His igitur argumentis Homerus manifestè probauit vel priscis temporibus ingentẽ conuentum, & celebritatem in Delo fieri cõsueuisse. Postea verò Athenienses, & insularum incolæ, cœtus quidem saltatorum cùm sacris [eò] mittebant. Sed certamina, & cætera pleraque, vt credibile est, aduersis casibus exoleuerunt, donec Athenienses certamen tunc instaurarunt, & equorum cursum addiderunt, quod antè non fuerat. Eadem hyeme, Ambraciotæ, quemadmodum Eurylocho promiserant, quum eius exercitum retinuerunt, expeditionem aduersus Argos Amphilochicum suscipiunt cum tribus millibus grauis armaturæ militum. & irruptione in agrum Argiuum facta, Olpas occupant, castellum in colle munitum, ad mare situm. quod Acarnanes quondam condiderant, eoq; munito, loco communi ad conuentum agendum, & ad ius dicendum vtebantur. ab Argiuorum autem vrbe, quæ est maritima, fere quinque, & viginti stadiis distat. Acarnanes verò, partim quidem, copiis coactis Argos suppetias ferebant, partim verò, castra posuerunt in eo Amphilochiæ loco, qui Fontes vocatur, obseruantes Peloponnesios, qui cum Eurylocho erant, ne clam ad Ambraciotas transirent. Mittunt præterea cùm ad Demosthenem, qui Athenienſium copias in Ætoliam [*antè*] duxerat, vt sibi dux esset. tum etiam ad viginti Atheniẽsium naues, quæ circa Peloponnesum erant, quibus præerat Aristoteles Timocratis, & Hieron Antimnesti filius. Ambraciotæ verò, qui apud Olpas erant, mittunt & ipsi nuntium in vrbem [*Ambraciam*,] rogantes vt populus frequentibus copiis auxilium sibi ferret: quia verebantur ne Eurylochus, & qui cum eo erant, Acarnaniam per transire non possent, atque [*ita*] sibi vel aliorum præsidio nudatis præ-

lium esset committendum, vel si domum redire voluissent, minimè tutum esset. Eurylochus igitur, ac Peloponnesij, qui cum eo erant, simul atq; Ambraciotas, qui apud Olpas erant, venire intellexerunt, castris è Proschio motis, ad opem ipsis ferendam confestim proficiscuntur. Et Acheloo transmisso, iter per Acarnaniam faciebant, quæ propter subsidium Argos missum, præsidiis erat nudata, ad dextram quidem habentes Stratiorum vrbem, & ipsorum præsidium; ad sinistram verò, reliquam Acarnaniam. Cùm autem Stratiorum agrum pertransissent, iuerunt per Phytiam, & rursus per extremos Medeonis fines, deinde per Limnæam. [*illinc*] ingressi sunt in Agræorum agrum, qui non Acarnaniæ iam: sed ipsis amicus erat. Et Thyamum montem nacti, qui est incultus, per eum transiuerunt, & in Argiuũ descenderunt cùm iam nox esset. cumque inter Argiuorum vrbem & Acarnanum præsidium, quod erat ad Fontes clàm transissent, cum Ambraciotis, qui apud Olpas erant, se coniunxerunt. Iunctis autem castris, simul atque illuxit, consistunt ante vrbem, quæ Metropolis appellatur, ibique castra fecerunt. Athenienses verò non multo pòst cùm viginti nauibus ad sinum Ambracicum aduenerunt opem Argiuis laturi. Et Demosthenes cum ducentis grauis armaturæ militibus Messeniis, & sexaginta sagittariis Athenienſibus. Atque naues quidem ad Olpas in colle sitas, à mari stationem habebant. Acarnanes verò, & Amphilochorum aliquot (nam eorum plerique ab Ambraciotis per vim distinebantur) cùm Argos iam conuenissent, ad prœlium cum aduersariis committendum se præparabant. Et Demosthenem totius socialis exercitus ducem cum suis prætoribus elegerunt. Ille verò copiis ad Ol-

pas adductis, castra prope eas posuit. Ingens autem terræ vorago vtraque castra dirimebat. Et per quinque dies quieuerunt: at sexto vtrique ad prœlium se instruxerunt. Sed enim Peloponnesiorum acies maior, & [*militum numero*] longè superior erat. Demosthenes igitur veritus ne [*ab illa*] circumueniretur, in insidiis in via quadam caua, & dumosa collocat tam ex graui, quàm ex leui armatura promiscuè ad quadringentos milites, vt ab ea parte, qua hostis numero superior erat, isti in ipso congressu surgentes ex insidiis eum à tergo aggrederentur. Vbi verò acies vtrinque fuit instructa, ad manus venerunt. Demosthenes autem cum Messeniis, & paucis Athenienſibus dextrum cornu tenebat: alterum verò, Acarnanes, vt cuique locus in acie obtigerat, & Amphilochorum iaculatores, qui aderant, obtinebant. Pelopõnesij verò, & Ambraciotæ promiscuè instructi erant, exceptis Mantinensibus. hi enim in læuo potius, nec eo extremo cornu conferti stabant. Sed Eurylochus, & qui cũ eo erant, è regione Messeniorum, & Demosthenis, extremum læuum cornu tenebant. Cùm autem manus inter se iam conferrent, & Peloponnesij [*suo sinistro*] cornu superiores essent, & dextrum aduersariorum circumuenirent, Acarnanes, qui in insidiis collocati fuerant, illos à tergo adoriuntur, factaque impressione in fugam vertunt, ita vt ne primum quidem ipsorum impetum sustinuerint; sed territi maiorem exercitus partem in fugã coniecerint. Postquàm enim cornu, cui præerat Eurylochus, quod erat firmissimum, [*ab hoste*] cædi viderunt, multo magis metuere cœperunt. Et Messenij, qui cum Demosthene ab ea parte in acie stabant, rem magna ex parte confecerunt. At Ambraciotæ, & qui in dextro cornu collocati erant, hostilem

stilem aciem sibi oppositam vicerunt, & ad Argos vsque sunt persequuti. Etenim omniũ, qui circum illa loca habitant, sunt pugnacissimi. Sed cùm se reciperent, cùm maiorem suarum copiarũ partem victam viderent, & cæteros Acarnanes sibi [*cedentibus*] instantes, ad Olpas ægrè confugerunt. Et multi eorum obierunt, dum [*in Olpas*] perturbatis ordinibus, & nulla rei militaris disciplina seruata irruerent, præter Mantineos. Isti enim totius exercitus maximè compositi se receperunt. pugnæque finis sub vesperum est factus. Postridie verò Menedæus, defuncto Eurylocho, & Macario, ipse imperium adeptus, & ob ingentem cladem acceptam dubitans, quonam modo aut obsidionem perferret, si maneret, quòd terra, marique nauium Atticarum præsidiis esset circunseptus, aut etiam euaderet, si eruptionem tentasset, Demosthenis, & Acarnanum ducibus sermonem infert de fœdere, & de discessu suo, & de recipiendis suis militibus in acie cæsis. Illi verò milites quidem cæsos reddiderunt, ipsique trophæum statuerunt, & suos fermè ad trecentos, qui in prælio ceciderant, susceperunt, [*& sepulturæ mandarunt.*] Abeundi verò facultatem non palàm omnibus facto fœdere dederunt: sed Demosthenes cum Acarnanibus prætoribus, suis collegis, clàm fœdere facto cum Mantinensibus, & Menedæo, & aliis Peloponnesiorum ducibus, & quicunque inter illos dignitate maximè præstabant, quamprimum abeundi potestatem ipsis fecit, eo consilio, vt Ambraciotas, turbamq; militum mercede conductorum, [*Peloponnesiorum præsidio*] nudaret, præcipuè verò, quòd Lacedæmonios, & Peloponnesios apud illius regionis Græcos in inuidiam rapere cuperet, quòd illos fœdè prodidissent, suæq; priuatæ poti-

us, quàm communi ſociorum ſaluti conſuluiſſent. Atque hi quidem ſuorum cadauera receperunt, & pro præſenti rerum copia feſtinabundi ea ſepelierunt. Et illi, quibus abeundi facultas clàm data fuerat, [*clam*] abire deliberabant. Demoſtheni autem, & Acarnanibus nuntiatur Ambraciotas, qui in vrbe [*Ambracia*] erant, primo illo nuntio, quem ex Olpis acceperant, excitos frequentibus copiis per Amphilochiam ad opem ſuis ferendam venire, quia cum illis, qui in Olpis erant, ſe coniungere volebant, rerum ante geſtarum prorſus ignari. Quamobrem quandam copiarum partem ad vias inſidiis obſidendas, & ad munitiſſima quæque loco præoccupanda confeſtim mittit. Simul autem cum reliquis copiis ad opem ſuis contra illos ferendam ſe præparabat. Interea verò Mantinenſes, & cæteri, quibus abeundi poteſtas pactis induciis data fuerat, per ſpecioſam olerum, & cremiorum colligendorum cauſam egreſſi, rari clàm abibant, & inter abeundum colligebant ea, quorum cauſa ſe exiſſe ſimulabant. Cùm autem ab Olpa iam longè progreſſi eſſent, tunc ſe ocius propiebant. Ambraciotæ verò, & alij, qui ſic [*ad olera, & cremia legenda, pactorum ignari*] frequentes conuenerant, cùm [*ſuos*] abire animaduertiſſent, ipſi quoque magna contentione, curſuq; concitato currere cœperunt, quòd [*eos*] aſſequi vellent. Acarnanes verò, [*clàm quibus Demoſthenes, ac ipſorum ducibus Mantinenſibus, aliisq; Peloponneſiis abeundi poteſtatem fide data fecerant,*] primùm quidem vel omnes pariter nullis induciis impetratis abire exiſtimarunt, & [*ideo*] Peloponneſios perſequebantur. quinetiam quidam, qui exiſtimabant ſe prodi, in quoſdam è ſuis ducibus, inſequi vetantes, ac dicentes illos data fide abire, tela iaculati ſunt. Deinde

tamen

tamen Mantinenſes quidem, & Peloponneſios dimittebant, Ambraciotas verò cædebant. Eratq; magna contentio, & ignoratio, quis Ambraciota, quisve Peloponneſius eſſet. & ex illis ad ducentos interfecerunt. Cæteri verò in Agraidem, quæ finitima erat, diffugerunt. Et Salynthius Agræorum Rex, quippe quòd eorum amicus eſſet, eos excepit. Ambraciotæ verò, qui ex vrbe [*Ambracia ad opem ſuis ferendam*] venibant, ad Idomenen perueniunt. Idomene verò ſunt duo excelſi tumuli. Horum alterum, qui maior eſt, noctis aduentu, milites ex caſtris à Demoſthene præmiſſi, clam hoſtibus iter facientes celeriter præoccuparunt. alterum verò, qui minor eſt, Ambraciotæ priores aſcenderant, & [*in eo*] pernoctarant. Demoſthenes verò à cœna, primoque crepuſculo, ſtatim cum reliquo exercitu viam ingreditur, & dimidium quidem eius ſecum habens ad illam tumuli partem ſubſtitit, quâ illis aditus patebat. alterum verò dimidium per Amphilochicos montes iuit. Et ſub auroræ ortum inuadit Ambraciotas in cubilibus adhuc iacentes, rerumque geſtarum penitus ignaros, imò verò potius opinantes, [*eos qui veniebant,*] ex ſuis eſſe. Demoſthenes enim Meſſenios de induſtria primos, & ante cæteros omnes in acie collocarat, & imperauerat, vt [*Ambraciotas*] Doricè alloquerẽtur, & illis, qui pro caſtris erant in ſtatione, fidem facerent, [*omnemq; periculi ſuſpicionem, metumq; præriperent,*] præcipuè verò, quòd eorum facies cerni non poſſet. adhuc enim nox erat. cùm igitur [*Demoſthenes*] illorum copias inuaſiſſet, [*eius milites*] eas fugarunt, & magnam illorum partem illic interfecerunt. Reliqui verò in fugam verſi, curſu montes petere cœperunt. Sed cùm itinera iam præoccupata eſſent, ſimul etiam cùm Amphi-

lochi quidem suæ regionis notitiam haberent, & leuiter armati essent aduersus homines armis graues: hi verò locorum essent imperiti, nec scirent quò se verterent, incidentes aut in loca confragosa, aut in vias insidiis iam inceſſas, profligabantur. Et cùm omne fugæ genus tentassent, nonnulli ad mare etiam non longè distans se conuerterunt. Et cùm vidissent naues Atticas, quæ terram legebant, interea dum ipsi fortè fugerent, [*ad eas*] annatarunt, existimantes in præsenti metu sibi satius esse iam ab illis, qui in nauibus erant, quàm à barbaris, & Amphilochis infensissimis hostibus trucidari. Ambraciotæ igitur hoc modo profligati, è multis pauci in vrbem [*Ambraciam*] euaserunt. Acarnanes verò spoliatis cadaueribus, & trophæis erectis, Argos redierunt. Et ad eos postero die venit caduceator missus ab Ambraciotis, qui ex Olpa ad Agræos confugerant, petiturus vt sibi liceret suscipere, [*& sepelire*] cadauera suorum, quos post primum prœlium [*Acarnanes*] interfecerant, quum vnâ cum Mantinensibus, & cæteris, quibus abeundi potestas pactis induciis facta fuerat, ipsi nulla fide data egressi fuerant. Caduceator autem intuitus arma Ambraciotarum, qui ex vrbe prodierant, multitudinem admirabatur. cladis enim acceptæ ignarus erat: sed ea sociorum suorum esse arbitrabatur. Tunc verò quidam eum interrogat, quidnam admiraretur, & quod ex ipsis putaret periisse. Nam qui eum interrogabat, existimabat istum caduceatorem ab illis missum, qui apud Idomenen erant. Ille verò respondit ad ducentos. Ille verò, qui eum interrogabat, eius orationem excipiens subiecit, atqui non [*ducentorum*] hæc arma videntur esse: sed plusquam mille militum interfectorum. Et ille rursus: non ergo sunt

eorum

eorum, qui nobiscum in acie steterunt. Cui idem respondit [*imò verò hæc arma sunt vestrorum militum,*] siquidem vos apud Idumenen heri pugnastis. Atqui nos (inquit ille) heri cum nemine pugnauimus: at nudius tertius dum nos recuperemus. Et hic subiecit, nos tamen cum istis, qui ex Ambraciotarum vrbe ad opem suis ferendam venerunt, heri pugnauimus. Cùm autem caduceator hoc audisset, & auxilium vrbanum [*ab hoste*] profligatum cognouisset, edito gemitu, & ob præsentium malorum magnitudinem attonitus, confestim re infecta discessit, nec vlterius suorum cadauera flagitauit. Hæc enim clades, quam vna Græca ciuitas accepit intra tot dies, [*quot dixi*] exstitit maxima omnium, quæ in hoc bello contigerunt. neque cæsorum numerum scripsi, quia multitudo, quæ dicitur interiisse, fidem superat, pro magnitudine ciuitatis. Ambraciam autem (sat scio) Acarnanes, & Amphilochi, si Athenienſibus, ac Demosthenis morem gerentes expugnare voluissent, primo statim clamore expugnassent. Iam verò timuerunt ne Athenienses, si eam tenuissent, accolæ sibi molestiores essent. Postea verò tertia spoliorum parte Athenienſibus attributa, reliqua inter ciuitates diuiserunt. Atque Athenienſium quidem spolia, in ipso nauigationis cursu fuerunt intercepta. nam illæ trecentę solidæ armaturæ, quæ nunc in templis Atticis affixæ visuntur, Demosthenis priuatim honoris causa datæ fuerunt, quas ille secum in nauibus absportauit. Simul etiam post cladem in Ætolia acceptam, ob has res gestas reditus in patriam ei tutior fuit, Athenienses quoque, qui in viginti nauibus erant, Naupactum redierunt. Acarnanes verò, & Amphilochi post Athenienſium, & Demosthenis discessum, Ambraciotis, & Pe-

loponnesiis, qui ad Salynthium, & Agræos confugerant, fide publica interposita ex Oeniàdis abeundi potestatem dederunt: qui etiam ad Salynthium, & Agræos transiuerunt. Postea verò Acarnanes, & Amphilochi fœdus, & societatem ad centum annos cum Ambraciotis coiuerunt, his conditionibus, vt neque Ambraciotæ cum Acarnanibus bellum Peloponnesiis inferrent, neque cum Ambraciotis Acarnanes Athenienſibus: sed mutuo sibi forent auxilio, vtque Ambraciotæ [*Acarnanibus*] redderent quicquid aut oppidorum, aut agrorum Amphilochis finitimorum tenerent: neque subsidium mitterent Anactorium, quòd Acarnanibus erat infestum. Cùm autem hoc modo inter eos conuenisset, bellum deposuerunt. Post hæc Corinthij præsidium ex suis ad trecentos grauis armaturæ milites, cum Xenoclide Euthyclis [*filio*,] eorum duce, Ambraciam miserunt: qui itinere per Epirum facto [*eò*] ægrè peruenerunt. Res igitur ad Ambraciam gestæ hunc exitum habuerunt. Eadem hyemè, Athenienses, qui in Sicilia erant, cum Sicilienſibus qui ex locis mediterraneis in extremos agri Himeræi fines irruptionẽ fecerant, exscensum ex nauibus in agrũ Himeræũ fecerunt, & in Æoli insulas nauigarunt. cũ autẽ Rhegium se recepissent, Pythodorum Isolochi [*filium*,] Athenienſium ducem, Lachetis in classis præfectura successorem offendunt. Nam Sicilienses socij ad Athenienses nauibus profecti, ipsis persuaserunt, vt maiore nauium numero opem sibi ferrent. Syracusani enim eorum agro potiebantur. cùm autem paucis [*illorum*] nauibus maris vsu prohiberentur, classem cogebant, & se ad vim arcendam parabant, quòd hanc iniuriam ferre nollent. Athenienses igitur sexaginta naues instruxe-

runt,

runt, quas ad ipsos mittere statuerunt, tum quòd bellum illic celeriùs confectum iri sperarent, tum etiam quòd suos in rebus naualibus exercere cuperent. Vnum igitur è ducibus Pythodorum cum paucis nauibus [eò] miserunt. Sophoclem verò Sostratidæ, & Eurymedontem Theuclis [*filium*] cum maiore nauium numero [*postea*] mittere decreuerant. Pythodorus verò, accepta iam præfectura classis, cui Laches antè præerat, sub extremam hyemem profectus est ad Locrorum castellum, quod Laches antè ceperat, prœlioq; victus a Locris, discessit. Per idem ver ignis riuus ex Ætna effluxit, quemadmodum & aliâs, & vastauit partem agri Catanæorum, qui sub Ætna monte incolunt, qui omnium Siciliæ montium est maximus. hæc autem flammarum eructatio quinquagesimo post primum ignis eructationem anno contigisse fertur. Ex quo autem Sicilia à Græcis habitatur, ad summum ter exstitisse traditur. Atque hæc quidem hac hyeme gesta sunt. huiusq; belli, quod Thucydides conscripsit, sextus annus excessit.

FINIS LIB. III.

THVCYDIDIS, OLORI F. DE BELLO PELOPONNESIACO,

Liber quartus.

SEQVENTE vere, cùm segetes iam spicas emittere inciperent, decem Syracusanorum naues, & totidem Locrorum profectæ, Messanam, quę est in Sicilia, occuparunt, ab ipsis [*oppidanis*] accitæ. Et Messana ab Athenienſibus defecit. Hoc autem potissimum fecerunt, Syracusani quidem, quòd viderent id oppidum ad inuadendam Siciliam opportunum esse, & Athenienses metuerent, ne illinc [*vt ex belli sede*] excurrentes, maiori apparatu se inuaderent. Locri verò, propter odium, quo Rheginos prosequebantur, quia eos vtrinque, [*terra mariq;*] bello premere volebant. simul autem Locri cum frequentibus copiis in Rheginorum agrum irruptionem fecerunt, ne [*Regini*] Messeniis auxilium ferrent. simul etiam inducti ab exulibus Rheginis, qui apud ipsos erant. Rhegium enim iampridem seditionibus agitabatur, nec in præsentia Locros arcere poterat. quò etiam magis [*ipsum Locri*] premebant. Locri autem vastato [*Reginorum*] agro, cum peditatu quidem, domum redierunt: naues verò, Messanæ præsidio remanserunt. & aliæ, quæ instruebantur, eò venturæ, ibique castra statiua habituræ, & bellum illinc gesturæ erant. sub eadem veris tempora antequàm frumenta

menta essent matura, Peloponnesij, eorumque socij irruptionem in Atticam fecerunt. Illis autem præerat Agis Archidami [*filius,*] Lacedæmoniorum Rex. Et statiua [*ibi*] habentes agrum populabantur. Athenienses verò illas quadraginta naues, quas instruxerant, in Siciliam miserunt, & reliquos duces, Eurymedontem, & Sophoclem. Nam Pythodorus, qui cum illis tertius erat dux, in Siciliam iam antè profectus fuerat. His autem imperarunt, vt obiter curarent res Corcyræorum, qui in vrbe erant, qui latrociniis ab exulibus in mõte degentibus infestabantur. Et Peloponnesiorum sexaginta naues illuc nauigauerant, vt opẽ illis ferrent, qui in monte erant: simul etiam quòd propter ingentem famẽ, qua [*Corcyræorum*] ciuitas laborabat, res illas in suã potestatem facilè redactũ iri sperarent. Mandarunt etiã Demosthenis, qui, post suum ex Acarnania reditum, vitam priuatam degebat, hoc ipsum flagitanti, vt his nauibus, si vellet, circa Peloponnesum veheretur. Cùm autem inter nauigandum è regione agri Laconici fuissent, & accepissent Peloponnesiorum naues ad Corcyram iam appulisse, Eurymedon quidem, & Sophocles ad Corcyram tendere properabant. Demosthenes verò eos hortabatur vt primùm Pylum appellerent, deinde peractis rebus, quæ peragendæ essent, nauigationis cursum conficerent. Illis verò contradicentibus, forte fortuna tempestas exorta classem Pylum detulit. Demosthenes autem postulauit vt locus ille confestim muniretur. Hac enim de causa se cum illis nauigasse [*dicebat.*] Demonstrabat autem magnam esse lignorum, lapidumq; copiam, & locum natura munitum esse, & cùm ipsum, tum etiam magnum illius agri tractum circumcirca desertum esse. Pylus enim à Sparta distat stadia circi-

ter quadringenta, & sita est in eo agro, qui olim erat Messenius, quem Lacedæmonij Coryphasion vocant. Illi verò dicebant multa esse Peloponnesi promontoria deserta, si in iis occupandis ciuitatem exhaurire velit. Cæterùm huic locus iste longè commodior, quàm vllus alius, esse videbatur, tum quòd ei portus adiaceret, tum etiam quòd Messenij, qui olim cognatione cum illius loci incolis coniuncti fuerant, & eadem, qua Lacedæmonij, lingua vtebantur, illinc prodeuntes plurima damna [*Lacedæmonis*] daturi essent, simul etiam illius loci fideles custodes futuri essent. Sed cùm neque ducibus, neque militibus rem persuadere posset, quam etiam postea cum ipsis præfectis communicarat, propter nauigandi difficultatem quieuit, donec ipsos milites otium agentes, ex contentione inter eos orta, loci muniendi cupiditas inuasit. Itaque manus ad opus faciendum admouerunt, & cum nulla ferramenta ad lapides cædendos haberent: sed eos cum delectu ferrent, coagmentabant vbi quisque aptè quadrare poterat. & lutum, sicubi opus illo esset, ob vasorum penuriam, humeris portabant, ita procumbentes, vt commodissimè in dorso permanere posset, quin etiam manus à tergo conferebant, ne decideret. Omniq; ratione properabant Lacedæmonios anteuertere, & illas munitionum partes, quæ oppugnationi maximè opportunæ erant, prius absoluere, quàm illi ad opem loco ferendam venirent. nam maior illius loci pars suopte situ munita erat, muroq; non indigebat. Lacedæmonij verò tunc fortè diem festum agebant, & licet interea hoc audissent, tamen contemnebant, quòd, simul ac exercitum eduxissent, aut hostes suum aduentum non expectatiros, aut oppidum à se per vim facilè

receptum

receptum iri putarent. nonnihil etiam [*ipsorum*] exercitus, qui in agro Attico adhuc erat, ipsos retardauit. Athenienses verò communito intra sex dies loco, qui continentem versus erat, & vbi maximè oportebat, Demosthenem quidem cum quinque nauibus ibi reliquerunt, vt ei præsidio esset: at cum cæteris, quorum numerus erat maior, cursum in Corcyram, & Siciliam vrgebant. At Peloponnesij, qui in Attica erant, accepto nuntio de Pylo capta, domum celeriter se receperunt. Lacedæmonij enim, & Agis ipsorum Rex, id quod Pylo contigerat, ad se potissimùm pertinere, [*suamq; rem agi*] ducebant. simul etiam quia præmaturè irruptionem [*in Atticam*] fecerant, & frumento adhuc viridi, [*ac immaturo,*] multis commeatus deerat. Præterea frigus acrius, quàm illud anni tempus ferret, exercitum pressit. Quare multis de causis contigit, vt illi celeriùs se receperint, & in hac expeditione minimum commorati fuerint. nam quindecim dies in Attica manserunt. Per idem tempus Simonides Athenienſium dux, coacta paucorum Athenienſium, qui in præsidiis erant, & magna sociorum illic habitantium manu, Eionem, quæ est in Thracia, Mendæorum coloniam: sed [*Athenienſium*] hostē per proditionem occupauit. cùm autem Chalcidenses, & Bottiæi confestim opem [*oppido*] tulissent, expulsus est, multosque milites amisit. Cùm autem Peloponnesij ex Attica domum rediissent, Spartani quidem, cùm ipsi, tum finitimorum populorum proximi quique ad opem Pylo celeriter ferendam iuerūt. cæterorum verò Lacedæmoniorum aduersus hostem profectio tardior extitit, quòd ex altera expeditione modò reuersi essent. sed nuntiis per [*totam*] Peloponnesum circummissis impera-

runt, vt [*omnes*] ad opem Pylo ferendam primo quoque tempore concurrerent. ad suas etiam sexaginta naues, quæ apud Corcyram erant, nuntium miserunt, quæ per Leucadium Isthmum transportatæ, cùm Atticam classem, quæ ad Zacynthum erat, latuissent, ad Pylum peruenerunt. copiæ verò pedestres & ipsæ iam præstò erant. Demosthenes verò, cùm Peloponnesij nauigationis cursum eò adhuc tenerent, duas naues clam, ocius emisit, quæ nuntiarent Eurymedonti, & cæteris Atheniensibus, qui cum classe ad Zacynthum erant, vt celeriter venirent, quòd locus in discrimine versaretur. Et illæ quidem [*duæ*] naues, prout Demosthenes mandarat, magnam in nauigando celeritatem adhibuerunt. Lacedæmonij verò se ad illius loci munitionem terra, mariq́ue oppugnandam parabant, quòd opus properanter factum, & in quo pauci propugnatores essent, à se facilè expugnatum iri sperarent. Cæterùm, cùm Atticarum nauium è Zacyntho auxilia [*ad Demosthenem breui ventura*] expectarent, in animo habebant, nisi fortè prius [*munitionem*] expugnassent, ipsas etiam portus fauces obstruere, ne Athenienſibus ad eum appellere liceret. Insula enim nomine Sphacteria ante portum porrecta, & propè adiacens, efficit & portum tutum, & introitus angustos. vt hac quidem, quâ ad Athenienſium munitionem, & Pylum vergit, bina nauigia: illac verò, quâ vergit ad reliquam continentem, octona, nouenaq́ue [*frontibus æquatis simul*] transire possint. totaq́ue syluestris, & propter solitudinem inuia, & quindecim fermè stadiorum magnitudine erat. Portus igitur ostia nauibus cõsertim collocatis, ita vt proras [*altum versus, & hostibus*] aduersas haberent, obstruere statuerant. Quinetiam in hanc ipsam insulam,

timentes

timentes ne [*hostes*] ex ea [*prodeuntes*] bellum sibi facerent, grauis armaturæ milites transportarunt, & alios in continente collocarunt. Ita enim [*existimabant*] & ipsam insulam Atheniensibus hostem fore, & continentem, quæ nullum haberet locum, in quem Athenienses è nauibus exscensum facerent. Nam illam ipsius Pyli oram, quæ extra portus ostium erat, & quæ altum spectabat, quòd esset importuosa, [*sciebant*] non habituram [*vllum locum, in quo Athenienses consisterent, &*] vnde proficiscerentur ad suos adiuuandos: se verò, & sine prœlio nauali, & sine periculo locum expugnaturos [*sperabant,*] vt erat verisimile. tum quòd nullus in eo commeatus esset, tum etiam quòd ab exiguo apparatu, [*paucisq; militibus*] occupatus fuisset. Cùm autem hanc sententiam comprobassent, milites in insulam transportarunt, ex omnibus cohortibus sortiti, aliíque prius, subinde, per vices [*eò*] traiecerunt. Postremi verò, qui etiam illic relicti fuerunt, erant quadringenti, & viginti, præter Helotas, qui circum ipsos erant. Illis autem præerat Epitadas Molobri [*filius.*] Demosthenes verò, cernens Lacedæmonios cum naualibus, simul & pedestribus copiis [*Pylum mox*] aggressuros, ipse quoque se [*ad vim propulsandam*] præparabat, & [*quinque*] naues, quæ [*ex totius classis numero*] ipsi relictæ fuerant, subduxit, easque transuersas pro vallo ante oppidum collocauit, & earum nautas scutis infirmis, & plerisque vimineis armauit. nec enim in loco deserto arma sibi comparare poterant. Quinetiam hæc ipsa ceperant ex piratica triremi, & actuario nauigio Messeniorum, qui fortè [*eò*] appulerant. Et inter istos Messenios fuerunt ad quadraginta grauis armaturæ milites, quibus Demosthenes vnâ cum aliis vsus est. Is igitur,

cùm multos & inermium, & armatorum super maximè munitas, & firmas oppidi partes, continentem versus collocasset, præcepit vt [*hostium*] peditatum propulsarent, si [*partes illas*] aggrederetur. Ipse verò, cùm ex omnibus sexaginta grauis armaturæ milites, & aliquot sagittarios delegisset, cum istis extra murum ad mare profectus est, quâ potissimùm illos ex nauibus in terram exscensum facere conaturos existimabat. Nam ipsos ad loca quidem aspera, & saxosa, & ad mare conuersa [*venturos opinabatur:*] sed tamen quia ab hac parte suæ munitionis murus infirmissimus erat, ipsos [*ideo*] putabat allectum iri, magnoque studio daturos operam, [*vt in hanc partem exscenderent.*] Neque ipsi [*Athenienses*] sperabant fore vnquam, vt classe [*Lacedemoniis*] inferiores essent, & [*propterea*] eam muri partem nulla firma munitione muniuerant, &, si illi per vim in terram exscendere conarentur, oppidum facilè capi posse [*credebant.*] In hac igitur parte, quæ ipsum mare spectabat, milites collocauit, atque disposuit, vt [*hostes*] arceret, si posset. eosque his verbis [*ad rem fortiter gerendam*] est adhortatus.

DEMOSTHENIS CONCIO.

Viri, qui mihi eiusdem periculi nunc estis socij nemo vestrum, reputans omnes difficultates, quæ nos circunstant, prudens videri velit, potius quàm has nullo modo considerans, bonæque spei plenus aduersarios inuadere, propter hæc incolumis euasurus. nam quæcunque res (vt istæ) ad necessitatem sunt redactæ, minimum prudentiæ desiderant, at indigent animi præsentia ad periculum celerrimè subeundum. Quanquam ego pleraque nobiscum facere video, si & impetum hostium sustinere, neque

que potiora commoda, quæ nobis ad rem feliciter gerendam adsunt, illorum multitudine deterriti, fœdè prodere velimus. quòd enim locus accessu sit difficilis, hoc pro nobis facere duco: quippe qui nobis quidem illorum impetum sustinentibus socius erit, [*& proderit*:] sed si recedamus, quamuis alioqui sit accessu difficilis, tamen accessu facilis erit, quia nullus [*hostem*] prohibebit. Et, [*si recedamus*,] hostem acrius nos vrgentem habebimus, quia non facilè se recipere poterit, si nos etiam ipsum vrgeamus. Dum enim [*hostes*] sunt in nauibus, facilimè propulsari possunt: sed si in terram exscenderint, tunc verò nobiscũ æqua conditione pugnabunt. Et ipsorum multitudo non admodum est extimescenda: quamuis enim sit ingens, tamen propter difficultatem loci, quò appellere conabitur, exigua manu pugnabit. Quamuis enim [*hostiũ*] exercitus [*nostro*] sit maior, tamen non est in terra, perinde atque [*noster*:] sed ex nauibus [*pugnabit*,] quibus multæ [*rerum gerendarum*] opportunitates in mari contingat est necesse. Quare difficultates istorum nostræ paucitati pares esse duco. Præterea è dignitate vestra esse duco, vos, qui Athenienses estis, & qui experientia nauticum in alios exscensum nouistis (siquis hostium impetum fortiter sustineat, nec graui fluctuum illisorum strepitu, & minaci nauium incurrentium impetu territus recedat, [*hunc*] nunquam per vim summoueri posse) cùm vos ipsos nunc manere, & arcentes hostem ad ipsum littoris salebrosi dorsum, & nos ipsos, & locum conseruare. Cùm autem Demosthenes his tantùm Athenienses [*ad rem strenuè gerendam*] adhortatus fuisset, illi maiorem fiduciam animo conceperunt, & cùm ad ipsum mare descendissent, ibi se ad hostes propulsandum acie instructa pararunt.

Lacedæmonij verò motis castris, & terrestri exercitu, simul & quadraginta & tribus nauibus munitiones [*Athenienſium*] aggressi sunt. Illorum autem classis præfectus erat Thrasymelidas Cratesiclis [*filius*] Spartanus. Easque ab ea parte inuasit, qua Demosthenes [*illos venturos*] sperabat. Athenienses verò & ipsi vtrinque à terra, & à mari hostem propulsabant. Illi verò classem partiti, cum exiguo nauium numero, quòd cum maiore ad littus appellere non possent, & [*cæteras naues interea*] quiescere iubentes, per vices impetum [*in hostes*] faciebant, omnique animi contentione, & adhortatione vtentes, si quo modo reiectis [*hostibus*] munitionem capere possent. Brasidas autem omnium maximè conspicuus extitit. cùm enim esset vnus è Trierarchis, & videret propter loci, & accessus difficultatem Trierarchos, & gubernatores, si quàm etiam ad partem accedi posse videbatur, formidantes, & cauentes ne naues confringerent, vociferabatur, dicens non decere ipsos, dum lignis parcunt munitionem in [*suo*] agro ab hostibus extructam pati. quinimo iubebat ipsos ex nauibus in littus per vim exscendere, nauesq; confringere, & socios [*hortabatur*,] ne pro magnis beneficiis, [*quæ acceperant*,] suas naues in præsentia Lacedæmoniis largiri dubitarent. Sed nauibus [*in littus*] impactis, & quauis ratione exscensu ex illis in terram facto & viros, & locum in suam potestatem redigerent. Atque ipse quidem his verbis alios [*ad hoc faciendum*] instigabat, & cum suum gubernatorem nauem [*in littus*] impingere coëgisset, ad nauis puppem perrexit. & descendere conatus, ab Atheniensibus est reiectus. multisque vulneribus sauciatus, animi deliquium passus est, eoq; collapso in illud spatium, quod est inter ipsos remiges, & proram,

clypeus

clypeus eius in mare decidit. cùm autem in terram delatus fuisset, Athenienses eum susceperunt, & postea in trophæo sunt vsi, quod propter victoriam ex hac [*hostium*] oppugnatione partam erexerunt. Cæteri verò [*Lacedæmonij*] magna quidem animi alacritate [*in littus ex nauibus*] exscendere conabantur: sed non poterant, cùm propter locorũ, [*& accessus*] difficultatem, tum etiam propter Athenienſium præsentiã, qui hostium impressionẽ sustinebant, neq; loco cedebant. Tunc autem tanta fortunæ commutatio facta est, vt Athenienses quidem, ex terra, eaque Laconica, Lacedæmonios nauibus infestis contra se venientes, [*& ad littus appellere studentes,*] propulsarent; Lacedæmonij verò, ex nauibus, & in suum agrum, tunc hostilem, contra Athenienses descendere conarentur. Ingens enim gloriæ accessio eo tempore facta est, his quidem, quòd maximè mediterranei, & pedestribus prœliis præstantissimi visi fuissent; his verò, quòd maritimi esse rerumque nauticarum peritia longè præstare visi fuissent. Hoc igitur die, & sequentis parte, cùm [*Lacedæmonij*] aliquoties hostis munitionem adorti fuissent, [*nec expugnare potuissent,*] eius oppugnandæ finem fecerunt. Tertio die naues aliquot Asinam dimiserunt ad comparandam materiam ad machinas faciendas, quòd eam muri partem, quæ portum spectabat, & quæ alta quidem erat: sed tamen præcipuè locum exscensioni in terram faciendæ opportunum habebat, machinis à se captum iri sperarent. Interea verò sexaginta Athenienſium naues ex Zacyntho aduenerunt. nam accesserant illis auxilio aliquot præsidiariæ, quæ Naupacti erant, & quatuor Chiæ. Sed cùm [*Athenienses*] vidissent & ipsam continentem, & insulam militibus armatis refertam, &

naues, quæ in portu erant, ambigentes quonam appellerent, tunc quidem ad Proten insulam, quæ non multũ distabat, & deserta erat, contenderunt, ibiq́ue castris positis pernoctarunt. Postero die vt ad nauale prœlium instructi, in altum vela fecerunt, [*eo consilio, vt cum hostibus pugnarent,*] si contra se in apertũ mare venire voluissent. Sin minus, vt ipsi [*in portum*] ingrederentur. Illi verò nec obuiã ipsis in altum processerunt, neque, quemadmodum constituerant, portus ostia obstruxerunt. Sed in terra se continentes, naues nautis, remigibus, cæterisq́ue rebus necessariis explebant, seque ad nauale prœlium in portu non paruo committendum parabant, siquis ingredi voluisset. Athenienses verò hac re cognita ab vtroque portus ostio impressionem in ipsos fecerunt & inuecti in complures ipsorum naues à terra iam remotas, & aduersis proris venientes, in fugam verterunt, & insequuti, quòd breue spatium inter eos esset, multas quidem fregerunt, quinque verò ceperunt, & harum vnam cum ipsis viris. In cæteras verò, quæ ad terram confugerãt, impressionem fecerunt. alię verò, dum adhuc instruerentur, antequàm in altum proueherentur, [*ab Athenienſibus*] lacerabantur. Nonnullas etiam, ex quibus homines aufugerant, [*ſuis nauibus*] alligarunt, & vacuas traxerunt. Quæ conspicientes Lacedæmonij, & cladẽ istam ægerrimè ferentes, quòd ipsorum ciues [*ab hoſtibus*] in insula interciperentur, ad opem illis ferendam veniebant, & armati in mare ingredientes, suas naues manibus apprehendebant, & ad se retrahebant. Et in eo vnusquisque existimabat res impeditas fuisse, quibus gerendis & ipse non interfuisset, & ingens tumultus, & ab vtrorumque moribus diuersus circa naues extitit. Nam & Lacedæmonij

monij præ ſtudio, & formidine nihil aliud (vt ita loquar) quàm nauale prœlium è terra faciebant. Et Athenienſes, qui victores erant, & qui præſenti [*victoriæ*] fortuna quàm longiſſimè progredi volebant, ex nauibus pedeſtrem pugnam committebant. cùm autem multo labore ſe ipſos mutuò fatigaſſent, & multa vulnera vltro, citroque intuliſſent, & accepiſſent, dirempti ſunt. Et Lacedæmonij naues inanes, illis exceptis, quæ initiò captæ fuerant ſeruarunt. cùm autem vtrique in ſua caſtra ſe recepiſſent, illi quidem trophæum erexerunt, & cæſorum cadauera reſtituerunt, nauiumque fractarum tabulis ſunt potiti: inſulamque protinus claſſe circumire cœperunt, eamque cuſtodiebant, quòd viri in ea intercepti eſſent. Peloponneſij verò, qui in continente erant, & qui ex omnibus [*mediterraneis Peloponneſij regionibus*] ad opem [*ſuis*] ferendam iam conuenerant caſtris ad Pylum poſitis ſe in ſuo loco continebant. cùm autem rerum ad Pylum geſtarum nuntius Spartam allatus fuiſſet, placuit ipſis [*Lacedæmoniis,*] quippe quòd Reſpub. magnam cladem accepiſſet, vt ſummi Magiſtratus in caſtra ſe conferrent, & rebus inſpectis, ex tempore conſtituerent quicquid agendum videretur. Illis verò, cùm animaduertiſſent nulla ratione ſuis ſuccurri poſſe, nec in diſcrimen illos adducere vellent, ne vel fame premerentur, vel [*hoſtium*] multitudine opprimerentur, vel in eorum poteſtatem redigerentur, placuit, inducis factis cum Athenienſium ducibus (ſi vellent) de rebus ad Pylum ſpectantibus, legatos Athenas de compoſitione acturos mittere, & operam dare, vt ſuos ciues primo quoque tempore reciperent. Cùm autem [*Athenienſium*] duces conditione [*ab illis oblatam*] accepiſſent, has inducias fecerunt, vt La-

cedæmonij quidem naues, in quibus pugnauerant, omnesque, quotquot in ora Laconica longæ erant, Pylum delatas Athenienſibus traderent, nec arma munitionibus inferrent, neque à terra, neq; à mari. Athenienſes verò permitterent Lacedæmoniis, qui in continente erant, vt ſuis ciuibus in inſula interceptis afferrent frumentum præſcriptum: ac molitum, binas videlicet farinæ chænicas Atticas, totidem vini cotylas, & carnis fruſtũ, viritim. ſeruis verò, dimidium horum. vtque hæc ipſa [*in inſulam*] Athenienſibus inſpectantibus mitterent, néve nauigium vllum furtim illuc ingrederetur; & nihilominus Athenienſes inſulam cuſtodirent, ita tamen vt in eam non deſcenderent, nec Peloponneſiorum copiis vel terra, vel mari arma inferrent. quicquid autem horum vel tantillum alterutri tranſgrederentur, tunc induciæ ruptæ cenſerentur. hæ autem ratæ eſſent donec Lacedæmoniorum legati rediſſent. Athenienſes autem eos [*Athenas*] portarent, & [*inde*] reportarent. Illis verò reuerſis hæ iuduciæ irritæ eſſent, vtq; Athenienſes [*Lacedemonijs*] naues eiuſmodi reſtituerent, cuiuſmodi [*ab ipſis*] accepiſſent. His igitur conditionibus induciæ factæ, nauesque circiter ſexaginta traditæ, legatique miſſi fuerunt. Hi autem, cùm Athenas peruenissent, hæc verba fecerunt.

LACEDÆMONIORVM LEGATORVM CONCIO.

Lacedæmonij nos huc miſerunt, Athenienſes, ad tranſigendum de viris illis, qui ſunt in inſula, & ad perſuadendum quicquid & vobis vtile eſt futurum, & nobis idem in hoc calamitoſo caſu, vt in præſenti rerum ſtatu, decus maximè eſt allaturum. Neq; verò longiorem orationem præter [*noſtram*] conſue-

consuetudinem habebimus : sed quia patrium nobis est institutum, vbi pauca verba sufficiunt, non vti multis, rursus verò pluribus vti, quoties tempus postulat, vt verbis doceamus aliquid eorum, quæ operæ pretium est facere. Hæc autem non hostili animo accipite, neque quasi rerum ignaros vos doceri: sed quasi gnaros admoneri, vt rectè consultetis, existimate. Vobis enim præsentem prosperitatem præclarè administrare licet, cùm penes vos habeatis [*ea loca*;] quæ [*iam*] tenetis, & honorem, & gloriam præterea sitis consequuturi. nec admittere quod accidere solet hominibus, qui præter consuetudinem aliquid boni sunt adepti. semper enim spe elati maiora appetunt, quòd & in præsentia præter opinionem res ipsis feliciter cesserit. At quibus crebræ alternantis fortunæ vicissitudines contigerunt, eos secundis rerum successibus minimè confidere æquum est. Id, quod præcipuè & vestræ ciuitati, propter experientiam, & nostræ meritò adesse debet. Hoc autem cognoscatis, nostros casus iam intuentes. Quamuis enim simus summæ apud Græcos dignitatis, tamẽ ad vos venimus, nos, qui prius (vt existimamus) plus potestatis, [*ac iuris*] habebamus [*aliis*] concedendi ea, quorum causa nunc [*huc*] profecti vos rogamus. neque tamen, vel quòd defuerit nobis potentia, vel quòd ob eius incrementum insolentes facti simus, hæc nobis acciderunt: sed cùm pristinam potentiam obtineremus, opinione tamen decepti fuimus, qua in re omnibus idem pariter contingere potest. Quare non oportet vos nunc præsentibus ciuitatis vestræ viribus, & aliarum rerum accessione fretos, opinari fortunã etiam [*eandem*] vobiscum perpetuò futuram. Illi autem sunt viri sapientes, qui tutò res secundas in ambiguo po-

nunt, & aduersas iidem sapientius, [*ac moderatius*] ferre possunt, & qui existimant bellum non sequi eam partem quam belli partem quis tractare velit: sed eam, ad quam ipsa fortuna eum ducere voluerit. Et huiusmodi homines minimùm labantur, & de summo secundæ fortunæ gradu deturbentur, quòd ipsius [*belli*] successibus freti non efferantur. Quod si nunc, Athenienses, erga nos feceritis, præclare vobiscum agetur. Et [*cauebitis*] ne fortè posthac, si vos à nobis non exorati cladem aliquam acceperitis, (id, quod, vt alia multa, contingere potest) vel istos rerum progressus, [*ac præsentem felicitatem*] fortunæ fauore consequuti esse existimemini: cùm liceat vobis non periculosam, [*nec dubiam: at certam*] potentiæ, atque prudentiæ opinionem posteris relinquere. Lacedæmonij enim vos ad fœdera, & ad bellum finiendũ prouocant, offerentes pacem, societatẽ, aliamq; magnã amicitiam & necessitudinem mutuò futuram, & [*pro his*] reposcentes viros, qui sunt in insula, & vtrisque satius fore ducentes belli fortunam non periclitari, siue illi per vim effugiant, oblata aliqua salutis occasione, siue etiam potius expugnati capiantur. Graues enim inimicitias ita demum omnino dissolui putamus, non si quis bellum illatum propulsans, & in eo longè superior, [*hostem*] per vim ad iusiurandum adigens, compositionem iniquis conditionibus cum eo faciat: sed si, cùm ipsi liceat hoc ipsum facere, [*& vi vti*,] quamuis ipse victoriã virtute præter suam expectationem sit adeptus, tamẽ animi æquitate adductus, moderatis, [*ac æquis*] conditionibus [*cum hoste*] reconcilietur. Cùm enim aduersarius [*propter beneficium*] iam [*acceptum*] non debeat [*aduersarium*] vlcisci, quasi vim passus fuerit, [*& iniquas conditiones ab eo oblatas inuitus, & coactus accepe-*

acceperit :] sed [*pro beneficio accepto*]gratiam [*ei*] referre,præ pudore ad standum conuentis promptior est, [*quàm ille,qui præter animi sententiam aliquid necessitate compulsus fecerit.*] Homines autem hoc agunt erga maiores hostes potius, quàm erga mediocres inimicos.natura enim ita comparatũ habent, vt iis,qui sponte sua[*de inimicitiis*]remiserint, libenter & ipsi vicissim cedant: illis verò,qui sunt superbi, vel præter hominum opinionem cum periculo resistant. Nobis verò vtrisque, si vnquam aliâs, nunc profectò gratiæ reconciliatio est peropportuna, priusquàm grauissimum aliquod, [*ac insanabile malum*] interea nos opprimat,cuius causa necesse erit nos [*quidem*] præter publicas,priuatas etiam inimicitias,easque sempiternas vobiscum gerere: vos verò rebus priuari, ad quas nunc vos prouocamus, [*& quas à vobis flagitamus.*]Quare dum belli euentus adhuc est anceps, vos quidem, cum gloriæ, nostræque amicitiæ accessione; nos verò, antequàm dedecus aliquod nobis accidat, cum mediocri,[*tolerabili*] iactura, in gratiam redeamus. Et cùm ipsi bello pacem anteponamus, tum etiam cæteris Græcis malorum requiem demus, qui huius quoque rei vos præcipuos autores existimabunt.Bello enim vexantur,nescientes vtri nostrum belli fuerint autores.sed si bello deposito gratiæ reconciliatio fiat(cuius nunc penes vos maior est potestas) hoc beneficium vobis acceptum referent. Et si [*rem*] perspiciatis,facultas vobis adest Lacedæmonios firmos vobis amicos efficiendi, cùm & ipsi ad hoc [*vos*] prouocauerint, & [*vos*] ipsis gratificaturi potius, quàm [*ipsos*] per vim cõpulsuri sitis.Hac autem in re quot bona inesse credibile sit considerate. Nobis enim, vobisque eadem dicentibus,[*& fadere inter nos facto consentienti-*

bus,] ſcitis cæteros Græcos, quòd [*opibus, & autoritate nobis longè*] ſint inferiores, maximum honorem [*nobis*] habituros. Hæc igitur Lacedæmonij dixerunt, exiſtimantes Athenienſes ſuperiore tempore fœderum quidem cupidos fuiſſe: ſed ſe reſiſtentibus impeditos fuiſſe: oblatam verò pacem libenter accepturos, virosq; [*ſibi*] reddituros. Illi verò quod viros in inſula tenerent interceptos exiſtimabant ſibi iam in promptu eſſe fœdera cum ipſis facere, quotieſcunque vellent: ſed maiora affectabant. Illos autem maximè inſtigabat Cleon Cleæneti filius, qui tunc temporis vir popularis, & in dicendo multitudini acceptiſſimus erat. Hic [*Athenienſibus*] perſuaſit, vt [*Lacedæmoniorum legatis*] reſponderent. Oportere primùm [*quidem,*] eos, qui in inſula eſſent, & armis; & ſe ipſis traditis, Athenas portari. [*Deinde*] verò, [*illis eò*] profectis, vbi Lacedæmonij reddidiſſent Niſæam, & Pegas, & Trœzena, & Achaiam, (quæ bello non cepiſſent: ſed ex ſuperiore compoſitione ab Athenienſibus accepiſſent, qui propter clades acceptas, & quòd fœderibus tunc multo magis indigerent, ipſis ea conceſſiſſent:) [*ita demùm*] ſuos ciues recipere, & fœdera [*tam diuturna*] facere, quàm diuturna vtriſque placuiſſet. Lacedæmonij verò ad hoc reſponſum nihil contradixerunt: ſed petierũt vt ſibi darentur viri delecti, quibuſcum rem conferrent, ac diſceptarent, qui dicentes, & audientes, [*id eſt, colloquentes, ac diſputantes*] de ſingulis rebus, pacatè conuenirent in iis, quæ alteri alteris perſuaſiſſent. Tunc verò Cleon vehementer inſtare cœpit, dicens ſe vel antè cognouiſſe ipſos nihil æqui, [*nihil ſinceri*] in animo habere: & nunc etiam [*hoc*] manifeſtum eſſe. quippe qui apud multitudinem nihil dicere: ſed cum paucis vitis cõciliũ habere

vellent.

vellent. quòd si quid sani cogitarent, eos apud vniuersos [*Athenienses*] verba facere iussit. Lacedæmonij verò cernentes neque sibi fas esse apud multitudinem loqui, quamuis propter cladem acceptam, ipsis [*postulata*] concedere placeret, [*veriti*] ne apud socios malè audirent, si dixissent [*quæ dicere volebant*,] nec impetrassent, neque Athenienses moderatè se gesturos in iis, ad quæ prouocarentur, infecto negotio Athenis discesserunt. Quibus reuersis induciæ de Pylo factæ confestim solutæ sunt. Lacedæmonij verò naues repetebant, quemadmodum [*inter ipsos, & Athenienses*] conuenerat. Sed Athenienses eas reddere noluerunt, [*illis*] crimini dantes, quòd præter inducianum pacta incursionem in munitionem fecissent aliaque, quæ non magni momenti esse videbantur. hac ratione nixi, quòd in conuentis dictum esset, si vel minima eorum pars violata fuisset, inducias ruptas fore. Lacedæmonij verò contradicebant, & [*Athenienses*] accusabant, quòd præter ius, [*& pacta, suas*] naues retinerent, atque digressi, bellum [*denuo*] gerere cœperunt: (bellumq; totis viribus ab vtrisque ad Pylum administrabatur:) Athenienses quidem, binis nauibus aduersis insulam interdiu semper circumeuntes, noctu verò [*eam custodientes*] omnibus etiam [*nauibus*] manentibus in statione circuncirca, [*in cæteris partibus,*] excepta illa, quæ pelagus spectabat, [*idq;*] quoties ventus spirabat: (& viginti [*aliæ*] naues ad ipsos Athenis ad [*insulæ*] custodiam venerunt, ita vt vniuersæ numero essent septuaginta.) Peloponnesij verò, in continente castra habentes, & [*Athenienſium*] munitionem subinde oppugnantes, [*&*] obseruantes occasionem, si qua fortè sese ipsis offerret, vt suos ciues liberarent. Interea verò Syracusani, eorumque socij, qui in Sicilia erant, præter naues præsi-

diarias, quæ apud Messanam erant, aduecta cæteris classe, quam parauerant, bellum è Messana gerebant. Eosque] *ad hoc*] Locri maximè solicitabant, ob odium, quo Rheginos prosequebātur. Ipsique cum frequentibus copiis, quas ex omni totius populi ordine coëgerant, in illorum agrum irruptionem fecerant. Volebant autem nauale prœlium experiri, quòd naues, quæ tunc Athenienſibus aderant, paucas esse animaduerterent, maiore autem illarum parte, & illis, quæ venturæ erant, insulam [*Sphacteriam*] obsideri audirent. Si enim classe vicissent, Rhegium terra, marique obsessum in suam potestatem redactum iri, suasque res ita demũ firmiores fore sperabant. Cùm enim Rhegium Italiæ promontorium proximum esset [*Messanæ,*] & Messana, quæ est in Sicilia, [*Rhegio vicißim proximæ esset, existimabant se*] non permissuros, vt Athenienses [*ad insulam*] appellerent, fretoque potirentur. Hoc autem fretum est mare inter Rhegium, & Messanam, quâ breuissimo interuallo Sicilia distat à continente. atque hæc est [*illa Siculi maris pars,*] quæ Charybdis appellata fuit, quâ Vlysses transisse fertur. Hoc autem mare propter loci angustias, & ingentium marium, Tyrrheni, & Siculi concursum, in ipsum [*fretum*] irrumpens, & æstuosum existens, iure sæuum est appellatum. In hoc igitur [*tam angusto*] spacio Syracusani, eorumque socii, cum nauibus paulo pluribus, quàm triginta, sub serũ diei prœlium nauale committere coacti fuerunt, pro nauigio cursum illac tenente, obuiam [*hostibus*] prodeuntes, aduersus sexdecim Atticas, & octo Rheginas naues. Et ab Athenienſibus victi, tunc in sua castra celeriter se receperunt, vt singulis licuit, vna ad Messanam, & Rhegium naui amissa. noxque suo interuentu prœlium diremit.

Postea

Postea verò Locri quidem ex Rheginorum agro discesserunt. Syracusanorum verò, sociorumque naues ad Peloridem, quæ est agri Messanensis, coactæ stationem habebant, ipsisque peditatus aderat. Athenienses verò, & Rhegini, cùm naues vacuas animaduertissent, impressionem in eas fecerunt, manuque ferrea iecta vnam ipsorum depresserunt, viris[*ex ea*] natando elapsis. Postea verò, cùm Syracusani naues ingressi fuissent, & Messanam remulco tracti præterueherentur, Athenienses impetu rursus in eos facto, illis ex littore, oraq; caua in altum prouectis, & prius [*hostem*] aggressis, alterā nauem amiserunt. Syracusani autem, cùm in hac præteruectione, prœlioq; nauali, quod huiusmodi fuit, rem non deteriore cõditione gessissent, in Messanæ portum se receperunt. Atque Athenienses quidem, cùm per nuntios intellexissent Camarinam Syracusanis ab Archia, eiusque sociis prodi, eò nauigarunt. Interea verò Messanenses cum omnibus totius populi copiis terra, marique simul expeditionem susceperunt aduersus Naxum Chalcidicam, quæ finitima erat. Primoque die Naxiis intra mœnia conclusis, agrum vastabant. Postero verò die, classe circumuecti per fluuium Acesinen, agrum vastabant, at cum peditatu ad vrbem oppugnandam accesserunt. Interea verò Siculi multi, qui in montibus habitabant, ad opem Naxiis contra Messanenses ferendā descenderunt. Quos vt conspexere Naxii, sumptis animis, & inter se cohortati, quòd Leontini, cæterique socij Græci ad opem ipsis ferendam aduentarent, ex vrbe subitò erumpentes, impetum in Messanenses fecerunt. illisque in fugam versis, supra mille interfecerunt, cæterique domum ægrè

se receperunt. nam barbari maximam eorum partem in viis aggressi perdiderunt. Et naues, quæ ad Messanam appulerāt, aliæ ab aliis separatæ domum se receperunt, statimque Leontini, sociique cum Athenienſibus Messanam, vt bello attritam, oppugnatum iuerunt. Et Athenienses quidem, cū classe, à portu; peditatus verò, à terra, vrbē oppugnantes, [*expugnare*] conabantur. Sed Messanenses, & ex Locris aliquot cum Demotele, qui post cladem acceptam, vrbis præsidio relicti fuerant; eruptione facta, [*hostemq;*] repentè adorti, exercitus Leontinorum magnam partem in fugam verterunt, multosque interfecerunt. quod cùm vidissent Athenienses, & ex nauibus exscensum in terram fecissent, opem [*ipsis*] tulerunt, & Messanenses insequuti intra vrbis muros concluserunt, eos perturbatos aggressi; erectoque trophæo Rhegium reuerterunt. Post hæc, Græci, qui erant in Sicilia, sine Athenienſibus, alij alios mutuo bello terrâ infestabant. Athenienses verò, qui ad Pylum erant, Lacedæmonios in insula interceptos adhuc obsidebāt; at Peloponnesij, qui in continente statiua habebant, in suo loco se continebant. Athenienſibus autem [*Pyli*] custodia admodū laboriosa erat, cùm propter commeatus, tum propter aquæ inopiam. nullus enim fons, præter vnum, eumque non magnum, in ipsa Pyli arce erat. sed plerique glaream ad mare suffodientes, qualem credibile est aquam potabant. Erant præterea loci anguſtiæ, propter quas in exiguo, [*& angusto spatio*] castra habebant. Et quia naues nullam stationem habebant, harum quidem aliæ per vices cibum in terra sumebant, aliæ verò in anchoris stabant. Et mora, quæ præter opinionem accidebat, maximum animi angorem [*ipsis*] afferebat, quòd homines in insula deser-

ta

ta, [*interceptos*,] & aqua salsa vtentes intra paucos dies à se expugnatum iri putarent. Cuius rei causa erant Lacedæmonij, qui edixerant, vt quisquis vellet, frumẽtum molitum, vinum, caseum, & si quid aliud esculentum esset, quod ad obsidionem tolerandam vtile esset, in insulam importaret, hoc ingenti pretio æstimantes, & Helotibus, qui [*aliquid horum illuc*] importasset, libertatem promittentes. Quare cũ alij [*res esculentas in insulam*] non sine graui periculo comportabant, tum verò præcipuè Helotes, soluentes ex qualibet Peloponẽsi parte, in qua eos esse contigisset, & dum nox adhuc esset, appellentes ad eam insulæ partem, quæ pelagus spectabat. Ventum autem potissimùm obseruabant, quo [*ad insulam*] deferrentur. facilius enim triremium custodiam latebant, quoties ventus à mari spirabat. Nam [*Atticæ naues tunc*] stationem circum insulam habere non poterant. Illis verò cursus ad littora non parcus esse consueuerat. Nam [*sua*] nauigia pecuniis æstimata [*in littus*] impingebant, [*quòd pro illorum iactura pretium in singula statutum, sibiq; promissum, à Lacedæmoniis se accepturos considerent.*] Et [*Lacedæmoniorum*] milites, [*qui in insula ab Athenienſibus obsidebantur,*] ad illas insulæ partes, ad quas commodè naues appellere poterant, excubias agebant, [*vt commeatus allatos statim reciperent.*] Quotquot verò mari tranquillo periculum subissent, [*ab Athenienſibus*] intercipiebantur. Illuc etiam per portum adnatabant vrinatores sub aquis natantes, funiculo papauer mellitum, liniq; semen contusum, in vtribus attrahentes, qui cùm initiò [*custodes Athenienſium*] fefellissent, postea obseruari cœpti sunt. Et quauis ratione vtrique conabantur, hi quidem, commeatus [*in insulam*] trãsmittere, hi verò, cauere ne [*hoc*] se lateret. Athenienses ve-

rò, qui in vrbe erant, cùm intellexìſſent ſuum exercitum variis incommodis affligi, & commeatus ad illos, qui in inſula erant, tranſportari, conſiliſj inopes erant, & verebantur ne hyems ſuum præſidium opprimeret, tum quia videbant ſuum exercitum res ad victum neceſſarias, circa Peloponneſum, vt pote in loco deſerto, ſibi comparādi facultatem non habiturum, tum etiam quia ne æſtate quidem ſatis commeatuum [*ad varios exercitus*] circummittere poterant. præterea [*videbant*] ſtationem [*ſuæ claſſi illic*] non futuram, quòd [*illa inſulæ*] loca eſſent importuoſa: ſed aut cuſtodia à ſe remiſſa, hoſtes incolumes euaſuros, aut nauigiis, quæ commeatus [*ad eos in inſulam*] importabant, erupturos [*putabant.*] Sed quod omnium maximè formidabant, illud erat, quòd Lacedæmonios aliquo firmo virium præſidio fretos, nullum caduceatorem de pace acturum ad ſe poſthac miſſuros arbitrarentur, eosque pœnitebat quòd fœdera non admiſiſſent. Cleon verò, cùm intelligeret eos ſuſpicari ſe impedimento fuiſſe ne pacis conditiones acciperentur, negabat verum dicere eos, qui nuntios [*de rebus illis*] afferebant. Cùm autem illi, qui nuntios attulerant, [*Athenienſes*] hortarenrur, vt, ſi fidem ſibi non haberent, aliquos exploratores [*eò*] mitterent, [*qui res explorent, & verum illarum ſtatum renuntiarent,*] ipſe cum Theogene explorator ab Athenienſibus electus eſt. Ille verò, cùm intelligeret ſe coactum iri vel eadem dicere, quæ illi, quos criminabatur, [*& mendacij inſimulabat,*] vel, ſi contraria dixiſſet, ſe mendacem viſum iri, Athenienſibus ſuadebat, quòd eos ad bellum gerendum animis magis propenſis eſſe videret, vt nullos quidem exploratores [*eò*] mitterent, neque cunctando [*rei gerendæ*] occaſionem prætermitte-

rent,

rent: sed, si vera ipsis viderentur ea, quæ nuntiabantur, cum classe [*illuc*] proficiscerentur, vt viros illos expugnarent: & Niciam Nicerati [*filium*, qui tũc dux erat, innuebat, [*& subobscurè designabat*,] & cum exprobratione dicebat facile esse parata classe, si duces viri essent fortes, [*eò*] proficisci, virosq; in insula interceptos expugnare: hocque se facturum, si gereret præturam. At Nicias, cùm Athenienses aliquantulum tumultuati essent aduersus Cleonem, quod ne tunc quidem, si res facilis ipsi videretur, [*aduersos hostes*] nauigaret, simul etiã, cùm videret ipsum [*Cleonem*] ignauiam sibi exprobantem, iussit ipsum assumptis quibus vellet copiis, quod ad se [*duces*] attineret, [*suoq; permissu, rem*] aggredi. Hic verò primò quidem existimans eum [*non ex animo: sed*] verbo tenus [*sibi præturam, & negotium hoc*] relinquere, [*ad expeditionem suscipiendam*] paratus erat. Sed vbi cognouit ipsum reuera cupere [*præturam*] tradere, tergiuersari cœpit, & illum, non se, prætoria dignitate præditum esse dixit: timore iam perculsus, & ratus eum sibi [*prætura*] cedere non ausurum. Nicias verò rursus [*idem*] iubebat, & prætura ad Pylum [*gerenda ei*] cedebat, & Atheniẽses testabatur. Illi verò (quemadmodum vulgus facere solet) quo magis Cleon nauigationem subterfugiebat, ac tergiuersabatur, promissis stare recusans, eo magis Niciæ imperabant, vt præturam [*illi*] traderet, illiq; acclamabant, vt nauigaret. Quamobrem [*Cleon,*] cùm non posset amplius se expedire ex iis, quæ dixerat, expeditionem suscipit. Et in mediam concionem progressus, dixit se non timere Lacedæmonios, & se nauigaturum, nullo de ciuium numero secum ducto: sed Lemniis, & Imbriis, qui aderãt, assumptis etiam peltatis, qui ex Æno venerant auxilio, &

aliunde ſagittariis quadringentis. Cum his copiis dixit [*ſe iturum*] ad milites, qui ad Pylum erant, [&] intra viginti dies aut Lacedæmonios viuos adducturum, aut illic interfecturum. Tunc autem leuitas hominis, & inanis eius oratio riſum aliquomodo mouit, iucunda tamen accidit viris prudentibus, conſiderantibus ſe alterum è duobus bonis adepturos, aut ſe Cleonis importunitate liberatum iri (quod magis ſperabant,) aut, ſi opinione ſua fruſtrati fuiſſent, [*illum*] Lacedęmonios in ſuam poteſtatem redacturum. Cùm autem res omnes ad expeditionem neceſſarias in concione peregiſſet, & Athenienſes expeditionem ſuis ſuffragiis ipſi decreuiſſent, ipſeque Demoſthenem, vnum ex ducibus, qui ad Pylum erant, ſibi collegam adiunxiſſet, eueſtigio diſceſſit. Demoſthenem autem [*ideo*] collegam ſibi adiunxit, quòd audiret ipſum in animo habere exſcenſum ex nauibus in inſulam facere. Milites enim loci [*anguſtiis ac*] inopia grauiter preſſi, & obſeſſi potius, quàm obſidentes, ad periclitandam belli fortunam animis erant propenſi. Præterea ipſa inſula incendium paſſa ipſi vires, [*& animum*] addidit. nam cùm prius eſſet magna ex parte ſyluoſa & inuia, propter perpetuam ſolitudinem, [*eam*] formidabat, atque [*hoc*] pro hoſtibus magis facere putabat. nam in magnas copias ex nauibus in terram egreſſas illos ex locis abditis irruptionem facturos, & multa detrimenta ſibi daturos [*intelligebat.*] ſibi verò illorum errata, & apparatum, propter ſyluam, non perinde perſpicua fore. ſuarum verò copiarum omnia peccata [*hoſtibus*] manifeſta fore. quamobrem illos ex improuiſo, quacunque voluerint, impreſſionem in ſe facturos. nam hoſtem inuadendi arbitrium penes illos futurum. Quòd ſi manus in locis denſis per

vim

vim conferere contenderet: illos, qui essent pauciores, sed locorũ peritiores, longè meliore conditione rem gesturos arbitrabatur, quàm illos, qui numero superiores essent: at locorum imperitiores. Præterea suum exercitum, qui numerosus erat, clàm profligatum iri, suis erepta facultate prospiciendi, qua parte alij aliis mutuam opem ferre possent. Hæc autem potissimum ob cladem in Ætolia acceptam (quam magna ex parte propter syluam acceperat) in mentem ipsi veniebant. Cùm autem milites propter insulæ angustias, ad extremas eius oras, prandij parandi causâ, adhibita custodia, [*dispositisq; speculatoribus, qui prospicerent, & obseruarent hostis aduentum, ne incauti opprimerentur,*] accedere coacti fuissent, & quidam [*ex illorum numero*] syluam paulatim incendisset inuitus, posteaque ventus excitatus fuisset, magna eius pars hostibus insciis est cremata. Sic igitur [*Demosthenes*] facilius conspicatus Lacedæmonios, qui plures erant, [*quàm arbitrabatur,* [cùm prius commeatum ad pauciores illuc transmitti suspicaretur, tunc [*adhortatus est*] Athenienses ad maiorem diligentiam adhibendam, vt pote aduersus [*copias*] minimè contemnendas; & in insulam ex nauibus facilius descendi posse [*demonstrabat,*] & ad eam inuadendam se præparabat, sõciales copias ex locis vicinis accersens, & cætera præparans. Cleon igitur nuntio ad illum præmisso, per quem illi significaret se venturum, cum copiis, quas petierat, Pylum peruenit. Et cùm in vnum locum conuenissent, [*& consilia inter se de bello gerendo communicassent,*] ante omnia caduceatorem ad hostium castra in continente posita, vt illos prouocarent, si vellent imperare suis militibus in insula interceptis, vt sine periculo & arma, & se ipsos sibi traderent, ea con-

ditione, vt custodia tolerabili seruarentur, donec aliquid de rerum summa transactum esset. sed cùm illi conditionem istam non accepissent, vnum quidem diem supersederunt: postridie verò, noctu quidem discesserunt, omnibus militibus in paucas naues impositis: at paulo ante auroram, ab vtraq; insulæ parte, & à pelago, & à portu, ex nauibus in terram descenderunt, milites circiter octingenti. cursuque ad primum hostium præsidium in insula collocatum contenderunt. Sic enim [*Lacedæmoniorum milites*] erant dispositi. In hoc primo præsidio milites erant circiter triginta. Præsidium verò in media, & planissima [*totius insulæ*] parte, & prope aquam collocatum, illorum plerique cum Epitada duce tenebant. Quædam verò ipsius [*Epitadæ*] non magna manus custodiebat extremam insulæ partem, quæ Pylum spectabat, quæ [*pars*] & à mari prærupta erat, & â terra minimè oppugnari poterat. nam & castellum quoddam vetustum ex saxis passim lectis constructum illic erat quod sibi profuturum putabant, si qua maiore vi [*in loca tutiora*] se recipere cogerentur. Athenienses verò, custodes, quos in prima statione collocatos cursu inuaserunt, confestim interfecerunt, [*eos*] in cubilibus [*iacentes,*] & adhuc arma capientes [*nacti.*] Nam in terrã ex nauibus clàm descenderant, illis opinantibus naues ex consuetudine ad stationẽ noctu commeasse. Sed simul atque dies illuxit, reliquus etiam exercitus in terram descendit, & ex nauibus paulo pluribus quàm septuaginta, omnes, præter Thalamios, armati [*prodierunt,*] & octingenti sagittarij, & peltastæ his non pauciores, & Messenij, qui auxilium [*Demostheni*] tulerant, & cæteri omnes, quotquot circa Pylum [*aliqua loca*] tenebant, exceptis custodibus, qui in munitionibus erant. Hi

autem

autem à Demosthene variis in partibus instructi fuerũt, ita vt in singulis duceni, & plures, in nonnullis etiam pauciores essent. cũ autem locorum cacumina occupassent, vt hostes quã maxima dubitatione vndique circumuenti premerentur, nec haberent aduersus quam partem instructi in aciem proderent: sed vndique telis à multitudine peterentur, &, si illos quidem, qui in fronte stabant, inuasissent, ab illis, qui à tergo stabant, telis peterentur: sin eos, qui ad alterũ latus erant, petiissent, ab illis, qui ab vtroque latere instructi imminebãt, ferirentur. denique leuis hostium armatura, & qui maximè inermes erant, ipsis, quocunque se vertissent, à tergo semper hæsuri erant, sagittis, iaculis lapidibus, & fundis [*eos petentes, & non cominus: at*] eminus rem strenuè gerẽtes, quos ne persequi quidem licebat. Nam & dum fugerent, [*aduersarios*] vincebant, & cedentibus instabant. Hoc igitur consilio Demosthenes & antè copias in insulam exponere cogitarat, & in acie instruenda, & re gerenda, [*eodem tunc*] est vsus. At Epitadas, & qui cum eo erant, & illa militum in insula interceptorum manus, quæ maxima erat, cùm vidissent & primum præsidium profligatum, & exercitum contra se venientem, aciem instruxerunt, & in grauem Athenienſium armaturam ire contenderunt, eo consilio, vt ad manus venirent. hæc enim à fronte fuerat collocata: sed leuis armatura, ab vtroque latere, & à tergo instructa stabat. sed neque cum grauis armaturæ militibus manus conserere, neque sua [*pugnæ statariæ*] peritia vti potuerunt. nã milites leuiter armati [*eos*] vtrinque [*telis*] petentes prohibebant, simul etiam illi contra [*eos*] non procurrebant: sed in suo loco se continebant. Leuem autem armaturam fugabant, quacunque impetu

facto eos maximè infestabat. Hæc verò iterũ conuersa [*eos*] propulsabat, quòd homines essent leuiter armati, & qui facilè fugam capesserent, antequàm hostis eos assequeretur, [*idq;*] cùm ob locorum difficultatem, tum etiam ob [*eorundem*] asperitatem à pristina solitudine manantem. Per quæ Lacedæmonij, quòd arma gestarent, [*& grauiter armati essent, eos*] persequi non poterant. Sic igitur illi aliquantisper inter se leui certamine pugnarũt, sed cùm Lacedæmonij non amplius celeriter [*in hostes*] procurrere possent, quâ impetum fecissent, milites leuiter armati, cùm ipsos propter assiduum hostis propulsandi laborem iam defatigatos esse animaduertissent, & ipsi spectaculo [*paucitatis hostium, quam videbant,*] animis multo magis confirmati, quòd [*illis*] longè plures essent, & iam assueti minus illos formidare, quòd non amplius adeò formidabiles, [*vt antè,*] ipsis viderentur, quia non continuò tam grauia mala perpessi fuerant, quàm sperauerant, quum primùm in terram egressi sunt, animis seruilem in morem deiecti, quippe qui contra Lacedæmonios irent, [*his inquam de causis,*] cùm [*illos*] contempsissent, & clamorem sustulissent, impetum in ipsos conferti fecerunt. Et lapidibus, sagittis, iaculis, telisque, quæ quisque ad manum habebat, [*eos*] petebant. Clamore autem sublato, & impetu simul facto, pauor homines huiusmodi pugnæ insuetos inuasit, & syluæ nuper incensę multus puluis in sublime ferebatur. Et propter sagittas, ac lapides, qui ab ingenti hominum multitudine iaciebantur, & vnâ cum puluere ferebantur, vnus quisque spatium ante suos pedes positum ægrè prospicere poterat. Tunc verò prœliũ Lacedæmoniis asperius esse cœpit. Nam neque [*ipsorum*] armatura sagittis amplius resistere poterat.

& hastę

& hastæ, quibus petebantur, in ea fractæ inhærebant: neque sua pristina virtute vti poterant, tùm quòd eorũ oculis erepta esset omnis facultas prospiciendi quæ ante pedes erant; tum quòd propter maiorem clamorẽ ab hostibus sublatum exaudire non possent quæ ipsis [*à ducibus*] præciperẽtur; tum etiam quòd periculum [*ipsos*] vndiq; circumsisteret, nec vllam spem haberent excogitandæ rationis, qua hostem propulsando seruarentur. Tandem verò, cùm multi iam sauciati essent, quòd semper in eodem loci spatio versarentur, [*sese*] conglobantes ad extremam insulæ munitionem, nõ multum distantem, & ad suum præsidium, [*quod illic erat,*] iuerunt. cùm autem cessissent, tunc verò milites leuiter armati longè confidentius, clamore sublato [*illis*] instare cœperunt, & quotquot de Lacedæmoniis, dum se reciperent, intercipiebantur, [*ab hoste*] cædebantur. sed plerique ad [*suam*] munitionem elapsi, cum custodibus, qui illic erant, se instruxerũt ad omnem [*munitionis partem,*] vt [*hostem*] propulsarent, quâ parte [*munitio*] oppugnari poterat. Athenienses verò [*ab ipsis*] attracti, [*ipsosq; insequuti,*] ipsos quidem circumuenire, & circundare non poterant, propter loci situm, qui natura munitus erat: sed ab aduersa fronte aggressi, [*eos*] propellere conabantur. Diuque, & ad maximam diei partem vtrique pugna, siti, & sole grauiter fatigati [*tamen malis*] resistebant, & conabantur, hi quidem [*illos*] ex superiore loco detrudere, illi verò, non cedere: [*sed munitionem tueri.*] facilius autẽ, quàm antè Lacedæmonij [*tunc hostem*] propulsabant, quòd ab vtroque latere circumueniri non possent. sed cùm res nullum haberet exitum, Messeniorum dux ad Cleonem, & Demosthenem accedẽs, eos frustra laborare dixit. sed si sagittariorum, & leuis armaturę

aliquam partẽ ſibi dare vellent, ad illos à tergo circumueniendum [*ea*] via, quancunque ipſe inueniſſet, [*dixit ſe*] putare irruptionem [*in munitionem*] per vim fieri poſſe. cùm autem accepiſſet quæ petierat, iter clàm ingreſſus, ne ab illis conſpiceretur, accedens quâ paulatim inſulæ partes præruptę aliquem aditum dabant, & ad eam partem, quam Lacedæmonij, loci natura muniti ſitu freti, non cuſtodiebant, ægrè, & vix illis inſciis [*munitionem*] circumiit. Et ex improuiſo, & repentè in loco ſuperiore à tergo hoſtium conſpectus: illos quidem ob inopinatum caſum metu conſternauit; hos verò, qui cernebant, quod expectabant, multo magis confirmauit. Quare Lacedæmonij, cùm vtrinque telis iam peterentur, & in eadem fortuna conſtituti eſſent, (vt parua magnis conferam) in qua ad Thermopylas [*olim Spartani cum duce Leonida fuerant.*] nam illi in ſemita à Perſis circumuenti, perierunt. Et iſti, cùm vndique telis iam peterentur, [*hoſti*] diutius reſiſtere non potuerunt: ſed pauci cum multis dimicantes, & ob inediam corpore languentes, cedere cœperunt. Et Atheniẽſes omni acceſſu iam potiebantur. Cùm autem Cleon, & Demoſthenes animaduerterent illos, quo magis cederent, [*eo magis*] à ſuis copiis interfectum iri, pugnam ſedarunt, ſuoſque [*pugnare*] prohibuerunt, quòd illos viuos ad Athenienſes ducere cuperent, ſi fortè audita caduceatoris voce, frangerentur animis ad arma tradenda, & præſenti calamitatis grauitate vincerentur. Et per præconẽ edixerunt, nunquid arma, & ſe ipſos Athenienſibus dedere vellent, ea conditione vt Atheniẽſes arbitratu ſuo de ipſis ſtatuerent. Illi verò audito hoc edicto, plerique clypeos depoſuerunt, & manus quaſſarunt, ſignificantes ſe accipere conditiones ſibi per præconis

conis vocem oblatas. Postea verò factis induciis, in colloquium venerunt Cleon, & Demostenes, & ex illis, Styphon Pharacis [*filius*,] quòd Epitadas, qui erat prior ex superioribus ducibus, iam defunctus esset, & Hippagretes, qui in eius locum fuerat suffectus, adhuc superstes inter defunctos tanquã mortuus iaceret, ipse tertius designatus, qui legitimum imperium obtineret, si quid humanitus ipsis accidisset. Styphon autem, & qui cum eo erant, dixerunt se velle per præcones, [*& internuntios*] agere cum Lacedæmoniis, qui in continente erant, [*vt ex ipsis intelligerent*] quid sibi faciendum esset. Cùm autem Athenienses nullum quidem illorum [*in continentem*] proficisci permisissent: sed ipsi ex continente caduceatores euocassent, & bis, térve [*Lacedæmonij suos*] interrogassent: postremus, qui à Lacedæmoniis ex continente missus ad eos nauigauit, [*illorum nomine hæc*] renuntiauit, Lacedæmonij iubent vos ita vobis ipsis consulere, vt nullum dedecus admittatis. Illi verò, consilio inter se inito arma & se ipsos dedidérũt. Illum autẽ diem, & noctem insequentem Athenienses eos in custodia tenuerũt. Postridie verò, Athenienses quidẽ trophęo in insula statuto, cætera ad nauigationẽ [*necessaria*] pararũt, & captiuos trierarchis asseruandos distribuerunt. Lacedæmonij verò, misso caduceatore, suorum cadauera receperunt. Tot autem in insula partim obierunt, partim viui capti fuerunt. Vniuersi quidem, qui in insulam transierant, erant quadringenti, & viginti grauis armaturæ milites. Ex hoc numero [*Athenas*] viui delati fuerunt trecenti minus octo, cæteri cæsi fuerunt. Inter hos autem, qui viui capti fuerant, erant Spartani ad centum, & viginti. Ex Athenienſibus verò, non multi perierunt. Pugna enim non fuit stataria. Tempus autem

vniuersum, quo illi in insula fuerunt obsessi, à pugna nauali vsq; ad prœlium in insula commissum, fuerunt duo, & septuaginta dies Et spatio dierum circiter viginti, quibus legati fœderum causa [*Athenas*] abierant, [*Lacedæmonij in insula obsessi*] frumentum, [*& cæteras res ad victum necessarias, Atheniensium permissu à suis ciuibus*] acceperunt. reliquis verò [*diebus,*] ab illis, qui clàm [*in insulam*] nauigabant, nutriti fuerunt. Et frumenti, ac aliorum esculentorum reliquiæ in insula relictæ fuerũt. nam Epitadas dux vnicuiq; parcius hæc quàm pro copia præbebat. Athenienses igitur, & Peloponnesij cum suis vtrique copiis è Pylo domum redierunt. Et Cleonis promissio, quamuis fuisset insana, tamen effectum est consequuta. nam intra viginti dies (quemadmodum promiserat) hostes [*Athenas*] adduxit. Hoc autem omnium, quæ in hoc bello contigerunt, maximè præter opinionẽ Græcis accidit. Existimabant enim Lacedæmonios nec fame, nec vlla necessitate compulsos, arma tradituros: at hæc retinentes, & quoad possent dimicantes, mortem oppetituros. nec adduci poterant, vt crederẽt illos, qui [*seipsos, & arma*] tradidissent, illis esse similes, qui [*fortiter pugnando*] cecidissent. Postea verò, cùm quidam Athenienſium socius quendam ex captiuis ex insula [*Athenas delatis,*] vt ei cum insultatione dolorem inureret, interrogasset, nunquid illi, qui ex ipsis mortem oppetiissent, honesti, fortesque viri fuissent: [*hic*] ipsi respondit, magni profectò faciendũ esse atracton (sagittam intelligens) si viros fortes [*ab ignauis*] dignoscerent: [*his verbis*] indicans eos, qui in lapides, ac sagittas incidissent, occubuisse. Cùm autem captiui [*Athenas*] delati fuissent, Athenienses eos in vinculis asseruare decreuerunt, donec aliquam compositionem [*cum Peloponn-*

Peloponnesiis]facerẽt: sed si Pelopõnesij [*in suum Atticum*]agrum prius irrupissent, eos [*ex carcere*]eductos occidere [*statuerunt.*] In Pylo autem præsidium collocarunt. Et Messenij, qui Naupacti erant, huc, vt in patriam suam (Pylus enim est in eo agro, qui quondam Messeniorum fuit) ex suorum ciuiũ numero missis, qui [*ad rem gerendam*] maximè idonei erant, agrum Laconicum latrociniis infestabant, maximisq; maleficiis afficiebant, quòd eadem lingua vterẽtur. Lacedæmonij verò, quòd superiore tẽpore latrociniorum exercendorum, & huiusmodi belli imperiti essent, simul etiã quòd sui seruti ad hostem transfugerẽt. veriti ne grauior aliqua rerum nouarũ molitio contra se, in suo agro fieret, [*hæc*]non facilè ferebant, sed, quãuis Atheniẽsibus manifesti esse nollẽt, [*tamen*] legatos ad eos mittebant, & Pylum, & captiuos recipere conabãtur. At illi maiora affectabant, & cùm sæpius [*ad eos*] proficiscerentur, ipsos re infecta remittebant. Atq; hæc quidẽm circa Pylum gesta sunt. Eadẽ æstate, statim post hæc, Athenienses in agrũ Corinthium profecti sunt cũ octoginta nauibus, & duobus millibus grauis armaturę militũ nominis Attici, & cum ducentis equitibus, qui in hippaginibus vehebantur. Eos autẽ comitabantur ex sociis Milesij, Andrij & Carystij. His autẽ præerat Nicias Niceratí [*filius*]cũ duobus collegis. Primo autẽ diluculo nauigantes inter Cherronesum, & Rhetum appulerũt ad littus loci, super quẽ situs est Solygius collis. In quo Dorienses olim sedibus positis, bellum faciebant Corinthiis, qui in vrbe habitabant, & Æolenses erãt. Et super ipsum nunc extat castellum nomine Solygia. ab hoc autẽ littore, ad quod naues appulerunt, hoc castellũ distat duodecim stadiis. Corinthus verò, sexaginta. Isthmus verò, viginti. Corinthij verò,

cùm multo antè de classis Atticæ aduentu nuntios Argis allatos accepissent, omnes, præter illos, qui sunt extra Isthmum, ad Isthmum tutandum conuenerunt, & ex eorum numero quingenti præsidiarij milites in Ambraciam, & Leucadiam abierunt. Cęteri verò frequentibus copiis obseruabant, quonam Athenienses essent appulsuri. Sed cùm illi noctu clàm [*ad littus*] appulissent, & signa [*de hostium aduentu*] ipsis [*Corinthiis, ab amicis, ex locis excelsis*] sublata fuissent, relicta suorum dimidia parte ad Cenchream, si fortè Athenienses aduersus Crommyonem irent, [*suis*] auxilium properè tulerunt. Et Battus quidem, alter è ducibus (duo enim prœlio interfuerunt) assumpta cohorte contendit ad Solygiam castellum, quod nullis muris erat cinctum. cum reliquis verò Lycophron manus cum hoste conseruit. Et primùm quidem, Corinthij in dextrum Athenienſium cornu, quod statim ante Cherronesum in terram descenderat, impetum fecerunt. Deinde verò, & in reliquas [*eorum*] copias: asperumque prœlium, totumque cominus est commissum. Et dextrum quidem Athenienſium, & Caryſtiorum cornu (hi enim in acie postremi erãt) Corinthios excepit, egreque repulit. Illi verò, cùm ad maceriam se recepissent, (totus enim ille locus accliuis erat) supernè lapidibus hostem inferius existentem petebant, cumque pæana cecinissent, [*eum*] rursus inuaserunt. cùm autem Athenienses [*eos*] excepissent, pugna iterum cominus committi cœpta est. Quædam autem Corinthiorum cohors siniſtro suorum cornu subsidio profecta, dextrum Athenienſium cornu in fugam vertit, & ad mare vsque persequuta est. Rursus autem & Athenienses, & Caryſtij à nauibus sunt reuersi. Reliquus verò exercitus vtrinque continenter dimicabat, præ-

cipuè

cipuè verò dextrum Corinthiorum cornu, in quo ſtans Lycophron ſiniſtro Athenienſium reſiſtebat. ſuſpicabatur enim eos Solygiam caſtellum tentaturos. Diu igitur pugnæ labores ſuſtinuerunt, neutri alteris cedentes. Tandem verò (Athenienſibus enim equites, qui in ipſa pugna eos iuuabant, magno vſui erant, cùm alteri nullum equitatum haberent) Corinthij in fugam verſi ſunt, & in collem ſe receperunt. Et [*in eo*] caſtra poſuerunt, nec amplius deſcendebant: ſed quieſcebant, [*& in ſuo loco ſe continebant.*] In hac autem fuga, in dextro cornu, pleriq; ipſorum [*Corinthiorum,*] & Lycophron dux, obierunt. Reliquus verò exercitus, hoc modo, neque hoſte vehementer inſequente, neque effuſa fuga poſtquàm per vim [*loco cedere*] fuit coactus, in excelſa loca ſe recepit, ibiq̃ caſtra poſuit. Athenienſes verò, cùm [*hoſtes*] ad prœlium contra ipſos non amplius prodirent, aliena cadauera ſpoliarunt, & ſuorum ſuſceperunt, & trophæum continuò ſtatuerunt. Porrò illi dimidiæ Corinthiorum parti, quæ in Cenchrea præſidij cauſa manebat, ne [*Athenienſes*] aduerſus Crommyonem nauigarent, hoc prœlium non erat manifeſtum, propter montem Oneum, [*qui ſuo interpoſitu pugnæ ſpectaculum eripiebat.*] Sed vbi puluerem conſpexit, & [*rem*] cognouit, opem [*ſuis*] confeſtim tulit. Venerunt etiam auxilio ex vrbe Corinthij ſenes, cùm intellexiſſent id, quod acciderat. Quos vniuerſos conſpicati Athenienſes in ſe tendentes, ratiq̃ auxilium à vicinis Peloponneſiorũ ciuitatibus miſſum contra ſe venire, celeriter ad naues ſe receperunt, habentes ſpolia, & ſuorum cadauera, duobus exceptis, quæ [*in hoſtili agro*] reliquerunt, quòd ea reperire non potuiſſent. Cùm autem naues conſcendiſſent, ad inſulas adiacentes traiecerunt. Hinc au-

tem misso caduceatore, suorum cadauera, quæ [*apud hostes*] reliquerãt, fide publica interposita receperunt. In hoc autem prœlio, ex Corinthiis quidem, ceciderunt ducenti, & duodecim; ex Athenienſibus vero, paulo minus quinquaginta. Athenienſes autem ex istis insulis profecti eodem die ad agri Corinthij Crommyonem nauigarunt. (Abest autem ab vrbe cẽtum & viginti stadiis.) & cùm [*eò*] appuliſſent, agrum vastarunt, ibiq́ue castris positis pernoctarunt. Postridie verò maritimam oram legentes primùm in Epidaurium agrum iuerunt, & exscensu ex nauibus in nõnullas eius partes facto, Methonem venerunt, quæ inter Epidaurum, & Trœzenem est sita. & Cherroneſi Isthmum, in quo est Methone, ab vtraque littoris parte complexi, muro cingere cœperunt: impositoq́ue præsidio, postea Trœzenium, & Halienſem, & Epidaurium agrum latrociniis infestabant. Postquàm autem absoluto muro locum illum muniuerunt, nauibus domum redierunt. Per idem tempus, quo hæc gerebantur, Eurymedon etiam, & Sophocles, qui è Pylo cum Athenienſium classe in Siciliam proficiscebantur, cùm Corcyram peruenissent, vnâ cum vrbis incolis bellum intulerunt Corcyræis, qui sedes in Istone monte posuerant, qui tunc, post seditionem [*eò*] profecti, agro potiebantur, & [*aduersæ factioni*] multa damna dabant. Illos igitur adorti, munitionem quidem ceperunt: homines verò, [*qui in ea erant*,] vno agmine in editum quendam locum fuga se receperunt, & [*cum Athenienſibus*] compositionem hac conditione fecerunt, vt auxiliarios quidem milites [*ipsis*] traderent, de se verò, post arma tradita, Athenienſis populus arbitratu suo statueret. Duces autem [*Athenienſium*] ipsos fide publica interposita in insulam Ptychiam asser-

uan-

uandos transportarunt, donec Athenas mitterentur, ita tamen, vt, si quis [*eorum*] aufugiens deprehensus fuisset, fides, quæ data fuerat, omnibus esset irrita. Verùm primores populi Corcyræi, veriti ne Athenienses, hos [*Athenas*] profectos non interficerent, huiusmodi fraudem moliuntur. Nonnullis illorum, qui in insula [*Ptychia*] seruabantur, persuadent, [*vt aufugiant: quod illis persuaserunt,*] aliquot ex amicis [*ad illos*] submissis, & monitis, vt, quasi beneuolentia [*suorum ciuium adducti illuc profecti fuissent,*] dicerent è re ipsorum maximè esse, vt primo quoque tempore fugam capesserent, se verò nauigium aliquod præparaturos. Athenienſium enim duces, ipsos populo Corcyræo tradere statuisse. Cùm autem [*hoc illis*] persuasissent, & nauigium per insidias parassent, [*illi illinc*] discedentes, intercepti sunt, atque fides data, [*tunc*] irrita fuit, & vniuersi populo Corcyræo traditi fuerunt. Ad hanc autem rem peragendam [*Corcyræos*] in primis adiuuerunt ipsi Athenienſium duces, vt certa, minimeq; dubia causa videretur [*illis, qui in insula erant,*] & qui fraudem cõmenti fuerant, eam confidentiùs aggrederentur, quippe qui apertè præ se ferrent se nolle viros istos [*captiuos*] ab aliis [*Athenas*] delatos (ipsi enim in Siciliam nauigabant) decus, & gloriam illis comparare, qui [*eos illuc*] deportassent. Hos autem acceptos Corcyræi in magno carcere concluserunt. Postea verò eos eductos vicenos traducebant per medios binos ordines militum armatorum, qui hinc inde instructi erant, & qui ipsos inter se colligatos, cæsim, punctimque vulnerabant, sicubi quis suum inimicum aspexisset. Et lictores prosequentes eos vrgebant, qui tardiùs progrederentur. Atque hunc in modum eductos trucidarũt ad sexaginta, quod illos latebat, qui in carcere re-

liqui erant. Existimabant enim suos socios ab inimicis ex carcere eductos aliò traduci. Cùm autem [*hoc*] resciuissent, & ex quodã intellexissent. [*tunc*] Athenienses implorare, ac orare cœperunt, vt, si voluntas eorum ferret, ipsi, se occiderent. nec amplius ex carcere exire volebant, & dicebant se pro viribus non permissuros, vt quisquam [*illuc*] ingrederetur. Corcyræi verò ne ipsi quidem per fores [*in carcerem*] irrumpere in animo habebãt: sed cùm carceris tectum conscendissent, & lacunar reuulsissent, tegulis, & sagittis eos petebant, qui infra erant. Illi verò, [*qui in carcere erant,*] se protegebant, vt poterant, quinetiam ipsorum multi sibi manus violentas attulerunt, partim sagittas ab hoste missas iugulis imprimentes, partim lectorum suorum, qui illic ipsis erant, funibus, partim restibus, quas ex suis vestibus à se laceratis fecerãt, se ipsos strangulantes, omni denique ratione magnam partem noctis (nox enim huic cladi interuenit) se ipsos laqueis suffocantes, [*& quouis modo necantes,*] & ab illis, qui in superiore tecti parte stabant, telis petiti, pénitus perierunt. Cùm autem dies illuxisset, Corcyræi eos aceruatim in plaustra coniectos extra vrbem portarunt. Ipsorum verò vxores, quotquot in [*montis*] munitione captę fuerũt, in seruitutem redegerunt. Hoc igitur modo Corcyræi, qui sedes in monte posuerant, à populo funditus perditi fuerunt. Hæc autem seditio, quæ magna fuit, hunc habuit exitum, quatenus ad hoc bellum pertinet, nihil enim ex aliis [*seditionibus*] adhuc reliquum erat, quod etiam memoratu dignũ esset. Athenienses autem, cùm in Siciliam, quò primùm nauigationem instituerant, peruenissent, cum illius loci sociis bellum [*aduersus hostem*] administrabant. Athenienses verò, qui Naupacti erant, & Acarnanes,

æstate

æstate iam extrema, cum exercitu profecti, Anactorium, Corinthiorum vrbem in ipso Ambracij sinus ostio sitam, per proditionem ceperunt. Corinthiis autem illinc eiectis ipsi Acarnanes locum tenuerunt, colonis ex omnibus Acarnaniæ partibus eò missis. Et hæc æstas exiit. Sequente hyeme, Aristides Archippi [*filius*,] vnus è ducibus Atticæ classis ad socios pecuniæ cogendæ causa missæ, Artaphernem virum Persam, qui à [*Persarum*] Rege missus, Lacedæmonem proficiscebatur, ad Eïonem, quæ ad Strymonem est sita, comprehendit. Quo [*Athenas*] deducto, Athenienses epistolas ex Assyriis literis [*in Græcum sermonem*] conuersas legerunt. Quarum, cùm alia multa ad Lacedæmonios scriberentur, summa hæc erat: Nescire se quid [*illi*] vellēt. nam cùm multi legati venirent, nullum eadem dicere. Si quid igitur apertè dicere vellent, cum hoc Persa viros ad se mitterent. Postea verò Athenienses vnâ cum legatis triremi vectum Ephesum miserunt. Qui, cùm illic intellexissent Artaxerxem Xerxis filium nuper obiisse (nam per id tempus decesserat) domum redierunt. Eadem hyeme, Chij nouum murum Athenienſium iussu demoliti sunt, quòd [*Athenienses*] eos aliquid noui contra se moliri suspicarentur. hoc tamen fecerunt adhibita firma cautione, quantum fieri poterat, ne Athenienses quicquam de pristino [*suæ*] ciuitatis statu innouarent, [*néve quicquam noui de se statuerent.*] Atque hæc hyems exiit, simul etiam belli, quod Thucydides conscripsit, septimus annus excessit. Æstatis autem insequentis initio statim circa nouilunium sol exparte defecit, eiusdemque mensis initio terræmotus extitit. Et Mitylenæi, aliique Lesbij exules, quorum plerique ex continente venerant, auxiliis ex Peloponneso mercede condu-

ctis, & manu illinc collecta, Rœtium occupant. Et acceptis duobus Phocaïcorum ſtaterum millibus, [*ipſum incolis*] rurſus reddiderunt. nulla iniuria [*præterea illis*] facta. Poſtea verò, cùm copias aduerſus Antandrum duxiſſent, vrbem interueniente proditione ceperunt. Eorum autem propoſitum erat, cùm alias ciuitates, quæ Actææ vocãtur, quas prius poſſidentibus Mitylenæis Athenienſes tenebant, in libertatem vindicare, tum verò omnium maximè Antandrum. Vbi autem eam muniſſent (nam ædificandarum nauium facultas, propter lignorum copiam, & Idam impendentem, illic ipſis erat) cum reliquo etiam apparatu inde proficiſcẽtes, Leſbum vicinam infeſtare, & in ſuam poteſtatem redigere Æolica oppida, quæ in continente erant. Et hi quidem hæc facere conſtituerant. Athenienſes verò, eadem æſtate, cum L x nauibus, & duobus militum millibus, & aliquot equitibus, & cum Mileſiis, & aliis quibuſdam ex ſociis, quos ſecum ducebant, bellum Cytheris intulerunt. Illis autem præerat Nicias Niceratı, & Nicoſtratus Diotrophis, & Autocles Tolmæi [*filius.*] Cythera autem eſt inſula, quæ agro Laconico adiacet è regione Maleæ [*promontorij.*] Lacedæmonij verò ſunt accolæ circuncirca. Et Cytherodices magiſtratus ad ius dicẽdum Sparta quotannis eò tranſibat, & [*Lacedæmonij*] militum grauiter armatorum præſidium [*in eam*] ſemper tranſmittebant, eiuſque curam ingentem gerebant. Ipſis enim erat portus, ad quem appellebant onerariæ naues, quæ ex Ægypto, & Africa veniebant. Simul etiam piratæ Laconicam oram à mari (quâ tantùm infeſtari poterat) minus infeſtabant. Tota enim [*hæc inſula*] cõſurgens ad Siculum, & Creticum mare porrigitur. Athenienſes igitur, cùm [*huc*] appuliſſent cum ſuis copiis, cum decem

naui-

nauibus, & duobus Milesiorum millibus vrbem maritimam, nomine Scandeam capiunt. cum reliquo exercitu in insulæ partes, quæ Maleam spectabant, exscensu ex nauibus facto, ad maritimam Cytheriorum vrbem iuerunt, eiusque incolas omnes sub armis stantes offenderunt. Prœlioque commisso, Cytherij paulisper [*illorum*] impetum sustinuerunt, deinde in fugam versi, in arcem confugerunt. Postea cum Nicia, eiusque collegis compositionem fecerunt ea conditione, vt omne de se statuendi arbitrium Athenienſibus permitterent, nisi mortis. Quædam autem colloquia & antè inter Niciam, & Cytherios habita fuerãt. Quamobrem etiam citiùs, & commodiùs & in præsentia, & in posterum, quę ad compositionem, [*& deditionem*] pertinebant, ab ipsis transacta sunt. Athenienses enim Cytherios ex suis sedibus in alias transtulerunt, tum quòd essent Lacedæmonij, tum etiam quòd [*ipsorum*] insula agro Laconico adeò vicina esset. Post compositionem Athenienses accepta Scandea, vrbe ad portum sita, & præsidio Cytheris imposito, nauigarunt ad Asinen, & Helos, & ad plurima loca maritima. Et exscensu nauibus in ea facto, & commorantes vbicunque opportunum videbatur, regionem per dies circiter septem vastarunt. Lacedæmonij verò, quamuis Cythera ab Athenienſibus teneri viderent, & expectarent illos in suum etiam agrum exscensiones huiusmodi facturos, nunquam tamen cum frequentibus copiis, acie instructa obuiam ipsis iuerunt: sed militum grauiter armatorum magnam manum in varias agri sui partes, prout vnusquisque locus postulabat, præsidij causa miserunt. Et cæteris in rebus sibi diligenter cauebant, metuentes ne quid in rerum suarum statu nouaretur, propter insperatam,

ac ingentem cladem in insula [*recens*] acceptam, & propter Pylum, & Cythera [*iam ab Athenienſibus*] occupata, & propter repentinum, ac improuiſum bellum, quod ipſos vndique circumſtabat, [*& à quo ſibi vix cauere poterant.*] Quare præter ſuam conſuetudinem quadringẽtos equites, & ſagittarios conſtituerunt. Et ad res bellicas, ſi vnquam antè, tunc potiſſimùm ſegniores redditi ſunt, quòd præter vſitatam ſibi formam apparatus, cum nauticis copiis certare cogerentur, idque contra Athenienſes, qui, quicquid intentatum relinquebant, id ſemper ſpei deeſſe putabant, quam de felici rerum ſucceſſu conceperant. Præterea varij caſus, multæq; res, quæ breui temporis ſpatio præter omnem expectationem ipſis acciderant, maximum metum [*ipſis*] incutiebant. Et verebantur ne fortè rurſus aliqua calamitas ſibi contingeret, qualis erat, quam & in inſula [*Sphacteria nuper*] acceperãt. Et propterea ad pugnandum erant timidiores, & quicquid aggreſſi fuiſſent, id infelicem exitum putabant habiturum, propter animi diffidentiam, quòd prius aduerſa fortuna premi non conſueuiſſent. Cùm igitur Athenienſes tunc oram maritimam vaſtarẽt, pleraque [*Lacedæmoniorum præſidia*] quieſcebant, [*nec hoſtibus obuiam ire audebant: ſed in ſuo loco ſe continebant,*] quum ad ſingula præſidia exſcenſus aliquis è nauibus [*in terram ab illis*] fiebat, tum quòd ſinguli [*præſidiarij milites*] ſe numero inferiores eſſe ducerẽt, tum etiam quòd in eo rerum ſtatu conſtituti eſſent. Vna verò præſidiaria cohors, quæ etiam ad Cortytam, & Aphrodiſiam hoſtes propulſauit, ipſam quidem leuis armaturæ turbam palatam impetu in eam facto, terruit: ſed cùm grauis armaturę milites ipſam excepiſſent, rurſus ſe recepit, & aliquot ex ipſius numero ceciderunt, armiſque captis fue-

fuerunt. Athenienſes autem erecto trophæo in Cythera, abierunt. Hinc verò ad Epidaurum Limeram, claſſe circumuecti profecti ſunt. agriq́ue parte vaſtata, peruenerunt ad Thyream, quæ eſt illa quidem agri, qui Cynurius appellatur, ſed Argiuum, & Laconicum agrum ſuo interiectu diſterminat. Lacedæmonij autem, quòd eam poſſiderent, Æginetis patria pulſis incolendam dederunt, tum ob beneficia, quæ & terræmotus tempore, & quum Heloteſ in dominos inſurrexerant, [*& ab ipſis defectionem fecerant,*] in ſe contulerant, tum etiam quòd, licet Athenienſium imperio ſubiecti eſſent, tamen ſecum perpetuò ſenſiſſent, [*ſuisq́; partibus fauiſſent.*] Athenienſibus igitur cum claſſe aduentantibus, Æginetæ murum, quem ad mare ædificabant, reliquerunt, & in ſuperiorem vrbem, ſtadiis circiter decem à mari diſtantem, quàm incolebant, ſe receperunt. Et vna Lacedæmoniorum præſidiaria cohors, quæ agri tutandi cauſa illic erat, quæ etiam [*Æginetas*] in illo muro ædificãdo adiuuabat, cura ipſis in vrbem ingredi noluit, licet Æginetæ eam rogarent, quòd ipſis [*præſidiariis Lacedæmoniorum militibus*] periculoſum eſſe videretur intra muros concludi. Quare cùm in editiora loca ſe recepiſſent, quòd ſe ad hoſti pugna reſiſtendum impares eſſe iudicarent, quieſcebãt. Interea verò Athenienſes, cùm [*ad littus*] appuliſſent, & cum omnibus copiis ad Thyream confeſtim iuiſſent, eam ceperunt: & vrbem incenderunt, & res, quæ in ea erant, diripuerunt, & Æginetas, quotquot in ipſo congreſſu non occubuerant, & Tantalum Patroclis [*filium,*] qui apud illos pro Lacedęmoniis dux fuerat, (cùm enim vulneratus fuiſſet, viuus captus eſt) abduxerunt, & cum his Athenas peruenerunt. nonnullos etiam ex Cytheris abduxerunt, quos periculi vitandi cauſa, [*ne quid rerum nouarum molirentur,*] ſuis

ſedibus motos, aliò transferendos cenſuerunt. Athenienſes autem hos quidem in inſulis collocare decreuerunt, & cæteris Cytheriis [*permittere, vt*] ſuum agrum colentes, tributum, quaterna talenta penderent. Æginetas verò omnes, quotquot capti fuerant, interficere [*ſtatuerunt,*] propter priorem, perpetuamque ſimultatem. Tantalum verò præter cæteros Lacedæmonios in inſula [*Sphacteria captos*] in vincula coniiciendum [*cenſuerunt.*] Eadem æſtate in Sicilia induciæ inter Camarinæos, & Geloos primùm initæ ſunt. Mox etiam cæteri [*Siculi, &*] Sicilienſes Gelam conuenerunt, & legatis ex omnibus [*Siciliæ*] ciuitatibus eò miſſis, in colloquium venerunt, & inter ſe agere cœperunt, ſi quo modo in priſtinam gratiam redire poſſent. Et cùm multæ aliæ ſententiæ in vtranque partem dictæ ſunt ab illis, qui diſſentiebant, & petebant ea, quibus ſe quiſque [*ab altero*] fraudatum exiſtimabat: tum etiam Hermocrates Hermonis filius Syracuſanus, qui etiam præcipuè ipſos mouit, ad legatos à Siciliæ Communi miſſos, huiuſmodi verba tunc fecit.

HERMOCRATIS CONCIO.

Nõ ex ea ciuitate, viri Sicilienſes, quæ aut minima ſit, aut bello maximè laboret, ego ortus, verba faciam: ſed ſententiam dicam, quæ in totius Siciliæ commune bonum optima eſſe mihi videtur. At bellum quidem gerere, quàm triſtis ſit res, curnam quis omnia [*mala,*] quæ in eo contingere ſolent, apud homines rerum gnaros colligens, [*ac recenſens,*] oratione prolixa vtatur? Nemo enim aut propter [*bellicorum incommodorum*] imperitiam hoc agere, [*bellumq; gerere*] cogitur, aut metu [*ab hoc agendo, & bello gerendo*] deterretur, ſi quid amplius

ſe

se adepturum speret. sed vsu venit vt his quidem lucra maiora, quàm pericula esse videantur. illi verò quoduis discrimen adire, quàm vllam iacturam in præsentia facere malint. sed quum hæc ipsa neutri opportunè faciunt, [*tunc*] admonitiones de facienda gratiæ reconciliatione sunt vtiles. Id, quod nobis etiam in præsentia plurimi faciendum erit, si [*monitoribus nos opportunè monẽtibus*] pareamus. Quòd enim vnusquisque [*nostrum*] suis rebus priuatim bene consulere vellet, bellum tunc primum suscepimus, nunc verò inter nos disceptando operam demus, vt in pristinam gratiam redeamus. Et nisi successerit, vt vnus quisq; nostrum suum ius obtineat, atque ita hinc discedat, iterum ad arma redibimus. Quanquam hoc nobis est sciendum, non solùm de priuatis rebus (si sapimus) coactum esse concilium: sed etiam vt consultemus an vniuersam Siciliam, quæ (vt ego iudico) Athenienſium insidiis appetitur, adhuc cõseruare possimus. Et [*oportet*] existimare Athenienses (qui, cùm maximam [*omnium*] Græcorum potentiam obtineant, cum paucis nauibus hîc præstò sunt ad obseruanda nostra peccata, & legitimo societatis, [*& cognationis*] nomine, innatum sibi [*aduersus omnes Siculos*] odium, specioſa rerum appellatione suum consilium velantes, ad suam vtilitatem accommodant, [*& dum hoc in nos exercent, interim suis rebus consulunt:*]) harum [*nostrarum discordiarum*] pacificatores esse multo magis necessarios, [*ac vrgentes,*] quàm mea verba. Cùm enim bellum susceperimus, & hos viros accersiuerimus, qui vel illis, qui ipsos non accersunt, bellum inferunt, cùmque nos ipsos domesticis sumptibus [*exhauriamus, &*] vexemus, simul etiam cùm nos ipsi paulatim aditum illis ad hoc imperium occupandum pate-

faciamus, verisimile est ipsos sua sponte, [*nec à nobis accersitos*,] vbi nos afflictos cognouerint, olim cum maiore classe venturos, & hæc omnia in suam potestatem redigere conaturos. Atqui (si sapimus) oportet vnumquemque nostrum potius, vt suo [*imperio*] res alienas adiungat, quàm vt suas lædat, socios accersere, & pericula subire. Et existimare [*oportet*] seditionē maximè pernicioſam esse cùm singulis ciuitatibus, tum etiā vniuersæ Siciliæ, cuius nos incolæ vniuersi insidiis [*Athenienſium*] appetimur, & tamen mutuis singularum ciuitatum dissensionibus laborātes alij ab aliis diuisi sumus. Quibus rebus cognitis oportet & priuatum cum priuato, & ciuitatem cum ciuitate in gratiam redire, & operam dare, vt omnes simul vniuersam Siciliam seruemus. Nec in mentem venire cuipiam oportet, eos quidem, qui de nobis sunt Dorienses, Athenienſium hostes esse, Chalcidenses verò, propter cognationem Ionicam, à periculis tutos esse. Neque enim [*Athenienſes*] partium odio, bellum [*noſtris*] gentibus inferunt, quòd sint diuisæ: sed cupiditate bonorum, quæ communiter in Sicilia possidemus. hoc autem nunc declararunt in ista Chalcidenſium euocatione, [*qua ab ipsis Chalcidenſibus sunt euocati.*] Illis enim, qui ex fœderis societate nullum auxilium ipsis vnquam tulerunt, ipsi fœderis ius libentius præstiterunt. Atque Athenienſibus quidē hæc affectantibus & prouidè perficere conantibus multā veniam dandam esse censeo. nec eos, qui imperium affectant: sed eos, qui ad imperata faciendum sunt propensiores, vituperandos puto. Homines enim ita nati sunt, vt semper illos quidem imperio premant, qui cedunt [*ipsis*,] ab illis verò sibi caueant, qui arma ipsis inferunt. Nos verò peccamus, quotquot, cùm hæc habea-

beamus perspecta, [*rebus nostris*] non rectè prospicimus, neque singuli hoc antiquissimum esse iudicamus, ipsam scilicet rationem, qua omnes communi periculo bene consulamus, [*hostemq; communem, cuius vires adeò sunt formidandæ, opibus, armisq; coniunctis propulsemus.*] Hoc autem [*graui metu, periculoq;*] celerrimè liberabimur, si compositionem inter nos faciamus, [*& in gratiam redeamus.*] Athenienses enim non ex agri sui finibus profecti nos inuadunt: sed ex illorum agro, qui ipsos accersiuerunt. Atq; ita non bellum bello: sed pace discordia nullo negotio sedabitur. Et [*Athenienses,*] qui euocati fuerunt, & qui infesto animo, specioso tamen prætextu huc venerunt, iure optimo re infecta abibũt. Atque commodum quidem, quod ad Athenienses attinet, tantum esse comperitur, si [*rebus nostris*] rectè consulamus. Pacem verò, quam omnium confessione summum bonum esse constat, cur etiam inter nos ipsos facere non oporteat? An existimatis, si quid boni alicui adest, aut si cui contraria [*adsunt, vtriq;*] non potiorem esse pacem, quàm bellum tum ad liberandum vtrumque his [*malis, quæ bono sunt contraria,*] tum etiam ad illud [*bonum vtrique*] conseruandum? Et [*nunquid animaduertitis*] pacem habere honores, & dignitates à periculo remotiores, [*ac proinde tutiores, & certiores,*] & alia, quæcunque quis oratione longa persequi posset, quemadmodum de bello [*multa in contrariam partem dici possunt?*] Quibus rebus consideratis non oportet [*vos*] contemnere mea verba: sed potius vnum quemque [*vestrum*] his admonitum suæ saluti prospicere. Et si quis vel suæ causæ æquitate, vel sua potentia fretus, certã de rei alicuius successu spem concepit, is caueat ne præter spem grauiter labatur, illud animaduertens multos iam fuisse, qui su-

as iniurias persequi, & illos vlciſci volebãt, à quibus eas acceperant, alios etiam fuiſſe, qui ſpem conceperant ſe ſuas facultates aliqua potentia, [*& aliorum opibus*] amplificaturos: ſed illis quidẽ contigiſſe, vt non ſolùm ſuas iniurias vlti non fuerint: ſed ne ſalutem quidẽ ſuam retinere potuerint: his verò, vt pro rerum ſuarum amplificatione, [*quam ex alienis opibus ſe conſequuturos ſperauerant,*] ſuarum etiam iacturam fecerint. Vltio enim non protinus alicui meritò ſuccedit, quod iniuriam ab altero acceperit, neque etiam potentia ideo eſt certa, [*& minimè fallax,*] quod homines bona ſpe compleat. ſed fortuna rerum exitum in ſua poteſtate plerunq; tenet. Quamuis autem [*fortuna*] ſit res omnium maximè lubrica, tamen vtiliſſima videtur. Cùm enim vtriq; patiter timemus, circunſpectiùs alij alios inuadimus. Quare nos etiam nunc vtraq; de cauſa, cũ ob inexploratum huius incerti rerum euentus metum, tum ob Athenienſium præſentiam, qui formidoloſi iam adſunt, territi, tum etiam exiſtimantes noſtram conſilij imbecillitatem iſtis difficultatibus ſatis impeditam fuiſſe, ne perageremus ea, quæ vnus quiſque noſtrum ſe peracturum putabat, hoſtes [*nobis*] imminẽtes, ex [*noſtra*] regione amandemus. Et in primis quidem ipſi fœdus æternum inter nos ineamus, ſin minus, induciis in longiſſimum tempus factis, diſcordias priuatas in aliud tempus differamus. In ſumma verò, cognoſcamus, ſi mihi aſſentiamini, futurum vt vnus quiſque noſtrum ſuam ciuitatem liberam obtineat, vnde, quũ noſtri iuris, ac arbitrij erimus, illis, qui aut bene, aut malè de nobis meriti fuerint, gratiam pro meritis iure referemus. At ſi mihi non aſſentiamini: ſed aliorum autoritatem ſequamur, [*non ſolùm*] non [*erit nobis certamen*] de vlciſcendo aliquo: ſed etiam

ſam, ſi res ita tulerit, amiciſſimi inimiciſſimis, & inimici, quibus non conuenit [*nos eſſe inimicos,*] propter neceſſitatem fiemus. Atque ego quidem (vt meæ orationis initio dixi) qui demonſtraui me ex maxima ciuitate ortum, & qui bellum aliis inferre, quàm illatum propulſare mâlo, ſuadeo, vt nobis ipſis proſpicientes compoſitionem faciamus, néve ſic aduerſarios maleficiis afficiamus, vt nos ipſi longè pluribus detrimentis afficiamur. neq; ſtultè contendens exiſtimare [*volo,*] me ſummam poteſtatem æquè habere in meam voluntatem, atque in fortunam, in quam nullum imperium habeo: ſed vinci, [*& de meo iure decedere volo,*] quatenus par eſt. Et æquũ eſſe cenſeo [*vos*] cæteros veſtra ſponte idem facere, quod ego, neque ad hoc [*ipſum*] faciendum, ab hoſtibus compelli. nec enim turpe eſt domeſticos à domeſticis, aut Dorienſem aliquem à Dorienſi, aut Chalcidenſem à ſuo gentili ſuperari. Denique, vt rem totam paucis expediam, [*compoſitionem, gratiæq; reconciliationem nobis facienda cenſeo,*] quod [*omnes*] vicini ſimus, & eiuſdem regionis incolæ, idque [*regionis,*] quæ mari vndique alluitur, & [*omnes*] vno, [*eodemq; communi*] Siculorum nomina vocemur: qui (vt opinor) bellum geremus, quum res ita tulerit, [*& tempus ipſum hoc flagitarit, niſi inter nos conuenerit,*] & in mutuã gratiam rurſus redibimus, colloquiis communibus inter nos ipſos habitis. Alienigenas verò contra nos [*huc*] profectos, ſimul omnes, [*animis, armisq; coniunctis,*] ſi ſapimus, propulſabimus, ſiquidẽ vel quum ſinguli [*Siciliæ populi*] læduntur, vniuerſi periclitamur: nec ſocios, nec pacificatores vnquam poſthac accerſemus. Si igitur hæc faciamus & in præſentia duobus bonis Siciliam nõ fraudabimus; vt Athenienſibus, belloque domeſtico liberetur:

& in posterum, nos soli, [*dimissis alienigenis,*] liberam & aliorum insidiis minus obnoxiam incolemus. Cùm Hermocrates hæc dixisset, Siculi quidem eius verbis adducti, inter se consenserunt hac conditione, vt ab armis discederetur, & sua quique retinerent, quæ iam possidebant, Camarinæis verò Morgantina concederetur, si certam pecuniæ summam Syracusanis penderent. Athenienſium verò socij conuocatis illorum ducibus, [*ac primoribus,*] dixerunt se quoque pacem facturos, & [*sua*] fœdera cum illis quoque communia fore. Quòd cùm illi approbassent, compositionem, [*pacemq;*] fecerunt. Postea verò Athenienſium naues [*ex Sicilia*] discesserunt. Earum autem duces domum reuersos populus Athenienſis mulctauit, exilio quidē duos, Pythodorū, & Sophoclem: pecunia verò, tertium, Eurymedontem, quasi penes eos fuisset res Siculas in suam potestatem redigere, sed muneribus adducti discessissent. Adeo freti præsenti rerum successu, nihil sibi præter animi sententiam succedere: sed æquè difficillima, atque facilima, siue magnos, siue paruos apparatus haberent, pariter conficere volebant. Cuius rei causa erat inopinata felicitas, quæ in plerisque rebus ipsis contigerat, quæ spei vires ipsis subministrabat. Eadem æstate, Megarēses, qui in vrbe erant, cùm & ab Athenienſibus, bello semper premerentur, quia quotannis cum frequentibus copiis irruptionem in ipsorum agrum bis faciebant, & à suis exulibus, qui ex Pegis, [*excursiones faciebant, &*] qui propter ciuium seditionem à populo expulsi, latrociniis vrbanos grauiter infestabant, in colloquium venerunt, in quo censebant exules [*in vrbem*] recipiendos, ne vtrinque ciuitatem perderent. Exulum verò amici, cùm istum rumorem sensissent, ipsi quoque [*tunc*] apertiùs, quàm

antè

antè postulare cœperunt, vt [*sui ciues*] in isto colloquio perseuerarent. [*& de exulibus in vrbem reducendis seriò agerent.*] sed cùm populi principes animaduertissent populum [*superioribus*] malis [*iam*] afflictum secum nullo modo posse [*noua mala*] tolerare, [*& aduersæ factioni resistere,*] metu compulsi, cum Hippocrate Ariphronis, & Demosthene Alcisthenis [*filio,*] Athenienſiũ ducibus, in colloquium venerunt, quia vrbẽ [*ipsis*] dedere volebãt, & existimabant minus periculum sibi [*sic*] impendere, quàm si illi, qui ab ipsis eiecti fuerant, [*in vrbem*] redissent. Inter eos autem ita primùm conuenit, vt Athenienses caperẽt muros longos, (erat autẽ octo fermè stadiorũ [*spatium*] ab vrbe ad Nisæam ipsorum [*Megarensium*] portum) ne [*Megarensibus*] Peloponnesij opem ex Nisæa ferrent, in qua ipsi soli [*sine sociis, & Megarensibus*] præsidium habebant, vt Megara firmiùs tenerent, [*& facilius tutarentur.*] Deinde verò & vrbis arcem in loco edito sitam [*Megarenses Athenienſibus*] dedere conarentur. si enim hoc factum fuisset, iam faciliùs [*Megarenses*] deditionem fecissent. Athenienses igitur, postquàm omnia & facta, & dicta vtrinque fuerunt, quæ ad negotium conficiẽdum erant necessaria, rebus omnibus iam paratis, sub noctem ad Minoam Megarensium insulam profecti cum sexcentis grauis armaturæ militibus quibus Hippocrates præerat, in fossa consederunt, quę non multum illinc distabat; vnde [*Megarenses*] lateres ad muros extruendos sumebant. Platæenses verò leuiter armati, alijque Circuitores, qui cum Demosthene altero duce erãt, ad Martis [*templum,*] quod minus remotum erat [*ab vrbe, quam insula Minoa,*] in insidiis consederunt. Et nullus [*Megarensium,*] præter illos, quibus [*rem*] scire curæ erat, hanc noctem nouerat. Et cùm crepuscu-

lum matutinum aduentaret, isti Megarenses, qui proditionem moliebãtur, huiusmodi fraudem excogitarunt. Nauigiolum, quod vtrinque binis remis agebatur, veluti latrones, cùm iam pridem à [*suo*] Magistratu, cuius gratiam sibi conciliauerant, impetrassent, vt [*sibi exire volentibus*] portas aperiret, hoc plaustro impositum, noctu per fossam ad mare transportare, & enauigare consueuerant. Et antè quàm dies illucesceret, idem plaustro vectum in vrbem per portas rursus importabant, vt Athenienſium præsidium, quod erat in Minoa, sibi minus caueret, quòd nullum in portu nauigium prorsus appareret. Tunc autẽ hoc plaustrũ ad portas iam erat. Et cùm hæ ex more nauigiolo [*recipiendo*] apertæ fuissent, (hoc enim ex composito fiebat) Athenienses hoc animaduerso, ex insidiis cursu [*ad vrbem*] contenderunt, quòd [*eò*] ocius peruenire vellent, antequàm portæ rursus claderentur, & donec ipsum plaustrum in ipsis adhuc esset, & impediret ne clauderentur, & Megarenses, qui ipsorum partibus fauebant, vnâ cum ipsis interfecerunt custodes, qui ad portas erant. Et primùm quidem Platæenses, & Circuitores, qui circa Demosthenem erant, irruperunt [*in eum locum,*] vbi trophæum nunc extat, & statim intra portas (Peloponnesij enim, qui proximè erant, rem senserunt) Platæenses pugnando superarunt eos [*Peloponnesios,*] qui ad opem [*vrbi*] ferendam veniebãt, & graui Athenienſium armaturæ aduenienti portas tutas præstiterunt. Deinde verò iam Athenienſium vnus quisque, prout deinceps intrabat, ad murum contendebat. Et Peloponnesij præsidiarij, primò quidem pauci resistentes vim propulsarunt, & illorum nonnulli ceciderunt. At plerique in fugam se coniecerunt, tum quòd hostium noctu irrumpen-

rumpentium impetum metuerent, tum etiã quòd à Megarensibus proditoribus oppugnarentur. se enim ab vniuersis Megarensibus proditos existimabant. Accidit enim vt Atheniẽsium præco sua sponte ediceret, vt quisquis vellet Megarensium ad Athenienses transiret, arma depositurus. Cùm autem Peloponnesij hoc audissent, nullam moram amplius interposuerunt, sed re vera se ab vtrisque oppugnari existimantes, in Nisæam fuga se recepe-runt. Prima autem luce muris iam captis, & Megarensibus, qui in vrbe erant, metu trepidantibus, illi, qui Athenienſibus fauerant, & alij cum ipsis, [*totaq́*] multitudo, quæ [*proditionis*] erat conscia portas aperiendas, & ad prœlium aduersus hostem prodeundum dicebant. Inter ipsos autem conue-nerat, vt portis apertis Athenienses [*in vrbem*] ir-rumperent. futurum autem erat vt ipsi facilè inter-noscerentur. nam oleo se vncturi erant, ne læde-rentur. Erant autem futuri magis in tuto, si portæ apertæ fuissent. nam (vt inter ipsos conuenerat) quatuor millia peditum grauis armaturæ, & sex-centi equites Athenienſium, qui noctu iter fecerãt, ab Eleusine aduenerant. Et cùm illi inuncti iam ad portas essent, quidam ex conscijs insidias, [*& consi-lium de vrbis proditione initum,*] alteris, [*qui diuersæ factionis erant, & qui rem ignorabant,*] indicat. Illi verò facto agmine frequentes venerunt, & dixe-runt [*nec portas aperiendas,*] nec aduersus hostes ex-eundum, (nam ne antè quidẽ, quamuis essent po-tentiores, hoc facere se ausos fuisse,) nec ciuita-tem in manifestum periculum adducendam. Et nisi quis [*rectè monentibus*] pareret, ibi, [*ad ipsas portas*] pugnam commissum iri [*dicebãt.*] nullo autẽ modo significabant se scire quæ gererentur, [*& quid con-trariæ factionis homines molirentur,*] sed vt qui, quod

factu optimum esset, consulerẽt, in eadem sententia perseuerabant, & simul ad portas permanebant, easque custodiebant. Itaque non licuit insidiatoribus ea peragere, quæ statuerant. Athenienſium autẽ duces animaduertentes aliquid impedimenti accidisse, nec vrbem à se per vim capi posse, Nisæam protinus circumuallare cœperunt. Existimãtes, si, prius quàm aliqui opem [*ei*] ferrent, [*eam*] expugnassent, Megara etiam citius in deditionem ventura. Celeriter autem Athenis allata sunt ferramenta, lapicidæ, & cæteræ res [*ad opus faciendum*] necessariæ. Initio autem facto ab illo muro, quem ipsi tenebant, muroque transuerso Megara versus extructo, ab illo vtrinque [*vsque*] ad mare Nisææ, copiæ [*opus inter se*] partitæ, & fossam [*fodiebant,*] & muros [*ædificabant*] & lapidibus, atque lateribus ex suburbano sumptis vtentes, & arbores, & materiam [*aliam*] cædentes, [*Nisæam*] vallo claudebant. si qua pars alicubi munitione egebat. Ædes etiam, quæ erant in suburbano, pinnis impositis, vsum munitionis præbebant. Et hunc quidẽ diem totum in opus faciendum incubuerunt. Postridie verò circa vesperam murus propemodum absolutus erat. Quare, qui in Nisæa erant, metu perculsi, cum ob commeatus inopiam (eo enim ex vrbe, quæ in loco superiore, nec multum à mari distans erat deuecto, in diem vtentes viuebant) tum quòd existimarent Peloponnesios haud celeriter opem sibi laturos, tum etiam quòd Megarenses hostes esse ducerent, cum Athenienſibus compositionem fecerunt, his conditionibus: Vt singuli quidem traditis armis; certa pecuniæ summa persoluta dimitterentur: de Lacedæmoniis verò, & [*eorum*] duce & si quis alius intus esset, Athenienses arbitratu suo statuerent. Hac igitur compositione his condi-

conditionibus facta exierunt. Athenienſes autem, cùm longos muros ab vrbe Megarenſium abrupiſſent, & Niſæã [*per deditionem*] accepiſſent, ad alia ſe præparabant. Braſidas verò Tellidis filius, Lacedæmonius, per idem tempus fortè circa Sicyonem & Corinthum agebat, exercitum comparãs, quem in Thraciam duceret. cumque muros [*ab Athenienſibus*] captos intellexiſſet, metuens & Peloponneſiis, qui erant in Niſæa, & [*veritus*] ne Megara caperentur, [*nuntium*] mittit ad Bœotos, iubens [*eos*] cum [*ſuis*] copiis ad Tripodiſcum [*ſibi*] obuiam venire. (Eſt autem vicus agri Megarenſis hoc nomen habens, ſub monte Geraneâ ſitus) & ipſe [*eò*] venit cùm duobus millibus, & ſeptingentis Corinthiorum militibus, Phliaſiorum quadringẽtis, Sicyoniorum ſexcentis, & cum iis, quos iam collectos ſecum habebat, quod exiſtimaret ſe Niſæam adhuc inuenturum inexpugnatam. Sed cùm [*rem*] audiſſet (noctu enim egreſſus ad Tripodiſcum contendebat] cum delecta trecentorũ manu, antequã rumor de ipſius aduentu ad hoſtium aures perueniſſet, ad Megarenſium vrbem acceſſit, clàm Atheniẽſibus, qui ad mare erant, cupiens experiri an, vt ipſe prædicabat, ſimul etiam vt re ipſa præſtare cupiebat, Niſæam recuperare poſſet: ſed in primis Megarenſium vrbem ingreſſus confirmare. [*& aduerſus hoſtes tutari cupiens.*] Quare [*Megarenſes*] rogabat vt ſe reciperent, dicens ſe de Niſæa recipienda [*bonam*] ſpem habere. ſed Megarenſium factiones veritæ: illa quidem, ne [*Braſidas*] exulibus [*in vrbem*] contra ſe reductis, ſe ipſum expelleret; hæc verò, ne populus hoc ipſum metuens in ſe faceret impetum, & ciuitas bello domeſtico preſſa, Athenienſibus è propinquo inſidiantibus, periret, [*eum*] non receperunt: ſed vtriſque

placuit, vt quieſcentes euentum rei circunſpicerent, [*ac expectarent.*] Sperabant enim vtrique pugnam commiſſum iri inter Athenienſes, & illos, qui ad opem [*vrbi*] ferendam venerant. atque ita ſibi fore tutius partes ſequi victorum, qui ſibi beneuoli eſſent. Braſidas verò, cùm [*rem ipſis*] perſuadere non poſſet, ad reliquum exercitum retro rediit. Ac primo ſtatim diluculo Bœoti affuerunt, qui in animo quidem habebant, vel antequàm Braſidas [*nuntium ad ipſos*] mitteret, Megaris ſuccurrere, tum quòd hoc periculum à ſe non alienum eſſe ducerent, tum etiam quòd cum frequentibus copiis ad Platæas iam eſſent. Sed cùm nuntius etiam veniſſet, multo magis animati ſunt. Quare duobus millibus grauis armaturæ militum, & ducentis præterea, equitibusque ſexcentis [*ad Braſidam*] miſſis, cum maiore copiarum parte [*domum*] reuerterunt. Cùm autem omnes copiæ militũ grauis armaturæ non minus ſex millium iam adeſſent & Athenienſes ſuorum grauis armaturæ militum aciem inſtructam haberent ad Niſæam, & ad mare, & leuis eorum armatura per campos vagaretur, Bœotorũ equitatus impreſſione in eam ex improuiſo facta, in fugam vertit, & ad mare repulit. nam ante diem illum nulla auxilia ex vllo loco Megarenſibus venerant. ſed cùm & ipſe Athenienſium equitatus ei obuiam procurriſſet, ad manus venerunt, & equeſtre prœlium ad multum diei ſpatium [*inter illos*] eſt commiſſum, in quo vtrique ſe non inferiores fuiſſe putant. nam equitatus Bœoti præfectum, & aliquot alios ad ipſam Niſæam prouectos, Athenienſes [*interfecerunt, &*] interfectos ſpoliarunt. Et iſtorum cadauera, quibus potiti fuerant, fide publica interpoſita [*Bœotis*] reddiderũt, & trophæum ſtatuerunt. Neutri tamen in hoc toto

prœlio

prœlio certum, minimeque dubium pugnæ euentum adepti, dirempti sunt. Sed Bœoti quidem, ad suos, Athenienses verò, ad Nisæam [*se receperunt.*] Postea verò Brasidas, eiusque copiæ propius mare, & Megara accesserunt. Et occupato loco idoneo, acie instructa quiescebant, existimantes fore vt Athenienses contra se venirent, & sciétes Megarenses circunspicere vtrorum esset futura victoria. Vtrunque autem opportunè sibi casurum, [*& è re sua futurum*] existimabant, simul quidem, si [*ipsi hostem*] priores non aggrederentur, nec prœlij periculosi initium sua sponte facerent. si quidem apertè demonstrauerant se ad hostem propulsandũ paratos esse, sibique quodammodo sine puluere, [*& labore*] victoriam meritò tributum iri. simul etiam, quod ad Megarenses attineret, rem [*sibi*] feliciter cessuram. Nisi enim in [*illorum*] conspectum venissent, rem nullo modo in dubium à se vocatum iri; sed procul dubio se [*Megarensium*] vrbe quasi victos, protinus priuatum iri [*putabant.*] Iam verò illud etiam fortasse euenturum [*existimabant,*] vt ipsi Athenienses prœlium detrectarent, atque ita res eas, quarum causa venerant, sibi sine prœlio conseruatum iri [*credebant.*] Quod etiam euenit. Megarenses enim, cùm Athenienses [*ex Nisæa*] egressi, aciem quidem ad longos muros instruxissent, sed tamen ipsi quoque quiescerent, [*Peloponnesius ipsis*] non inuadentibus, quòd ipsorum etiam [*Atheniensium*] duces reputarent sibi, [*& hostibus*] periculum non esse par. nam cùm pleraque feliciter ipsis iam successissent, [*existimabant se,*] si priores prœliũ aduersus copias suis maiores inirent, aut victores Megara capturos, aut victos, amissa præstantissima [*totius*] exercitus parte cladem [*grauissimam*] accepturos. Illos verò, quod exercitum ex omnibus

Pelopõnesij ciuitatibus collectum haberent, cum singulis etiam singularum ciuitatum partibus meritò velle belli fortunam periclitari, & [*quodlibet facinus*] audere. Cùm autem aliquandiu in armis commorati fuissent, & neutra acies alteram aggrederetur, [*vtrique*] discesserunt, prius [*quidem*] Athenienses in Nisæam, deinde verò Peloponnesij [*eò*] vnde venerant. Sic igitur Megarenses, exulum amici, cùm ipsi Brasidæ, vt victori, tum etiam [*cæteris*] ducibus ex [*singulis Peloponnesi*] ciuitatibus [*ad illam expeditionem cum ipso profectis*,] animo magis confirmati, quòd Athenienses tunc pugnare noluissent, portas aperiunt, & cum eo [*in vrbem*] recepto in colloquium veniunt, illis iam timore perculsis, qui Athenienſium partes sequuti fuerant, [*& cum illis de vrbe prodenda egerant.*] Postea verò hic quidem, sociis in vrbes suas dilapsis, & ipse Corinthum reuersus, expeditionem in Thraciam parabat, quò & antè cogitabat. Megarenses verò, qui in vrbe erant, cùm Athenienses quoque domum rediissent, quotquot rebus Athenienſium studuerunt, & consiliorum [*de vrbe prodenda initorum*] maximè participes fuerant, quia sciebant se conspectos [*atque in ipso facinore deprehensos*] fuisse, confestim [*ex vrbe*] se subduxerunt: cæteri verò, colloquio cum exulum amicis habito, eos, qui apud Pegas erant, reduxerunt, cùm eos religiosissimo, sanctissimoque iureiurando obstrinxissent, eos omnem præteritarum iniuriarum memoriam deposituros, optimaque consilia Reipub. daturos. At illi, postquàm Magistratus gerere cœperunt, armaque lustrarunt, dispositis cohortibus, delegerunt ex inimicis, & iis, qui Athenienſium partibus maximè fauisse videbantur, ad centum viros. Cùm autem populum de his suffragia apertè ferre coëgissent,

post-

postquàm [*ab eo*] damnati fuerunt, [*eos*] interfecerunt: & Reipub. statum in Oligarchiam, [*id est, in paucorum dominatum*] maxima ex parte commutarunt, atque hæc status commutatio, quę propter seditionem accidit, sub pauciſſimis diutiſſimè duraruit. Eadem autem æstate, cùm Antandrus à Mitylenæis, quemadmodum constituerant, esset munienda, Athenienſium duces, qui classi ad pecuniam legendam missæ præerant, Demodocus, & Aristides, qui circum Helleſpontum erant (nam Lamachus tertius eorum, cum decẽ nauibus in Pontum abierat) cùm audiſſent locum illum muniri, ipsisque res periculosa videretur esse, ne [*hæc Antandri munitio*] vt Anæa contra Samum esset, vbi Samiorum exules positis sedibus, Peloponneſios in rebus nauticis adiuuabant, gubernatores [*ad ipsos*] mittendo, & Samios, qui in vrbe erant, perturbabant, & [*illos,*] qui vrbe pellebantur, recipiebant. Hac igitur de causa [*Athenienses*] exercitu ex sociis collecto, Antandrum petunt, illisque prœlio superatis, qui inde contra se prodierant, locum illũ iterum recipiunt. Nec multo pòst Lamachus, qui in Pontum nauigauerat, cùm in agro Heracleenſi classem ad Calecis fluuij ripam appuliſſet, [*& in statione collocasset,*] eam amiſit, aquis cœlitus delapſis, & subita vi torrentis deuoluti. Quare cùm ipse, tum eius exercitus itinere pedestri per Bithynos Thraces (qui sunt trans mare in Asia) peruenit Chalcedonem, Megarenſium coloniam, in Ponti faucibus sitam. Eadem ęstate Demoſthenes Athenienſium dux cum quadraginta nauibus Naupactum se contulit statim à diſcesſu ex agro Megarenſi. Nam quidam [*Bœoti,*] qui in ciuitatibus erant, [*illarum*] statum commutare, & in popularem, qualis erat is, quo Athenienſium Respub.

regebatur, conuertere cupientes, cum Hippocrate, & illo de rebus Bœotiis innouandis egerant. Ptęodoro autem exule Thebano potissimùm autore, hunc in modum res præparauerãt. Quidam Siphas per proditionem tradere statuerant. Siphæ autem sunt oppidum agri Thespici maritimum, in sinu Crisæo situm. Chæroneam verò (quæ accensetur Orchomeno, qui prius [*quidem*] Minyæus, nunc verò Bœotius appellatur) alij ex Orchomeno deditури erant. Et Orchomenij exules præcipuè [*eos ad rem peragendam*] adiuuabant, & homines ex Peloponeso mercede conducebant. Chæronea autem est oppidum in extremis Bœotiæ finibus situm, Phanotidem versus, quæ est in agro Phocensi. & nonnulli Phocenses cum cæteris colonis in ea habitabant. Oportebat autem Athenienses occupare Delium, Apollinis templum, in agro Tanagræo situm, Eubœam versus. Simul etiam hæc ipsa fieri [*oportebat*] condicta die, ne Bœoti frequentibus copiis ad opem Delio ferendam vndique concurrerent: sed de suis ipsorum rebus quique soliciti ad eas tutandas proficiscerentur. Et, si conatus iste feliciter successisset, & Delium muro clausum fuisset, facilè sperabant, etiam si non protinus aliquid innouaretur in Rerumpub. Bœotiarum statu; si hæc loca occupata fuissent, & ager latrociniis infestaretur, & singulis breui locorum spatio perfugium esset, res in eodem statu non permansuras: sed temporis progressu, Athenienses, si se adiunxissent iis, qui defeciſſent, illi verò [*Bœoti*] non frequentes, [*vt antè,*] copias haberent, res illas in statum [*sibi*] commodum, [*suæq; democratiæ conuenientem*] adducturos. Hæc igitur consilia inita fuerant. Hippocrates autem cũ vrbanis copiis, quum tempus opportunũ afforet, ipse quidem bellum Bœotis

tis illaturus erat. Demosthenem verò cum quadraginta nauibus Naupactum præmisit, vt coacto ex illis locis exercitu Acarnanum, & cæterorum sociorum, ad Siphas nauigaret, vt [*à proditoribus*] prodendas. Dies autem inter eos constituta fuerat, qua die hæc confici oportebat. Demosthenes autem, cùm [*eò*] peruenisset, & Oenidas ab vniuersis Acarnanibus in Athenienſium societatem adactos nactus, [*& complexus*] fuisset, & ipse omnia sociorum, qui in illa regione erant, auxilia euocasset, aduersus Salynthium, & Agræos primùm cum exercitu profectus, cæterisque rebus in suam potestatẽ redactis, sese præparabat, vt, quando opus esset, ad Siphas [*suis*] occurreret. Brasidas autem per hoc ipsum æstatis tempus, cum mille, & septingentis grauis armaturæ militibus ad obeundas res Thraciæ pergens, vbi peruenit Heracleam, quæ est in agro Trachinio, vbi etiam Panærus, Dorus, Hippolochidas, Torylaus, & Strophachus Chalcidenſium hospes, [*ad eum*] ad Melitiam Achaiæ [*oppidum*] venerunt, (ipse enim nuntium ad suos necessarios Pharsalum præmiserat, [*eos*] rogans, vt se, suasque copias [*per Thessaliam*] deducerent) ita demum tũc ire perrexit. alioqui enim Thessaliam sine duce, præcipuè verò cum armis pertransire difficile erat. Atque adeò pariter omnibus Græcis res erat suspecta, per finitimorum regionem venia non impetrata transire. Perpetuoque Thessalorum plebs Athenienſibus erat beneuola. Quare nisi Thessali patrio instituto, [*Regulorum*] dominatu potius, quàm iuris æquabilitate vsi fuissent, [*Brasidas profectò*] nunquam vlterius progressus fuisset. Siquidem vel tũc alij contrariæ factionis [*Thessali*] ei iter facienti, ad flumen Enipeum obuiam iuerunt, eumque [*transire*] prohibebant, & [*illos*] iniustè facere dicebant,

quòd [*Braſidas*] ſine publica totius gentis autoritate tranſiret. Illi verò, qui [*Braſidam*] deducebant, dixerũt ſe nec ipſis inuitis eum traducturos: ſed, cùm ad ſe repentè aduenisſet, ſe pro hoſpitij neceſſitudine, quæ ſibi cum eo intercederet, eum deducere. Quinetiam ipſe quoque Braſidas dicebat ſe Theſſalorum agro, ipſisque amicum [*illac*] tranſire, & Athenienſibus hoſtibus ſuis, nõ autem ipſis [*Theſſalis*] bellum inferre: nec vllas ſcire inter Thaſſalos, & Lacedæmonios inimicitias, quæ impedirent ne alteri alterorum ſolo vterentur. ſeque ipſis inuitis nunc [*vlterius*] non progreſſurum. nec enim poſſe. veruntamen [*ſe ipſos*] orare ne [*tranſitu*] prohiberetur. Illi verò his auditis abierunt. Braſidas autem, hortatu ductorum, antequàm plures [*ad ipſius iter*] prohibendum conuenirent, nuſquam ſubſiſtens curſu perrexit. Et eodem die, quo Melitia diſceſſerat, Pharſalum peruenit, & ad flumen Apidanum caſtra poſuit. illinc verò ad Phacium, & inde in Perœbiam [*iuit.*] Illincque iam Theſſalorum quidem ductores [*domum*] reuerterunt. Perœbi verò, qui ipſorum Theſſalorum imperio parent, ad Dion vſque ipſum deduxerunt, quod oppidum in Perdiccę ditione, ſub Olympo Macedoniæ monte, Theſſaliam verſus, eſt ſitum. Hoc igitur modo Braſidas Theſſaliam curſu celeriter tranſiuit, antequàm vllus ad [*ipſius iter*] impediendum paratus eſſet. & ad Perdiccam, & in agrum Chalcidenſem peruenit. Nam qui in Thracia ab Athenienſibus defecerant, & Perdiccas, quoniam res Athenienſium ſecundæ, [*& florentes*] erant, ſibi metuentes, exercitum ex Peloponneſo eduxerant. Et Chalcidenſes quidem [*Peloponneſios ad opem ſibi ferendam euocauerãt.*] quòd Athenienſes primùm contra ſe venturos ſuſpicarentur. Simul autem & finitimæ ipſorum ciuitates,

quæ

quæ nõ defecerant, [*Athenienſes aduerſus ipſos*] clàm concitabant. Perdiccas verò [*copias ex Peloponneſo euocauerat,*] non quòd apertè [*Athenienſium*] hoſtis eſſet: verùm quòd & ipſe priſtinas cum Athenienſibus diſcordias reformidaret, præcipuè verò, quòd Arrhibæum Lynceſtarum Regem in ſuam poteſtatem redigere cuperet. Præſens autem Lacedæmoniorum calamitas ipſis opportunè cecidit ad exercitum ex Peloponneſo faciliùs educendum. Quòd enim Athenienſes cùm cæteræ Peloponneſo, tum verò potiſſimùm ipſorum [*Lacedæmoniorum*] agro [*ſemper*] immínerent, [*Lacedæmonij*] ſperabant fore vt præcipuè [*hoc modo*] ipſos [*à ſua regione infeſtanda*] auerterent, ſi viciſſim [*ipſi quoque ipſos*] infeſtarent, copiis ad ipſorum ſocios miſſis. Præſertim [*cùm Perdiccas, & Chalcidenſes*] parati eſſent ad [*hunc exercitum*] alendum, ipſoſque [*Lacedæmonios*] ad defectionem [*ab Athenienſibus*] faciendam accerſerent. Simul etiam [*Lacedæmonij magnam*] Helotum, [*ac ſeruorum ſuorum partem*] per ſpecioſam [*auxilij mittendi*] cauſam [*ex agro Laconico*] emittere cupiebant, ne propter præſentem rerum ſtatum, Pylo [*ab Athenienſibus*] occupata, aliquid noui molirentur. nam hoc quoque patrarunt, quòd ipſorum iuuentutem, & multitudinem reformidarent, (ſemper enim apud Lacedæmonios multa erant inſtituta, vt ſibi ab Helotum inſidiis cauerent) ipſis præceperunt, vt, quotquot ex ipſis ſe fortiſſimè contra hoſtes pugnaſſe perſuaſum haberent, ij ſecernerẽtur, quòd eos libertate donare ſtatuiſſent, [*hoc modo*] mentem illorum explorantes, & exiſtimantes prout vnus quiſque primus ſe libertate dignum eſſe cenſuiſſet, ſic etiam hos ipſos potiſſimùm, præ animi elatione, impetum in ſe facturos. Quare cùm ad duo millia [*delegiſſent, & cæteris Helotibus*] ante-

posuissent, hi quidem templa coronati circumiuerunt, vt libertate donati. Illi verò non multo pòst, ipsos ex hominum conspectu sustulerunt, nec dum quisquam nouit quonam modo eorum vnusquisque perierit. Tunc autem septingentos ex ipsis armatos cum Brasida libenter dimiserunt: cæteros verò [*Brasidas*] ex Peloponneso mercede conductos eduxit. Lacedæmonij autem ipsum Brasidam [*eundi*] maximè cupidum [*eò*] miserunt. Quinetiam ipsi quoque Chalcidenses eum propensis animis expetiuerunt, [*summoq; studio efflagitarunt.*] tũ quòd vir consilio, manuque ad omnia promptus Spartæ haberetur, tum etiam quòd ex quo [*illinc*] egressus esset, [*propter egregiam operam variis in rebus patriæ fortiter nauatam*] Lacedæmoniis cõmendatissimum se reddidisset. Quòd enim statim ab initio se iustũ, & moderatum erga ciuitates præbuisset, multa loca ad defectionem impulit, alia verò per proditionẽ cepit. Ex quo Lacedæmoniis euenit, vt, si compositionem facere vellent (quod fecerunt) facta locorum permutatione, ea restituerẽt, quæ cepissent, & reciperent, quæ amisissent, vtque Peloponnesus bello leuaretur. Atque multo post in bello, quod res in Sicilia gestas est insequutum, illa Brasidæ virtus, & prudentia, qua tunc est vsus, quòd alij quidem, re ipsa [*virtutes eius*] experti fuissent, alij verò fama [*de virtutibus eius sparsa permoti, talem eum esse*] iudicarent, Athenienſium socios, amicitiæ Lacedæmoniorum maximè cupidos effecit. Nam cùm primus illinc prodisset, ac omnibus in rebus vir bonus visus fuisset, firmam opinionem [*in omnium animis*] reliquit, cæteros quoque [*Lacedæmonios*] eius esse similes. Tũc igitur Athenienses, postquàm eum in Thraciam peruenisse intellexerunt, cùm ipsum Perdiccam [*suæ Reipub.*] hostem esse iudicarunt,

runt, quòd eum huius [*hostilis*] aduentus autorem esse ducerent tum etiam apud socios, qui in illa regione erant, firmiora præsidia collocarunt, [*vt eos in officio, fideq; continerent.*] Perdiccas autem Brasida, eiusque copiis statim assumptis, cum suo exercitu bellum Arrhibæo Bromeri [*filio,*] Lyncestarũ Macedonum Regi, sibi finitimo, intulit, cùm propter controuersiam, quæ ipsi cum eo intercedebat, tum etiam quòd eum in suam potestatẽ redigere cuperet. Cùm autem cum suis copiis, & Brasida ad Lynci ingressum peruenisset, tunc Brasidas dixit se velle, priusquàm bellum Arrhibæo inferretur, eum conuenire, verbisque (si posset) ad societatem cum Lacedæmoniis faciendam inducere. nam & ipse Arrhibæus per caduceatorem [*Lacedæmoniis*] nuntiauerat, se paratum esse ad [*rem*] Brasidæ arbitro committendam. Et Chalcidensium legati, qui vnâ aderant, ipsum commonefaciebant ne in Perdiccæ gratiam pericula subiret, vt ad suas etiam res constituẽdas eius opera promptiore vti possent. Quin etiam Perdiccæ legati Lacedæmonem missi tale quiddam iactauerant, multa [*ipsum*] ex sibi finitimis circà locis ad illorum societatem adducturum. Hac igitur de causa Brasidas ex publica vtilitate rebus Arrhibæi fauere malebat. Perdiccas verò negabat se eo consilio Brasidam adduxisse, vt suarum controuersiarum arbiter esset: sed potius hostium destructor, quos ipse denuntiasset. eumque iniustè facturum [*dicebat,*] si se dimidium eius exercitus adente, in colloquium cum Arrhibæo veniret. Brasidas tamen [*Perdicca*] inuito, ac repugnante conuenit [*Arrhibæum*] eiusque verbis adductus, exercitum abduxit, priusquàm in eius agrũ irruptionem feciſſet. Perdiccas verò ab eo tempore pro dimidia tertiam stipendij partem [*eius exercitui*] dedit,

quòd iniuriam ſibi ab eo fieri putaret. Eadem æſtate, continuò Braſidas, ſecum ducens & Chalcidenſes, paulo ante vindemiæ tẽpus, Acantho Andriorum coloniæ bellum intulit. Acanthij verò, cùm illi, qui Chalcidenſibus fauentes eum euocatum adducebant, tum etiam ipſa plebs, inter ſe contendebant, vtrum eum recipere deberent, nécne. Veruntamen propter metum fructuum, qui foris adhuc erant, multitudo Braſidæ verbis ad eum ſolum [*in vrbem*] recipiendum inducta, ea conditione vt eo audito conſultaret, eum recepit. cùm autem [*Braſidas*] concionem adiſſet (erat autem non indiſertus, vt Lacedæmonius) hæc verba fecit:

BRASIDAE CONCIO.

Quòd ego, atque exercitus, viri Acanthij, à Lacedæmoniis [*huc*] emiſſi fuerimus, apertè declarat veram eſſe cauſam, quam belli initio prædiximus, nos, vt Græciam in libertatem vindicemus, bellum Athenienſibns eſſe facturos. Sed ſi ſerò venimus, decepti opinione belli, quod in illis regionibus geritur, qua ſperabamus fore, vt ſine veſtro periculo Athenienſes debellaremus, nemo [*nos*] reprehendat. Nunc enim, quum facultas eſt data, venimus, & vobiſcum operam dabimus, vt eos debellemus. Miror verò quòd portas mihi clauſeritis, & ſi meus aduentus vobis ingratus acciderit. Nos enim Lacedæmonij, exiſtimantes nos venturos ad eos, qui vel priuſquã ad ipſos re ipſa peruenirſemus, animo ſaltem ſocij eſſent, & [*noſtrum aduentum*] vobis gratum fore, tantum periculum ſubiimus, per alienum agrum iter multorum dierum facientes, ſummumque ſtudium exhibẽtes. Vos verò, ſi quid aliud in animo habetis, aut ſi veſtræ ipſorum, &

cæte-

cæterorum Græcorum libertati obsistatis, [*hoc profectò*] graue fuerit. nam non solùm quia vos ipsi obsistitis: verùm etiam quia cæteri [*Græci,*] quos adiubo, [*vt eos in libertatem vindicem,*] se mihi minus adiungẽt: [*cùm aliis de causis,*] tum etiam hac difficultate permoti; quòd vos, ad quos primùm accessi, & qui vrbem opibus, & autoritate florentem obtinetis, & qui prudentes habemini, [*me*] non receperitis. neque [*huius vestri facti*] vllam probabilem causam afferre potero, sed [*videbor*] aut falsam libertatem [*Græcis*] afferre, aut [*huc*] venisse imbecillis, ac inualidus ad propulsandam Atheniensium vim, si [*vos*] inuaserint. Atqui Athenienses, quamuis copias maiores haberent, tamen cum hoc exercitu, quem nunc habeo, quum ad Nisæã profectus sum, vt opem ei ferrẽ, confligere non sunt ausi. Quamobrem haud verisimile videtur ipsos tantum copiarum contra vos esse missuros, quantus est classiarius exercitus, qui est ad Nisæam. Et ipse huc veni non vt vllo maleficio vos afficiam: sed vt Græcos in libertatem vindicem. Et Lacedæmoniorum Magistratus religiosissimo iureiurãdo obstrinxi fore, vt socios, quos ego saltem ipsis adiunxero, liberos esse, [*suisq; legibus viuere*] sinant. simul etiam [*huc ab ipsis sum emissus,*] non vt vos socios habeamus, aut per vim, aut per fraudẽ [*nobis*] adiunctos: sed contrà, vt vobis ab Athenienſibus in seruitutẽ redactis, in bello contra illos gerendo socij simus. Quapropter æquum esse censeo, vt neque suspectus sim [*vobis,*] præsertim cùm maximã, [*ac inuiolabilem*] fidem [*vobis*] dem, neque vindex infirmus existimer, [*qui vim hostilem, si qua vobis inferatur, propulsare nequeam:*] vtque confidenter vos [*mihi*] dedatis. Quòd si quis fortè priuatim sibi ab aliquo metuens, [*veretur*] ne ego ciuitatem aliqui-

bus tradam, [*& ideo ad deditionem faciendam*] minimè promptus est, [*is*] omniũ maximè [*suspicione, metuq; deposito*] confidat. neque enim [*huc*] venio, vt factiones alam, neque existimo me [*vobis*] certam libertatem affetre, si patrio instituto neglecto, aut plebem nobilitati, aut nobilitatem plebi addicam. Nam [*huiusmodi libertas*] grauior esset, quàm externum hominum alienigenarũ imperium, nobisq; Lacedæmoniis pro laboribus susceptis nulla gratia haberetur, sed potius pro honore, & gloria, culpa [*tribueretur, & infamiæ nota inureretur.*] Et nos ipsi [*grauius ac*] odiosius [*imperium*] quærete videremur, quàm qui virtutem non profitetur, propter quæ crimina, [*id est, quo nomine*] Athenienses bello persequimur. Nam illis saltem, qui [*ampla*] dignitate sunt præditi, turpius est fraude speciosa res domesticas amplificare, [*& imperium quærere,*] quàm vi aperta. Nam vis quidem, iure potentiæ, quam fortuna dedit, infertur. Fraus verò, ab insidiis iniusti propositi grassatur. Adeò magnam circunspectionem adhibemus in iis, quæ nostra maximè intersunt. Neque verò præter iusiurandum, maiorem fidem accipere possitis, quàm ipsa facta, quæ si ex verbis perpendantur, [*& cum ipsis conferantur,* necessariam opinionem [*vobis*] præbent, [*& cogunt vos credere, hæc*] è re vestra etiam esse, vt dixi. Quòd si me [*vobis*] ista proponente, [*& conditiones istas offerente,*] dicatis vos non posse quidẽ [*deditionem facere:*] sed tamen, quòd nobis beneuoli sitis, existimetis [*nos*] reiicendos, ita vt nullo maleficio à nobis afficiamini, & [*dicatis*] libertatem, [*quam vobis offero*] vobis videri cum periculo coniunctam esse, & æquum esse eam illis offerre, qui etiam eam accipere possunt, nullum verò inuitum cogere: Deos, & Heroas indigenas testabor,

me

me bono vestro venientem nihil verbis proficere. Quare vestrum agrum vastans, vos cogere conabor. nec amplius existimabo me iniustè facere: sed vel duabus de causis necessariis æquitatem à me stare [*censebo.*] partim quidem, propter Lacedæmonios, ne hac vestra beneuolentia, nisi deditionem feceritis, [*à vobis*] lædantur, [*ac oppugnentur*] pecuniis, quas Athenienſibus penditis; partim verò, ne [*cæteri*] Græci à vobis impediantur, ne seruitute liberẽtur. nec enim decẽter hæc faceremus. ac ne debemus quidem [*nos*] Lacedæmonij [*Græcos*] inuitos in libertatem asserere, nisi alicuius boni publici causâ. Neque verò dominatum affectamus, sed potius cùm alios, [*qui dominatum affectant,*] coercere studeamus, pleriſque [*Græcis*] iniuriam faceremus, si nos, qui libertatem vniuersis afferimus, vos [*huic*] resistentes toleraremus. Quamobrem rectè consultetis, operamque seriò detis, vt [*cæteris*] Græcis primi libertatis capessendæ autores existatis, & sempiternam gloriã [*vobis*] pareris, & cùm ipsi vestrarum priuatarum rerum nullam iacturam faciatis, tum etiam vniuersæ ciuitati pulcherrimum [*libertatis*] nomen imponatis. Atque Brasidas quidem hæc verba fecit. Acanthij verò, multis prius in vtranque partem dictis, cùm propter Brasidæ verba ad persuadendum apposita, tum etiam propter fructuum amittendorum metum, suffragiis clàm latis, plerique defectionem ab Athenienſibus faciendam censuerunt. Et cùm ipsum ad illud iusiurandũ adegissent, quod summi Lacedæmoniorum Magistratus iurauerant, quum ipsum emiserant, nimirũ fore vt socij, quos [*Lacedæmoniis*] adiungeret, suis legibus vterentur, [*liberiq; viuerent,*] ita demum [*eius*] exercitum receperunt. Nec multo post Stagirus etiam Andrio-

rum colonia defecit. Sequentis autem hyemis initio ſtatim, quòd Hippocrati, & Demoſtheni Athenienſium Imperatoribus res Bœotorũ eſſent tradendæ, & oporteret Demoſthenem quidẽ cum claſſe ad Siphas [*ei*] occurrere, illum verò ad Delium [*proficiſci*,] facta aberratione à diebus [*conditis*,] quibus vtrunque cum ſuis copiis [*ad locum deſtinatum*] ire oportebat, Demoſthenes quidem, cùm prius ad Siphas appuliſſet, & Acarnanas, & multos ex illis locis ſocios in ſua claſſe haberet, voti ſui compos fieri non potuit, inſidiis per Nicomachum, virum Phocenſem, ex Phanoteo, detectis, qui [*rem*] Lacedæmoniis indicauit: illi verò, Bœotis. cumque omnes Bœoti ad opem [*Siphis*] ferendam vndique concurriſſent, (nondum enim Hippocrates in [*eorum*] regione erat, ita vt [*eos*] infeſtare poſſet) Siphæ, & Chæronea [*à Bœotis ante illius aduentum*] occupata ſunt. Cùm autem illi, qui res nouas moliebantur, erratum animaduertiſſent, in ciuitatibus nihil innouarunt. Hippocrates verò excitato, [*ſecumq; educto*] omni Athenienſi populo, ciuibus, incolis, & peregrinis, quotquot aderant, poſterior ad Delium peruenit, cùm Bœoti à Siphis iam reuerſi eſſent. ibiq́ue poſitis caſtris, Delium, Apollinis templum, hoc modo munire cœperunt. Foſſam circa templũ, & fanum ducebant; & humũ ex ipſa foſſa egeſtam pro muro aggerebant, & vallos [*in eam*] defigebant; & vineæ, quæ circa templum erat, materiam exciſam interſerebant; lapides etiam, & lateres ex proximis ædificiis, quæ diruta erant, detrahebant; omni denique ratione munitionem illam excitare, [*& ad iuſtam altitudinem erigere*] conabantur: turresq́ue ligneas poſuerunt, vbi locus opportunus eſſe videbatur: faniq́; nullum erat ædificium, nam vbi porticus erat, ciderat.

Cùm

cùm autem tertio die ex quo domo discesserant, opus aggressi fuissent, cùm huncipsum diem, tum etiam quartum, & quintum vsque ad prandij tempus in opere faciendo consumpserũt. Deinde cùm maxima [*munitionis*] pars fuisset absoluta exercitus quidem à Delio decem fermè stadia recessit, vt domum reuertens, statimq; leuis armaturæ milites (qui erant maxima totius exercitus pars) discesserunt. at grauis armaturæ milites castris [*ibi*] positis quiescebant, [*nec vlterius progrediebantur.*] Hippocrates verò [*in Delio*] adhuc subsistens, & custodias, & quicquid reliquum erat, quod circa propugnacula conficiendum esset, constituebat. Per hos autẽ dies Bœoti Tanagram conueniebant. Et postquàm ex omnibus ciuitatibus affuerunt, & cognouerunt Athenienses accedere, vt domum se reciperent, cæteris Bœotarchis (qui sunt vndecim) prœlium dissuadentibus, quòd [*Athenienses*] in Bœotia non amplius essent: (Athenienses enim, quum castra posuerunt, erant ferè in Oropiæ confiniis) Pagondas Æoladi [*filius,*] vnus ex Bœotarchis Thebanis, cum Arianthide Lysimachi [*filio,*] quòd imperium [*tunc*] penes ipsum esset, prœlium [*ibi*] comittere cupiens, & existimans satius esse belli fortunam periclitari, singulas cohortes adhortatus, ne frequentes aciem instructam deserent, Bœotis persuasit, vt aduersus Athenienses irent, & prœlium committerent, his verbis: Ne in mentem quidem cuiquam nostrum, qui Magistratum gerimus, viri Bœoti, venire oportuerat, non esse rationi consentaneum, nos cum Atheniensibus confligere, nisi ipsos in Bœotia adhuc deprehenderimus. Bœotiam enim, munitionibus in in ea extructis, ex agro finitimo profecti, sunt vastaturi. Ergo sunt hostes, quocunque in loco de-

prehenſi fuerint, & vndecunque profecti hoſtília facinora patrarint. Iam verò ſi cui [*non pugnare*] tutius eſſe videbatur, is mutet ſententiam. Nec enim prouidentia conſiderationem æquè patitur in iis, quos alius inuadit, & quorũ ager [*cum omnibus bonis, quæ in eo ſunt*,] in diſcrimen vocatur, atque [*in eo*,] qui ſua quidem poſſidet: ſed plura affectans, vltro bellum aliis infert. Vobisque patrium eſt inſtitutum, externum exercitum vos inuadentem, pariter & in veſtro, & in alieno ſolo propulſare. Quamobrem Athenienſes, eosq; præterea [*vobis*] finitimos, multo magis [*propulſare*] decet. Nam ita demum cuiuſque ciuitatis libertas firmè retinetur, ſi adſit potentia, quæ finitimis populis reſiſtere valeat. cùm iis verò, qui non ſolùm finitimos: ſed etiam remotos in ſeruitutem redigere conantur, quo modo vel ſummo cum periculo certandum non fuerit? Exemplum autem ob oculos propoſitũ habemus, cùm Euboenſes trans fretum ſitos, tum etiam cæteræ Græciæ magnam partem, [*quo modo ab ipſis tractetur, &*] quo modo erga ipſos ſit affecta. Et [*oportet*] ſcire, cæteros quidem de agri finibus cum gentibus finitimis dimicare. nobis verò ſi vincamur, vnicum minimè dubium finem in vniuerſa [*noſtra regione*] ſtatutum iri. nam [*in eam*] ingreſſi, rebus noſtris per vim potientur. Adeò iſtorum accolarum propinquitas nobis magis, quàm aliis eſt periculoſa? Qui enim potentiæ confidentia (vt nunc Athenienſes) arma vicinis inferunt, illum quidem, qui eſt quietus, [*& pacis ſtudioſus*,] & qui in ſuo agro tantùm ſe defendit, confidentius inuadere conſueuerunt. At eum, qui extra [*ſui agri*] fines [*hoſti fortiter*] occurrit, & qui, ſi occaſio fuerit, belli facit initium, minus promptè bello premere [*ſolent*.] Huius autem

tem rei documẽtũ aduersus istos habemus. cùm.n. eos ad Coronæam vicissemus, quo tẽpore propter nostras seditiones agrũ [*nostrum*] occupatum tenebant, magnam Bœotiæ securitatẽ ad hoc vsq; tempus præstitimus. Quorum nos memores operam dare oportet, vt & maiores natu, [*nostri similes simus, & præclara*] facinora [*à nobis*] prius edita, [*nunc*] imitemur; & minores natu, qui filij sumus patrũ illorũ qui tũc viri fortes fuerunt, ne domesticas virtutes, [*laudesq;*] dedecoremus: sed persuasum habentes Deum à nobis staturum, cuius fanum isti nefariè muro septum tenent, & sacrificiis freti, quæ nobis immolantibus lætum, ac felicem rerum euentum promittunt, aduersus hos tendamus, [*& manus cum ipsis conseramus,*] & demonstremus [*ipsis, ipsos*] obtinere posse ea, quæ concupiscunt, si bellum [*ignauis, & vim hostilem*] non propulsantibus inferant. Illos verò, quorum patria, ac innata generositas fert, vt & suum ipsorũ [*agrum*] pugna semper liberent, [*eiusq; libertatem fortiter tueantur,*] nec alienum in seruitutem iniustè redigant, non permissuros, vt [*isti*] è suis finibus sine certamine discedãt. Pagondas his verbis Bœotos adhortatus, persuasit [*ipsis,*] vt irent aduersus Athenienses. Confestimque motis castris exercitum eduxit. Iam enim erat serum diei. Et cùm ad ipsorũ [*hostium*] castra prope accessisset, in loco subsistens. vnde colle interiecto, alteri alteros conspicere non poterant, aciem instruxit, & ad prœlium se præparauit. Hippocrates autem, qui apud Delium erat, cùm ei nuntiatum fuisset Bœotos aduersus [*Athenienses*] venire, mittit ad exercitum, imperans vt in suos quique ordines se reciperent, nec multo pòst ipsi adfuit, relictis fermè trecentis equitibus circa Delium, tum ad loci custodiam, si qua manus ipsum adoriretur,

tum etiám vt, occasione obseruata, Bœotos in ipso prœlio à tergo aggrederentur. Bœoti verò his [*milites*] opposuerunt, qui vim ipsorum propulsarent. cùm autem omnes ipsorũ res rectè haberent, in summo colle [*hostibus*] apparuerunt, & cum armis [*ibi*] substiterunt, acie instructa, vt pugnaturi erant: septem fermè grauis armaturæ millia, leuis verò, supra decem millia, equites mille, & peltati quingenti. Dextrũ autem cornu tenebant Thebani, eorumque socij. Medij verò [*erant*] Haliartij, Coronæi, & Copæenses, cæteriq; Stagni accolę. Sinistrum verò tenebant Thespienses, Tanagræi, & Orchomenij. In vtroque autem cornu erat equitatus, & leuis armatura. Et Thebani quidem, milites in quinos, & vicenos in longitudinem digesserant. reliqui verò [*instructi erant*,] vt cuique contigit. Atque hic quidem erat Bœotorum apparatus, hæcque aciei instructæ ratio. Athenienses verò, quamuis hostibus numero pares essent, tamen totum grauis armaturæ exercitũ in octonos tantùm milites in longitudinem digesserunt. Equitatus verò in vtroq; cornu erat. sed leuis armatura, consultò quidem instructa, nec vlla tunc aderat, nec in vrbe erat. Sed & illa, quæ [*cum Hippocrate*] ad istam expeditionem exierat, quamuis hostes numero longè superaret, tamen magna ex parte inermis erat, quippe quòd totus exercitus ex peregrinis promiscuè, & ciuibus, qui [*tunc*] aderant, collectus esset. Quare vt primùm domum ire cœperunt, non affuerunt nisi pauci. Cùm autẽ in acie iam starent, & mox concursuri essent, Hippocrates dux ad Athenienſium exercitum aduenit, hisq; verbis [*eum ad rem fortiter gerendam*] est adhortatus:

HIPPOCRATIS AD MILITES ADHORTATIO.

Breuis

Breuis quidem erit, ô Athenienſes, hæc adhortatio: ſed apud viros fortes idem valet [*breuis, ac longa oratio, hacq; adhortatione vtar*] potiùs vt vos cõmonefaciã, quàm vt [*quicquã vobis*] imperẽ. Nemini autẽ veſtrum in mẽtem veniat, nos in alieno [*ſolo,*] quaſi res noſtra nõ agatur, tantũ periculum ſubire. Nam in iſtorum [*agro*] pro veſtro certamen eſt futurum. Et, ſi vicerimus, Peloponneſij ſine iſtorum equitatu in veſtrum agrum nunquam irrumpent. Vno autem prœlio & iſtum [*veſtro*] adiungatis, & illum in maiorem libertatem vindicetis. In eos igitur impetum faciatis è dignitate ciuitatis, quam vnuſquiſque [*veſtrum*] patriam habet, & quam inter Græcas ciuitates principem eſſe gloriatur, & [*è dignitate*] veſtrorum maiorum, qui duce Myronide, iſtis ad Oenophyta prœlio ſuperatis, Bœotiã quondam tenuerunt. Cùm autem Hippocrates his verbis [*ſuos milites*] adhortaretur, & ad mediam vſque exercitus aciem iam progreſſus eſſet, nec maiorem eius partem ocius adire amplius poſſet, Bœoti, ipſi quoque, cùm Pagondas eos celeriter adhortatus fuiſſet, illicóque pæana cecinìſſet, de colle [*in Athenienſes*] ſignis infeſtis ferri cœperunt. Athenienſes verò & ipſi in eos è diuerſo prodierunt, curſuque conflixerunt. ſed vtriuſque exercitus extremæ partes ad manus non venerunt: at idem [*incommodum vtraque*] ſunt paſſæ. nam aquarum riui, [*alueiq; torrentium eas*] impediuerunt. Cætera verò acies conſtitit pugnans acriter, & clypeis, [*ac umbonibus aduerſarium*] repellere connitẽs. Et ſiniſtrum quidem Bœotorum cornu, vel ad mediam vſque ipſius partem, ab Athenienſibus victum eſt, & [*Athenienſes*] cùm alios, qui in ea parte collocati fuerant, tum verò præcipuè Theſpienſes inſequuti ſunt. Nam cùm milites, qui prope ipſos [*Theſpienſes*] fuerant inſtru-

cti, se recepissent, & [*reliqui*] in angusto [*loci spatio ab Athenienſibus*] circũuenti fuissent, qui ex ipsis Thespiensibus perierunt, in ipso conflictu se defendentes concisi fuerũt. Quinetiam nonnulli Athenienses, in hoste circumueniendo perturbati, [*& permisti,*] se mutuis vulneribus interfecerũt, quòd se non internoscerent. Ab hac igitur parte Bœotorum exercitus superatus est, & ad eã, quæ pugnabat, confugit. Dextrum verò, in quo ipsi Thebani erant, Athenienses superauit. & cùm [*Thebani*] paulatim [*ipsos*] repulissent, primùm insequebantur. Accidit autem vt, cùm duæ equitum turmæ à Pagonda circum collem clàm circummissæ fuissent (cùm sinistrum ipsorum cornu laboraret) eoque superato [*hostibus*] repentè apparuissent, Athenienſium cornu, quod vincebat, existimans alium exercitũ contra se venire, grauiter timere cœperit. Quare cùm Athenienses vtrinque iam premerentur, cùm ab his, [*qui præter eorum expectationem aduenerant,*] tum à Thebanis insequentibus, & [*eorum ordines*] dissoluentibus, vniuersus ipsorum exercitus in fugam se coniecit. Et alij quidem ad Delium, & mare cursu contenderunt, alij verò ad Oropum, alij ad Parnetha montem, alij verò aliò, vt quibusque salutis spes ostendebatur. Bœoti verò [*eos*] insequentes cædebant, & præcipuè ipsorum equites, & Locri, qui illis dudum in fugam versis, [*Bœotis*] auxilio venerant. Sed cùm nox suo interuentu prœlium impedisset, fugientium turba faciliùs dilapsa salutem sibi peperit. Postridie verò, cùm ij, qui erant Oropi, tum etiam ij, qui erant in Delio, præsidio [*ibi*] relicto (nam, [*quamuis ab hoste victi fuissent,*] id tamen adhuc tenebant) domũ mari se receperunt. Et Bœoti, erecto trophæo, suorumque cadaueribus susceptis, hostiumque [*cadaueribus*] spoliatis, & præsidio relicto,

relicto, Tanagram redierunt. Et consilia de oppugnando Delio inibant. Caduceator verò, qui ab Athenienſibus miſſus fuerat, vt ipſorum cadauera [*à Bœotis*] repeteret, iter faciẽs, obuiam fit Bœotorum caduceatori, qui cùm ipſum reuocaſſet, & dixiſſet eum nihil acturum, priuſquàm ipſe domum reuertiſſet, cùm coram Athenienſibus ſtetiſſet, expoſuit mandata Bœotorum, [*demonſtrans*] eos nefariè feciſſe, qui iura Græcorum violarint. Omnium enim eſſe inſtitutum, vt, quum alienum agrum inuadũt, à templis, [*locisq; ſacris*,] quæ in eo ſunt, abſtineant. Athenienſes verò Delium communiſſe, ac incolere, & quæcunque in profano [*loco*] homines facere ſolent, hæc omnia in illo fano [*ab his*] fieri. aquam etiam, quam ſibi [*Thebanis*] attrectare nefas eſſet, niſi in ſacrificiorum vſu, ad manus abluendas, haurire, [*& ad alios profanos vſus ea abuti.*] Quare cùm Dei, tum ſua ipſorum cauſa Bœotos, inuocantes Dæmones, communes agri ſui prę ſides, & Apollinem, edicere, vt è templo excedãt, ſua ſecum abſportantes. Cùm caduceator hæc dixiſſet, Athenienſes ſuo caduceatore ad Bœotos miſſo, negarunt ſe vllam iniuriam tẽplo feciſſe, nec in poſterum ſua ſponte ſe vllo modo id læſuros. nam ne initiò quidem ſe hac de cauſa id ingreſſos eſſe [*dicebant*:] ſed potius, vt illinc eos, qui iniuriam ſibi facerent, vlciſcerentur. Eſſe autem Græcorum inſtitutum, vt, penes quos fuerit imperium cuiuſque regionis, ſiue magnæ, ſiue paruæ, ſemper etiam penes eoſdem ſint & ipſa templa, iis ceremoniis culta, quibus coli poſſunt, præter eas, quæ moribus iam ſunt receptæ. Etenim Bœotos, aliosq; permultos, quotquot agrum aliquem priſtinis colonis per vim expulſis incolunt, aliena templa primùm inuaſiſſe, & nunc ea pro ſuis poſſidere. Quare ſe quoque, ſi amplio-

rem illorum agri partem in ſuam poteſtatem redigere poſſent, eam retenturos [*dicebant.*] Iam verò ſe ex ea parte, in qua erant, vtpote ex ſuo [*agro,*] nequaquam ſua ſponte diſceſſuros. Aquam etiam ſe neceſſitate coactos mouiſſe, ad quam [*neceſſitatem*] ſe non per inſolentiam impulſos fuiſſe: ſed, dum illos vlciſcuntur, qui priores in ſuum agrum irruperant, ea vti coactos fuiſſe. Conſentaneum autem eſſe, veniam aliquam vel ab ipſo Deo dari omnibus, qui bello, aut aliqua alia periculi neceſſitate coacti aliquid admittunt. Etenim delictis non voluntariis aras [*Deorum*] eſſe refugium, ſceleriſque nomen impoſitum illis flagitiis, quæ quis nulla neceſſitatis vi compulſus admittit, non autem illis, quę homines rebus aduerſis coacti committere audent. Ipſosque multo magis impiè facere, qui pro templis, [*locisq; ſacris*] militum cadauera reſtituere vellent, quàm eos, qui templis, [*eorumq; reſtitutione*] nollent recuperare ea, quæ deceret. Planè autem iubebant [*ſuum caduceatorem*] illis declarare, ſe non receſſuros ex Bœotorum agro. Se enim non amplius in illorum agro eſſe: ſed in eo, quem armis quæſiſſent. Sed tamen ex patriis inſtitutis, [*ſe poſtulare, vt*] factis induciis, [*& fide publica interpoſita, ſibi per eos, ſuorum*] cadauera ſuſcipere [*liceret.*] Bœoti verò reſponderunt, ſiquidem [*Athenienſes*] in Bœotia eſſent, vt ex ſuo agro diſcedentes, res ſuas abſportarent. Sin in illorum, ſe ſcire quid faciendum eſſet. Exiſtimantes agrum Oropium (in quo contigerat, vt illorum milites, pugna in cõfiniis commiſſa, cæſi iacerent) Athenienſium quidem eſſe, quòd illorum imperio ſubiectus eſſet: ſed tamen ipſos nunquam ſe inuitis, ſuorum cadaueribus potituros. Pro illorum autem agro nullas inducias faciendas, [*nec vllam fidem publicam ipſis dandam*]

cen-

censebant. Illud verò responsum, [*quo dicebant,*] vt [*Athenienses*] ex suo [*Bœotio agro*] abirent. & reciperent ea, quæ repetebant, honestum esse [*ducebant.*] Athenienſium autem caduceator his auditis re infecta discessit. Et Bœoti protinus accersitis ex sinu Meliaco iaculatoribus, & funditoribus, cùm duo quoque grauis armaturæ militum Corinthiorum millia, post prœlium commissum, auxilio ipsis venissent, & præsidiarij Peloponesiorum milites, qui ex Nisæa [*ab Athenienſibus per deditionem capta*] discesserant, & Megarenses vnâ cum ipsis, aduersus Delium castra mouerunt, & munitionem oppugnare cœperunt: & cùm alio oppugnationis genere [*eam*] tentarunt, tum etiam machinam, quæ eam cepit, admouerunt, hunc in modum factam. Cùm ingentem antennam in duas partes secuissent, omnem excauarunt, eamque rursus vt fistulam aptè commiserunt, & in ipsa extrema lebetem catenis appenderunt, & fistula tota ferrea ad flatum ciendum, ex antenna prominens, in ipsum [*lebetem*] demittebatur, & [*antenna*] magnâ etiam reliqui ligni partem ferro præmunitam habebat. Hanc autem machinam ex longinquo spatio carris aduectam admouerunt muro, qua parte potissimùm vitibus, lignisque constructus erat. Et cùm propè [*murum*] esset, grandibus follibus ad antennæ caput, quod ad ipsos spectabat, applicitis, flatum ciebant. flatus autem, qui per [*arctum antennæ bene commissæ*] foramen, in lebetem, habentem prunas, & sulphur, & picem, [*confertus rectâ*] ferebatur, ingentẽ flammam excitauit, & murum incendit, ita vt nullus super eum amplius consistere poterit: sed [*omnes eo*] deserto in fugam sese dederint, & munitio hoc modo capta fuerit. Præsidiariorum autem alij quidem ceciderunt, ducenti verò capti fuerunt. Cæterorum

verò multitudo naues conscendit, domumque se recepit. Cùm autem decimoseptimo die à pugna commissa Delium receptum fuisset, & caduceator, qui ab Athenienſibus [*ad Bœotos antè*] missus fuerat, rerum gestarum prorsus ignaros, [*ad eosdem*] non multo pòst iterũ venisset cæsorum [*recipiendorum*] causa, Bœoti [*eos*] reddiderunt, nec amplius idem, [*quod antè*] responderunt. In illa autem pugna perierunt, ex Bœotis quidem, paulo pauciores quàm quingenti, ex Athenienſibus verò paulò pauciores quã mille, & Hippocrates [*eorũ*] imperator. At militum leuiter armatorũ, & lixarum magnus numerus. Post hanc pugnam, Demosthenes etiam paulo pòst (cùm ipsi tunc ad Siphas per proditionem occupandas profecto res non succeſſisset) cum ccpiis Acarnanum, & Agræorum, & Athenienſium quadringentis grauis armaturæ militibus, quos in sua classe habebat, egressus est in agrum Sicyonium. Et priusquàm omnes [*eius*] naues [*eò*] appellerent, Sicyonij ad sua tutanda celeriter profecti, eos, qui in terram egressi fuerant, fugauerunt, & ad naues vsque persequuti sunt: & [*eorum*] alios quidem interfecerunt, alios verò viuos ceperunt. Et trophęo erecto, cæsos suis pace sequestra reddiderunt. sub eosdem dies, quibus res ad Delium gesta est, Sitalces etiam Odrysarum Rex, cùm bellum Triballis intulisset, & prœlio victus fuisset, excessit vita. Seuthes verò Sparadoci [*filius,*] qui erat ipsius ex fratre nepos, [*ei succeſſit, ac*] Odrysarum, & cæteræ Thraciæ, cui & ille imperauerat, regnum obtinuit. Eadem hyeme, Brasidas cum sociis, quos habebat in Thracia, Amphipoli ad Strymonem fluuium sitæ, Athenienſium coloniæ, bellum intulit. Hunc autem locum, in quo nunc vrbs est sita, primùm quidem & Aristagoras Milesius, ‖ quum Regem Darium

rium fugeret, colonia [*hûc*] deducta condere tentauit: sed ab Edonis expulsus fuit. Deinde verò & Atheniēses, duobus, & triginta pòst annis, [*hûc*] missis decem millibus incolarum, tum suorum, tum aliorum, quotquot ire voluerant, qui apud Drabescum à Thracibus interfecti fuerunt, [*eundem locum condere sunt conati.*] Rursus etiam [*idem*] Athenienses vnde tricesimo anno [*hûc*] reuersi, Agnone Niciæ [*filio.*] coloniæ duce emisso, expulsis Edonis, hanc vrbem condiderunt, quæ prius Nouem viæ vocabatur. Eïonem autem belli sedem fecerant, vnde proficiscebantur, quam ipsi maritimum emporium in fluuij ostio situm tenebāt, quinque, & viginti stadiis distans ab vrbe, quæ nunc est, quam Agnon [*ideo*] vocauit Amphipolim, quòd à Strymone hinc inde alluueretur, & ab vtroque latere cingeretur, muroque longo à fluuio ad fluuium ducto circunseptam, conspicuam mare versus, & continentem, coloniam condidit. Brasidas igitur castris ex Arnis agri Chalcidensis [*vrbe*] motis, cum suis copiis aduersus hanc [*vrbem*] proficiscebatur. Et cùm circa solis occasum ad Aulonē peruenisset, & Bromiscum, qua Bolbe stagnum in mare ingreditur, cœnaturusque, noctu ire perrexit. cœlum autem erat turbidum, & subningebat, quo etiam lubentiùs iter susceperat, quòd Amphipolitanos, qui in vrbe erant, præter proditores, latere vellet. Nam in ea erant cùm Argiliorum nonnulli (Argilij autem sunt Andriorum coloni) domicilium illic habentes, tum etiam alij, qui proditionis huius erant socij, partim quidē à Perdicca, partim verò à Chalcidensibus [*ad hoc faciendum*] inducti. Sed potissimùm Argilij, tum quòd proximè habitarent, tum quòd Athenienſibus semper essent suspecti, & huic vrbi insidiarentur, postquàm occasio oblata est, & Brasidas aduenit, qui vel multo antè egerat cum il-

lis [*Argiliis,*] qui illic degebant, vt vrbs [*Amphipolin*] dederetur, tunc in [*Argilum ſuam*] vrbem eum receperunt, & cùm illa nocte defectionem ab Athenienſibus feciſſent, [*Braſidæ*] copias ad fluuij pontem deduxerũt. Vrbs autem [*à ponte*] diſtat amplius, quàm [*ripa fluminis ab oppoſita ripa, quâ per pontem erat*] tranſitus. nec [*vlli*] muri [*tunc*] erant erecti, quemadmodum nũnc: ſed quoddam modicũ præſidium ibi collocatum erat. Quod cùm facilè Braſidas repuliſſet, ſimul proditionis, ſimul tempeſtatis, ſimul etiam aduentus repentini beneficio, pontem tranſiuit, & Amphipolitanorum extra [*vrbem*] habitantium res, quæ in toto illo loco erant, ſtatim in ſuam poteſtatem redegit. Cùm autem eius tranſitus illis, qui in vrbe erant, inopinatus accidiſſet, & eorum, qui extra erant, multi caperentur, alij verò ad muros, [*vrbemq;*] fuga ſe reciperent, Amphipolitani in magna trepidatione conſtituti fuerunt, præſertim quòd mutuò ſuſpecti eſſent. Ferunt autem Braſidam, ſi cum ſuis copiis ad prędam ſe conuertere noluiſſet: ſed ad vrbem ſubitò contendiſſet, omnium opinione eam fuiſſe capturum. Iam verò ille caſtris [*ibi*] poſitis, in ea, quæ extra erant, excurſiones fecit, & cùm per eos, qui intus erant, nihil ipſi ſuccederet, quemadmodum expectabat, quieuit, [*& incœpto deſtitit.*] Qui verò proditoribus erant aduerſarij, cùm numero longè ſuperiores eſſent, ita vt impedirent ne [*vrbis*] portæ aperirentur, [*nuntios*] miſerunt cum Eucleo duce, qui ab Athenienſibus [*miſſus*] ad vrbis præſidium apud ipſos erat, ad alterum ducem, qui erat in Thracia, Thucydidem Olori [*filium,*] qui hæc conſcripſit, in Thaſo agentem, (eſt autem inſula, Pariorum colonia, ab Amphipoli diſtans fere dimidiati diei nauigatione) [*eum*] rogantes, vt opem ſibi ferret. Ille verò hac ade-

re audita, cum septem nauibus, quæ fortè [*tunc illic*] aderant, [*ad opem ipsis ferendam*] iuit. Volebat autem potissimùm quidem Amphipolin, antequàm vlla deditio fieret; sin minus, Eionem præoccupare. Interea verò Brasidas, tum quòd metueret nauium auxilium è Thaso [*venturum*,] tum quòd audiret Thucydidem in illa Thraciæ parte fecturas aureas, & officinas aurarias possidere, atque hinc opibus valere inter primores eorum, qui continentem incolebant, vrbem, si posset, anticipare festinanter conabatur, ne, si ipse [*Thucydides eò*] perueniret, plebs Amphipolitana, sperans ipsum & classe, & sociorum auxiliis ex Thracia coactis se, [*vrbemq; suam periculo liberaturum, &*] conseruaturum, iam sese dedere recusaret. Quare deditionis conditiones æquas [*Amphipolitanis*] offerebat, edicto per præconem in hæc verba facto, vt Amphipolitanorum, ac Athenienſium, qui in vrbe erant, quisquis vellet, pari, eodemque ciuitatis iure fruens, in suis bonis maneret: qui nollet, is abiret, suas fortunas exportans, intra quinque dies. Plebs verò [*hoc*] audito, sententiam mutauit, præsertim quòd Athenienſium quidem in vrbe habitantium exiguus esset numerus, maior verò [*incolarum*] pars esset [*turba*] promiscua, [*quæ ex diuersis ciuitatibus eò confluxerat.*] Quinetiam multi, qui intus erant, erant propinqui illorum, qui extra capti fuerant, & præ metu edictum æquum esse existimabant: Athenienses quidem, quòd [*illinc*] exire vehementer cuperent, tum quia non paria pericula sibi imminere ducebant, tũ etiam quia nullũ auxilium sibi celeriter latum iri putabant. Cætera verò multitudo, tum quòd æquabili ciuitatis iure non priuarentur: tum etiam quòd præter opinionem periculo liberarentur. Quare cùm illi, qui cum Brasida [*de vrbis deditione*] ege-

rant, iam vel palàm affirmarent æquas esse conditiones, [*quas ille offerebat,*] postquàm animaduerterunt ipsam quoque plebem mutasse sententiam, neque Athenienſium duci, qui aderat, aures amplius præbere, [*ita demum*] facta est conuentio, & [*Brasidam in vrbem*] receperunt illis conditionibus, quas per præconem edixerat. Atq; illi quidem hoc modo vrbem [*Brasidæ*] dediderunt. Thucydides verò, eiusque naues eodem die serò, [*post solis occasum*] Eïonem appulerunt. Et Amphipolin quidem Brasidas modò occupauerat, Eïonem verò quin occuparet, per unam duntaxat noctem stetit. Nisi enim naues ad opem [*ei*] ferendam celeriter venissent, simul atque dies illuxisset in eius potestatem redacta fuisset. Postea verò, Thucydides quidem res Eïone constituebat, vt & in præsentia, si Brasidas [*eam*] inuaderet, & in posterum quoque tuta esset, receptis iis, qui ex fœdere, [*& deditionis conditionibus*] ex superioribus, [*ac mediterraneis locis*] abscedere voluerant. Ille verò, cùm ad Eïonem secundo flumine cum multis nauigiis repentè vectus fuisset, si fortè lingula, quæ [*mare versus*] à muris excurrit, occupata, fluminis ostio poriretur, quin etiam cùm [*eam*] simul à terra tentasset, vtrinque [*pariter*] est repulsus. Quare ad res Amphipolitanas instruendas, [*& componendas*] se contulit. Et ad eum defecit Myrcinus ciuitas Edonensis, Pittaco Edonorum Rege, à Goaxis liberis, & Braure ipsius vxore cæso. nec multo pòst & Gampselus, & Oesime [*idem fecerunt,*] sunt autem istæ [*ciuitates*] Thasiorum coloniæ. Perdiccas autem, qui statim post [*Amphipolim*] captam adfuerat, [*Brasidam*] in his rebus constituendis adiuuabat. Amphipoli autem capta, Athenienses vehementer trepidare cœperunt, præsertim quòd hæc ciuitas ipsis esset perutilis,

lis, tum propter materiam ad naues ædificãdas aptam, quæ illinc mittebatur, tum propter pecuniarum prouentum, [*& vectigalia, quæ inde pendebantur*,] tum etiam quòd aduersus ipsorum socios ad Strymonem vsque, Thessalis deducentibus, accessus Lacedæmoniis [*iam*] pateret. Nam nisi [*Lacedæmonij*] pontem in sua potestate habuissent, quòd à superiore quidem [*pontis*] parte, [*quæ loca mediterranea spectabat*,] ingens, longeque patens flumnis palus esset, ab illa verò parte, quæ Eïonem spectabat, [*Athenienses*] cum sua classe [*transitum*] seruarent, [*illos*] haudquaquam vlterius progredi posse [*existimabant*.] Tunc verò facilis [*accessus*] iam esse existimabatur. Et [*ideo*] verebantur ne socij deficerent. Nam Brasidas cùm in cæteris [*rebus*] se moderatum præbebat, tum verò verbis vbique declarabat se [*à Lacedæmonijs*] ad Græciam liberandam emissum. Quare cùm ciuitates, quæ Atheniensium imperio parebant, audirent & Amphipolim captam, & quæ [*vir ille*] præstabat, illiusque mansuetudinem, tunc ad res nouandas maximè erectæ fuerunt. Et caduceatores ad eum clàm mittebant, rogantes vt [*ad se*] accederet, & pro se quique ad illum primi deficere cupientes. nam impunitas ipsis [*fore*] videbatur, [*& sine periculo se defectionem facturos sperabant*,] partim quidem, quòd falso putassent Athenienſium potentiam non esse tantam, quantam postea manifestè fuisse constitit: partim verò, quòd incerta voluntate magis, quàm certa prouidentia [*ita*] iudicarẽt. Homines enim id quidẽ, quod cupiunt, inconsideratæ spei permittere, quod verò non cupiunt, id rationis pertinacia reiicere consueuerunt. Præterea tum quòd Athenienses cladem in Bœotia recens accepissent, tum quòd Brasidas verbis ad animos ho-

minum alliciendos appositis vteretur, nec vera referret, Athenienses non ausos esse confligere secum apud Nisæã, vbi suum exercitum solum haberet, confidebant, & nullum contra se venturũ credebant. Potissimùm verò, propter rerum nouarum studium, quod in præsentia voluptatem [*ipsis*] afferebat; simul etiam quòd [*tunc*] primùm Lacedæmoniorum, qui [*belli gerendi*] cupiditate flagrabant, periculum essent facturi, ad quoduis discrimen adeundum erant parati. Quæ cùm [*Brasidas & Athenienses*] intellexissent. Athenienses quidem, vt in illis temporum angustiis, & hyeme licebat, [*præsidia*] in vrbes dimiserunt. Ille verò, cùm nuntium Lacedæmonem misisset, [*alias*] copias, [*præter eas, quas iam habebat, ad se*] mitti iubebat, & ipse ad Strymonem ad naues compingendas se accingebat. Lacedæmonij verò, partim quidem propter inuidiam, qua ciuitatis principes eius gloriæ inuidebant; partim verò, quia suos ciues in insulæ [*Sphacteria*] captos recuperare, bellumque finire malebant, [*copias, quas petebat,*] ipsi non suppeditarunt. Eadem hyeme, Megarenses, cùm longos muros, quos Athenienses ipsis ereptos tenebant, recuperassent, eos æquarunt solo. Brasidas verò post Amphipolin captam, cum sociorum exercitu, quem habebat, profectus est in Acten, quæ sic vocatur. Hæc autem à fossa, quam Rex [*Persarum*] fecerat introrsus prominet, & Athos ipsius mons excelsus ad Ægæũ pelagus terminatur. Vrbes verò continet, Sanen, Andriorum coloniam, ad ipsam fossam, mare versus, quod Eubœam spectat, & alias, Thyssum, & Cleonas, & Acrothoos, & Olophyxum, & Dion, quæ à promiscuis barbarorum bilinguium gentibus habitantur. Quinetiam exigua quædam gentis Chalcidicæ pars [*illic*] inest; sed

sed maxima [*gentium illarum*] pars est Pelasgica, ex illis Tyrrhenis, qui Lemnum, & Athenas quondam incoluerunt, & Bisaltica, & Crestonica, & Edonica. Habitant autem in paruis oppidulis. Harum pleræque ad Brasidam defecerunt: sed hanc, & Dion [*ipsi*] restitit. Et [*ideo Brasidas*] illic habens statiua, regionem ipsarum vastabat. sed cùm imperata facere nollent, continuò castra mouit aduersus Toronam Chalcidicam, quam Athenienses tenebant. Ipsumque pauci quidam, qui vrbẽ dedere parati erant, [*ad eò veniendum*] solicitabant. Et cùm [*eò*] peruenissent dum adhuc nox esset, iam circa primum diluculum, cum exercitu consedit ad Castoris, & Pollucis templum, quod ab vrbe tribus ferme stadiis distat. Atque cæteris quidem Toronæis, qui in vrbe erant, & Athenièsibus, qui ibi præsidio erant, eius aduentus erat ignotus. sed qui cum eo de vrbis proditione egerãt, cùm eum venturum scirent, & aliquot ex ipsis ad eum clam accessissent, ipsius aduentum obseruabant. Cùm autem eum iam adesse sensissent, ad se deduxerunt septem viros, qui nulla alia arma præter pugiones habebant. Tot enim duntaxat ex viginti viris, quibus primùm negotium fuerat, ingredi non dubitarunt: (Lysistratus verò Olynthius ipsos ducebat) qui cùm per murũ ad mare vergentem, [*in vrbem*] clàm penetrassent, & in summam arcem ascendissent, milites præsidiarios, qui in ea erant (vrbs enim in colle sita erat) interfecerunt. & portulam, quæ Canastræum versus erat, perfregerunt. Brasidas verò cum cæteris quidem copiis aliquantulum progressus, quiescebat: sed centum peltatos præmisit, vt, simul ac portæ aliquæ apertæ fuissent; & signum, de quo inter eos conuenerat, sublatum fuisset, primi irrumperent. Atque hi quidem, cùm

mora fieret, & mirarentur [*quænam esset huius moræ causa,*] paulatim ad vrbem accedebant. Toronæi verò, qui cum [*Brasidæ militibus iam*] ingressis, in vrbe rem adornabant, cùm portulam perfregissent, & portas, quæ ad forum ducebant, diffracto vecte aperuissent, primum quidem quosdam per portulam circunductos introduxerunt, vt oppidanos rerum, quæ gerebantur, prorsus ignaros, & à tergo, & ab vtroque latere repentè aggressi terrerent. Deinde verò ignis signum, quod conductum fuerat, sustulerunt, & per portas, quæ ad forum ducebant, iam reliquos peltatos [*in vrbem*] receperunt. Brasidas autem signo, de quo inter ipsos conuenerat, conspecto, cursu contendit, cum suis copiis excitatis, quæ clamore simul sublato metum ingentem oppidanis incusserunt. Atq; alij quidem portinus per portas irruperũt, alij verò per trabes quadrangulares, quæ muro collapso, qui reficiebatur, ad saxa tollenda erant appositæ. Brasidas igitur, totaque multitudo confestim ad superiorem, ac eminentiorem vrbis partem se conuertit, quòd eam à summo, & prorsus occupare vellet, [*vt eius arce, locisq; superioribus occupatis eam in sua potestate firmius teneret.*] Reliqua verò multitudo per omnes [*vrbis*] partes nullo discrimine discurrebat. At Toronæorum, dum vrbs caperetur, maior quidem pars rerum ignara tumultuabatur, [*& vehementer trepidabat.*] proditionis verò autores, & quibus hæc placebant, statim se coniunxerunt cum iis, qui ingressi erant. Athenienses verò (erant enim grauis armaturæ milites ad quinquaginta, qui in foro dormiebant) cùm hoc sensissent, aliquot quidem ipsorum, qui in eorum manus inciderant, cæsi sunt, reliqui verò, partim itinere pedestri, partim ad duas naues, quæ excubias agebant, fuga se recipientes, euaserunt

uaserunt in Lecythum, præsidium, quod ipsi tenebant, occupata arce, quæ angusto Isthmo ad mare intercepta erat. Confugerunt autem ad eos & Toronæorum, quotquot eorum erant studiosi. Cùm autem dies iam illuxisset, & vrbs constanter teneretur, Brasidas Toronæis quidem, qui ad Athenienses confugerant, & cum ipsis erant per caduceatorem edixit, vt quisquis vellet, ad sua egressus, sine metu, [*libereq;*] in ciuitate ex patriis institutis viueret. Athenienses verò, caduceatore ad eos misso, accepta fide, & sua absportantes, Lecytho, quippe quòd Chalcidensium esset, exire iussit. Illi verò se quidem [*locum*] non deserturos dixerunt: sed tamen postularunt, vt sibi per vnius diei spatium ad suorum cadauera suscipienda fidem daret. Hic verò fide publica interposita duos [*dies ipsis*] concessit. His autem [*diebus*] & ipse vicina ædificia firmauit, & Athenienses sua. Et consilio Toronæorum coacto, iisdem verbis apud ipsos, quibus & apud Acanthios, est vsus: Non esse æquum, eos, qui secum de vrbe dedẽda transegissent, existimari aut [*cæteris*] deteriores, aut proditores esse. nec enim pecuniis inductos hoc fecisse, vt ciuitatẽ in seruitutem redigerent: sed publici cõmodi causa, vt eam in libertatẽ vindicarent. nec [*æquũ esse*] eos qui [*eorundem consiliorum de vrbis deditione initorum*] participes nõ extitissent, existimare [*se*] non iisdẽ [*bonis*] fruituros, [*quibus illi, quorum opera vrbs dedita fuisset.*] se enim [*eò*] venisse [*dicebat*] non perdendam ciuitatem, aut aliquem priuatum. Idcirco autem se edictum proposuisse illis, qui ad Athenienses confugerant, quòd [*eos cæteris*] haud deteriores censeret, ob amicitiam, quæ ipsis cum illis intercessisset. neque se existimare ipsos, vbi periculum fecerint ipsorum Lacedæmoniorum, minus beneuolos ipsis

fore: sed multo magis [*beneuolos ipsis fore*,] quanto magis [*Lacedæmonij, quàm Athenienses*,] se viros æquos præstant. Iam verò [*illos*] propter imperitiam, [*quòd Lacedæmoniorũ, ipsorumq; fidei nullum periculum adhuc fecissent*,] territos fuisse [*dicebat.*] Omnes autem hortabatur, vt [*animis*] se præpararent ad societatem, [*quam cum Lacedæmoniis inirent*,] constanter tuendam, & ad omnium eorum, quæ iam posthac peccarent, culpam sustinendam. nam quod ad res præteritas attineret, nulla se iniuria affectos esse: sed illos potius ab aliis potentioribus, & siquid [*sibi*] fuissent aduersati, veniam [*ipsis*] esse dandam. Hic igitur, cùm hæc dixisset, eosque bono animo esse iussisset, vbi [*induciarum, &*] fidei datæ tempus præteriit, Lecythum oppugnare cœpit. Athenienses verò è munitione parum firma, & ex ædificiis pinnas habentibus sese defendebant. Et vnum quidem diem [*vim hostilem*] propulsarunt. Postridie verò, cùm aduersarij machinam ipsis essent admoturi, ex qua ignem in ligneas munitiones iniicere in animo habebant, cumque exercitus iam accessisset ad eam partem, ad quam potissimum, [*Athenienses*,] machinam ab ipsis admotum iri putabant, & quâ [*munitio*] maximè expugnari poterat, ligneam turrim ædificio impositam [*ei*] opposuerunt, & multas aquæ amphoras, & dolia, & ingentia saxa [*eò*] comportarunt. multique mortales [*illuc*] ascenderunt. Ædificium autem, quòd onus suscepisset grauius, quàm quod sustinere posset, repentè disruptum est: editoque ingenti fragore, Athenienses quidem, qui prope erant, & rem cernebant, maiore dolore, quàm metu affecit. Qui verò procul aberant, præcipuè verò remotissimi quique, existimantes munitionem ab illa parte iam esse captam, fuga ad mare, & ad naues contenderunt. Brasidas verò, cùm animad-

nimaduertisset ipsos [*propugnaculi*] pinnas deseruisse, & videret id, quod acciderat, cum suis copiis irruens, munitionem confestim capit. & quotquot in ea deprehendit, interfecit. Tunc Athenienses quidem, cum hoc modo locum illum deseruissent, nauigiis, nauibusque, Pallenen se receperunt. Brasidas verò (nam in Lecytho erat Palladis templum, &, cùm eam esset oppugnaturus, per præconis vocem edixerat, se triginta argenti minas ei daturum, qui primus murum conscendisset) ratus illum locum aliqua alia, quàm humana ratione captum, cùm illas triginta minas Deæ, ad templum [*ædificandum*] dedit, tum etiam euersa Lecytho, eaq; refecta, totum eius solum [*illi*] dicauit. Atque hîc quidem reliquum hyemis tempus consumpsit tum in locis, quæ tenebat, stabiliendis, tum in clandestinis consiliis ineundis, quibus alia in suam potestatem redigeret. Hac autem hyeme exacta, octauus belli annus excessit. Ineunte autem sequentis æstatis vere, Lacedæmonij, & Athenienses statim annuas inducias fecerunt: Athenienses quidem, quòd existimarent Brasidam nullam, præterea suorum [*sociorum*] ciuitatem ad defectionem faciendā amplius impulsurum, priusquàm ad bellum se per otiū comparasset, simul etiam, si res sibi feliciter succederet, se compositionem, [*pacemq;*] diuturniorem facturos. Lacedæmonij verò, quòd putarent Athenienses ea metuere, quæ reapse metuebant, datoq; malorum, ac miseriarum laxamento, vbi [*pacis*] periculum fecissent [*pacisq; commoda gustassent*] maiore compositionis, [*pacisq;*] faciendæ desiderio flagraturos, sibiq; restitutis viris, [*quos in insula Sphacteria ceperant, & Athenas transportarant,*] ad pacem vel diuturniorem faciēdam promptiores futuros. Plurimi enim faciebant suos ciues recuperare, dum

Brasidas adhuc rem feliciter gereret. Nam si ipse [*Brasidas*] maiores progressus [*in bello singulos in dies*] fecisset, & res æquasset, futurum erat, vt his quidé [*suis ciuibus*] priuarentur. cùm illis verò [*Atheniensibus,*] æquis viribus certantes, belli fortunam periclitarentur, illosque fortasse vincerent. Inducię igitur inter ipsos, ipsorumque socios factæ sunt, in hæc verba: Quod ad templum, atque oraculum Apollinis Pythij attinet, nobis placet, vt qui velit, sine fraude, & sine metu ex patriis institutis [*eo*] vtatur. Atque Lacedæmoniis quidem, eorumque sociis, qui adsunt, hæc placent. Dixerunt autem se Bœotis, & Phocensibus [*hoc*] pro virili parte persuasuros, caduceatore [*ad ipsos*] misso. Quod verò attinet ad Dei pecuniam, operam dare [*placet*] vt fontes cõperiamus, patriis institutis vtentes [*vtrique,*] & nos, & vos, & ex aliis, quicunq; voluerint, omnes [*eodem modo,*] patriis institutis vtentes. De his igitur placuit Lacedæmoniis, cæterisque eorum sociis (si Athenienses pacem [*cum Lacedæmoniis*] faciant) vt vtrique in suo [*agro*] maneant, retinentes [*ea*] quæ nunc habemus. hi quidem, *Lacedæmonij*] intra Coryphasium, [*&*] intra Buphradem, & Tomeum manentes. hi verò, [*Athenienses*] intra Cythera, ita vt neutri cum alteris societate sese permisceant, neque nos cum ipsis, neque ipsi nobiscum commercium habeant. Qui verò sunt in Nisæa, & Minoa, ne transeant viam, quæ est à Pylis ad Nisi [*sacellũ, &*] ad Neptnui delubrũ, & à Neptuni delubro statim ad pontẽ, qui Minoá spectat. Neq; Megarenses, eorumq; socij hanc viam transeant, & insulã, quam Athenienses ceperunt, neutriq; cum alteris vltro, citroq; commercium habeant: eaque [*Megarenses*] retineant, quæcunque in Trœzene nunc habent, & de quibuscunque inter ipsos, &

Athe-

Athenienſes conuenit. vtque mari vtantur [*liberè euntes*] cùm per omnes agri ſui partes, tum per eas, quæ ad ipſorum ſocios pertinent. Item vt Lacedæmonij, eorumque ſocij nauigent naui non longa: ſed alio nauigio, quod remis agatur, & ad quingẽtorum talentorum pondus vehat. Item vt caduceatori, & legatis, eorumque comitibus, quotcunque [*ipſis*] placuerit [*ſecum adductis vti*] belli finiendi, & controuerſiarum [*dirimendarum*] cauſa, in Peloponneſum, aut Athenas euntibus, ac redeũtibus, terra, marique fœdera ſunt. Interea verò neutri transfugas, aut liberum, aut ſeruum recipiant. Item vt & à vobis apud nos, & à nobis apud vos cauſa dicatur ex patriis inſtitutis, vt controuerſiæ iure, ſine bello dirimantur. Atque Lacedæmoniis quidem, eorumque ſociis hæc placent. Quod ſi quid aut honeſtius, aut iuſtius his eſſe vobis videtur, Lacedæmonem profecti docete. nihil enim eorũ, quæ iuſta eſſe demonſtraritis, aut Lacedæmonij, aut eorum ſocij recuſabunt. Qui autem [*eò*] proficiſcentur, proficiſcantur cum [*libera, ac abſoluta rei arbitratu ſuo tranſigendæ poteſtate, ac*] auctoritate, quẽadmodum vos quoque nos [*facere*] iubetis. Hæc autem fœdera ad [*integrum*] annum durabunt. [*Ita*] placuit populo. Acamantis magiſtratum Prytaneum gerebat, Phænippus ſcriba erat, Niciades erat Epiſtates, [*id eſt, vnius tantùm diei magiſtratum gerens Decemuiris præerat.*] Laches pronũtiauit, Quod felix, fauſtumque ſit Athenienſi populo, inducias fieri, prout Lacedæmonij, eorumque ſocij conſentiunt. Et [*magiſtratus*] inducias annuas eſſe coram populo ſpoponderunt. Harum autem initium fieri ab hoc die, qui eſt decimus quartus Elaphebolionis, [*id eſt, Februarij*] menſis. Hoc interim tempore vtrorunque legatos, atque caduceatores, inui-

cem adeuntes, tractare qua ratione bellum sedari, [*paxq; fieri posßit.*] Concione autem ab Imperatoribus, & Prætoribus aduocata, primum, [*& ante omnia*] populum Athenienſem de pace consultare, prout [*ad ipſum*] legatio de bello ſedando venerit. Et primo quoque tempore legatos, qui aderunt, factis induciis apud populum ſpondere, ſe annum integrum inductarum conuentis ſtaturos. Atque hæc ſunt pacta, & conuenta, quæ inter Lacedæmonios, & Athenienſes, ac vtrorumque ſocios facta, ac de communi vtrorunque ſententia iurata fuerunt Geraſtij apud Lacedæmonios menſis die duodecimo. Horum autem pactorum, & conuentorú autores, [*ac ſponſores*] exſtiterunt, ex Lacedæmoniis iſti, Taurus Echetimidæ, Athenæus Pericleidæ, Philocharidas Euryxidaidæ. Ex Corinthiis, Oeneas Ocytæ, Euphamidas Ariſtonymi. Ex Sicyoniis, Damotimus Naucratis, Onaſimus Megaclis. Ex Megarenſibus, Nicaſus Cecali, Menecrates Amphidori. Ex Epidauriis, Amphias Eupæidæ. Ex Athenienſibus, Imperatores, Nicoſtratus Diotrephis, Nicias Nicerati, Autocles Tolmæi [*filius.*] Atque hæ quidem inductiæ factæ ſunt, & quandiu durarunt, [*vtrique*] in colloquium de rerum maiorum fœderibus perpetuò venerunt. Per hos autem dies, quibus [*alteri ad alteros*] adibant, Scione apud Pellenen ciuitas ab Athenienſibus ad Braſidam defecit. Scionæi autem ſe Pellenenſes quidem eſſe dicunt, ex Peloponneſo [*oriundos;*] ſed ſuos maiores, cùm à Troia nauigarent, tempeſtate, qua Achiui iactati fuerunt, in eum locum delatos fuiſſe, ibiq; ſedes poſuiſſe. Cùm autem illi defeciſſent, Braſidas noctu Scionem traiecit, triremi quidem præeunte, ipſe verò ſcapha vectus eminus [*eam*] ſequens, vt, ſi fortè in aliquod nauigium [*ſua*] ſcapha maius incideret,

cideret, triremis opem ipsi ferret. Si verò alia pari magnitudine triremis aduenisset, [*quæ ipsum insequeretur,*] existimabat [*illam*] non recta venturam contra minus [*nauigium,*] sed contra triremem, & se interea saluti suæ consulturum. Cùm autem [*eo*] traiecisset, & Scionæorum concionem aduocasset, eadem [*ibi*] dixit, quæ & Achanti, & Toronæ. Addebat præterea ipsos maxima laude dignos esse, qui, cùm Pellene in Isthmo ab Athenienſibus Potidæam tenentibus sit intercepta, [*& quodammodo ab illis obsideatur,*] cumque nihil aliud sint, quàm insulani, tamen sua sponte ad libertatem transierint, neque per ignauiam expectarint, vt sibi necessitas imponeretur, qua manifestum domesticum bonũ sequi cogerentur. Hoc autem argumẽto esse, ipsos vel ad quoduis aliud summum discrimen fortiter subeundum paratos fore, vt res ex animi sententia constituantur: ac re vera se fideliſſimos Lacedæmoniorum amicos illos existimaturum esse, & aliis honoribus affecturum. Scionæi autem huius verbis elati sunt, omnesque pariter animis confirmati, vel illi, quibus antè res, quæ gerebantur, minime placebant, & bellum alacriter ferre constituerunt, & Brasidam cùm aliis rebus honorificè acceperunt, tum etiam publicè quidem aurea corona redimierunt, vt Græciæ liberatorem, priuatim verò tæniis coronabant, & ad [*ipsum*] vt ad athletam [*victorem*] accedebant. Ille verò confestim, quodem [*non magno*] præsidio apud ipsos relicto, retro abiit. Nec multo pòst exercitum maiorem [*eò*] traiecit, quòd Mendam & Potidæam cum ipsis tẽtare vellet: existimans & Athenienses ad opem ipsis ferendam venturos, quippe quod insulam incolerent, eosque anteuertere cupiens. Quinetiam nonnullos in his ciuitatibus ad proditionem soli-

citabat. Atque ille quidem has ciuitates aggressurus erat: sed interea ad eum veniunt cum triremi qui inducias renuntiarent, ex Athenienſibus, Ariſtonymus, ex Lacedæmoniis, Athenæus. Atque exercitus quidem Toronam reuerſus eſt. Legati verò [*inducias, &*] conuenta Braſidæ renuntiarũt. Vniuerſi autem Lacedæmoniorum ſocij, qui in Thracia erant, res geſtas, [*& conuenta*] comprobarunt. Ariſtonymus autem cæteris quidem aſſentiebatur: [*& in fœdus eos recipere non recuſabat:*] ſed Scionæos, quos ex dierum ſupputatione poſt initas inducias defeciſſe animaduertebat, fœderis participes fore negabat. Braſidas verò contra multis verbis affirmabat [*Scionem*] prius [*defectionem feciſſe,*] nec vrbem dimittere volebat. Cùm autem Ariſtonymus [*hæc*] de ipſis [*Scionæis*] Athenas renuntiaſſet, Athenienſes ad bellum Scionæ confeſtim inferendum [*animis*] erant parati. Lacedæmonij verò, legatis [*ad Athenienſes*] miſſis, dicebant ipſos fœdera violaturos, [*ſi bellum Scionæis inferrent,*] vrbemque [*Scionam*] ſibi vendicabant, fidem Braſidæ habentes. Et parati erant ad iudicio de ipſa diſceptandum. Illi verò iudicio quidem [*controuerſiam committere, & rem in diſcrimen adducere, ac*] periclitari nolebant, ſed primo quoque tempore bellum [*Scionæ*] inferre [*volebant:*] irati quòd iam vel inſularum incolæ à ſe defectionem ſibi faciendam cenſerent, terreſtri Lacedæmoniorum potentia nihil [*ipſis in rebus maritimis*] profutura freti. Et profectò quod de defectione dicebatur, magis verum erat, quàm vel ipſi Athenienſes cenſerent. Nam Scionæi duobus poſt [*factas inducias*] diebus defecerant. Confeſtim autem in Cleonis ſententiam decretum fecerunt de expugnandis, occidendisq; Scionæis, & à cæteris [*belli partibus*] abſtinentes, [*ad hanc vna ſe con-*

se conuerterunt, &] ad hoc [*peragendum*] se præparare cœperunt. Interea verò Menda, vrbs, quæ erat sita in Pallene, Eretriensium colonia, defecit. Brasidas autem ipsos [*Mendæos in fidem suam*] recepit, non existimans se iniustè facere, quia Mendæi inducias factarum tempore apertè, [*& sine proditione*] deditionem fecerant. Habebat enim & ipse, quæ vicissim crimini daret Athenienſibus de fœderibus violatis. Quamobrem etiam Mendæi [*hoc facere*] magis sunt ausi; tum quia propensum Brasidæ animum videbant, & ex ipsa Scione coniecturam facientes, quia [*Brasidas eam*] non prodebat. tum etiam quia qui [*proditionem*] cum ipsis moliebantur, quamuis pauci essent, tamen (quia rem semel susceptam, quam tunc peracturi erant, amplius intermittere nolebant: sed sibi ipsis metuebant, ne patefierent) plebem præter [*omnium*] opinionem superauerant. Athenienses autem, cùm protinus [*hæc*] accepissent, multo magis irritati, se aduersus vtranque ciuitatem instruebant. Brasidas verò, cùm infestum ipsorum classis aduentum expectaret, Scionæorum, & Mendæorum liberos, & coniuges in Chalcidiam Olynthum subduxit. Et ad ipsos [*præsidij causa*] misit quingentos grauis armaturæ milites Peloponnesios, & trecentos peltatos Chalcidenses, cum Polydamida [*ipsorum*] vniuersorum præfecto. Atque si quidem, quòd Athenienses propediem affuturos expectarent, res suas communiter adornabant. Brasidas verò & Perdiccas interea copiis coniũctis bellum Arrhibæo rursus ad Lyncum intulerunt. Et duxerunt, hic quidem, copias Macedonum, quibus imperabat, & Græcorum [*in Macedonia*] habitantium milites. Ille verò, præter Peloponnesiorum reliquias, quas illic habebat, Chalcidenses, & Acanthios, & ex

aliis [*populis*,] pro cuiusque facultate, [*ac potentia.*] Vniuersarum autem Græcarum copiarum erant fere tria millia. Equites verò vniuersi, qui sequebantur, Macedonum cum Chalcidensibus, erant paulo pauciores quàm mille. Et barbarorum alia manus permulta. Cùm autem in Arrhibæi [*regionẽ*] irrupissent, & Lyncestas castra sibi opposita habentes inuenissent, ipsi quoque castra [*illis*] opposita fecerunt. Cùm autem pedites quidem vtrinq; collem haberent, [*in quo consederant*,] planities verò [*inter vtraque castra*] interiaceret, equites in eam decurrentes, vtrinque primùm equestre prœlium commiserunt. Deinde verò Brasidas, & Perdiccas, cùm Lyncestarum grauis armaturæ milites cum equitibus ex [*suo*] colle priores processissent, & ad prœlium committendum essent parati, & ipsi vicissim suas copias aduersus [*eos*] produxissent, conflixerunt, & Lyncestas fugarunt. Et multos quidem interfecerunt. cæteri verò in editiora loca diffugientes, [*ibi*] quiescebant, [*& ab armis abstinebant.*] Postea verò, [*Brasidas, & Perdiccas*] erecto trophæo, biduum, triduúmve substiterunt, opperientes Illyrios, qui à Perdicca mercede conducti venturi erant. Deinde Perdiccas [*quidem*] aduersus Arrhibæi pagos progredi, neque subsidere, [*tempusq; terere*] volebat. Brasidas verò de Mende solicitus, tum ne, si prius, [*quàm ipse eò peruenisset.*] Athenienses infesta classe [*illuc*] appulissent, aliquam cladem acciperet, tum etiam quòd Illyrij non adessent, non [*ad progrediendum:*] sed ad regrediendum potius erat animo paratus. Interea verò dum ipsi inter se contenderent, nuntiatum est Illyrios etiam prodito Perdicca cum Arrhibæo se coniunxisse. Quare cùm vtrique, propter ipsorum metum, quòd essent homines bellicosi, recedere iam

place-

placeret: sed propter contentionẽ nihil certi constitutum essẽt, quando inde discedendũ esset, cumque nox interuenisset, Macedones quidem & barbarorum multitudo, subito timore perculsi (id quod magnis exercitibus contingere consueuit, qui incertis de causis [*sæpe*] animis consternantur) & existimantes longè plures [*hostes*] contra se venire, quàm [*reapse*] veniebant, ac iamiam adfore, se in repentinam fugam coniicientes, domum tendebant. Et Perdiccam, qui [*fugam ipsorum*] initiò non senserat, vbi resciuit, antequam Brasidam videret, [*& rem cum ipso communicaret*] (alter enim ab altero castra valde procul habebat) [*illinc*] ocius abire coëgerunt. Brasidas verò simul ac dies illuxit, cùm animaduertisset Macedones iam discessisse, & Illyrios, ac Arrhibæum contra se venturos, ipse quoque grauis armaturæ militibus in agmen quadratum coactis, & leuis armaturæ militibus in mediũ [*agmen*] receptis, [*illinc*] recedere cogitabat. Iuniores autem dispositi ad excursiones faciẽdas, si quâ [*hostes,*] ipsos inuaderent. Ipse verò cum delecta trecentorum manu in animo habebat, postremus, [*& in nouissimo agmine subsistens,*] primis quibusque aduersariorum impressionem [*in suos*] facturis resistere, eosque propulsando, se subducere: & antequam hostes appropinquarent, pro facultate, quam ipsi temporis angustiæ dabant, suos milites [*ad rem fortiter gerendam*] adhortatus est, his verbis:

BRASIDAE CONCIO.

Nisi ego suspicarer, viri Peloponnesij, terrore vos esse perculsos, tum quòd derelicti simus, tum etiam quòd barbari, iique magno numero contra nos veniãt, non ita vos docerem pariter, ac adhor-

tarer. Iam verò, quod ad nostrorum desertionem, & ad hostium multitudinem attinet, vobis quæ maxima sunt, breui admonitione, & adhortatione persuadere conabor. Vos enim in rebus bellicis strenuos esse conuenit, non semper propter sociorum præsentiam: sed propter virtutem vobis insitam: nec aliorum multitudinē extimescere: quippe qui venitis ex eiusmodi Rebuspublicis, in quibus non multi paucis: sed potius pauciores pluribus imperant, qui nulla alia ratione principatum sunt adepti, quàm quòd [*hostes*] prœliando superarint. Barbaros autem (quos propter imperitiam, [*quòd eorum nullum periculum adhuc feceritis,*] nunc formidatis) cùm ex iis, quæ in Macedonum gratiam, in prœlio antè cum ipsis commisso feciſtis, tum ex iis, quæ ego partim coniectura, partim fama intelligo, scire debetis non fore formidabiles, [*ac proinde nequaquam extimescendos.*] Quotquot enim hostes re vera sunt infirmi, & tamen roboris speciem habent, si vera de illis experientia accedat, [*& ipsorum infirmitas exploratè, facto periculo, cognoscatur,*] aduersarios magis confirmant. Quibus verò aliqua fortitudo constanter adest, si quis [*eam*] antè non nouerit, in eos audacius feratur. Isti verò antequàm prœlium ineant, illis sunt formidabiles. qui ipsos nondum sunt experti. Nam ipso multitudinis aspectu sunt terribiles, & vociferationis magnitudine sunt intolerabiles. Et inanis illa armorum concussio quandam minarum significationem habet. Sed [*huiusmodi homines*] in ipso conflictu aduersus eos, qui res istas [*fortiter*] sustinent, haud tales se præstant, [*quales ante cōgressum esse videbantur.*] Cùm enim nullum ordinem habeant, [*nullamque militarem disciplinam seruent,*] haudquaquam eos pudebit locum deserere, si [*ab hostibus*] premantur.

tur. Et cùm fuga æquè honesta, & glorioſa ipſis videatur, atque [*hoſtium*] aggreſſio, nullũ etiam fortitudinis examen [*apud ipſos*] habetur. Pugna autem, in qua vnus quiſque rem arbitratu ſuo gerit, cuiuis etiam ſalutis ſeruato decoro quærendæ occaſionem facilimè præbeat. Tutius autem exiſtimant nos [*eminus, &*] ſine periculo terrefacere, quàm nobiſcum ad manus venire. Nam [*ſi manus nobiſcum conſerere tutius eſſe duxiſſent, quàm eminus nos terrere, profectò iam*] illa potius, quàm iſta ratione vſi eſſent. Denique quicquid terroris hactenus [*vobis*] ab ipſis inculſum eſt, manifeſtè videtis re quidem ipſa leue eſſe: ſed aſpectu [*tantùm,*] & auditu terrorem [*vobis*] incutere. Quem [*inanem terrorem, ac impreſsionem*] ingruentem ſi ſuſtinueritis, &, quũ tempus fuerit, ſeruata militari diſciplina, ordinibusque ſeruatis, retro vos ſubduxeritis, & in loca tuta citius peruenietis, & cognoſcetis in poſterum huiuſmodi turbas, illis quidem, qui primum [*ipſarum*] impetum ſuſtinuerint, inani minarum ſtrepitu fortitudinem ante conflictum eminus oſtentare. Illis verò, qui ipſis ceſſerint, animi ſtrenuitatem extra periculum poſitas, præcipites demõſtrare, [*cedentium*] tergis inſtantes, [*ipſorumq; veſtigia perſequentes.*] Braſidas [*ſuos*] his verbis adhortatus, exercitum pedetentim reducebat. Barbari autem hoc animaduerſo, magna vociferatione, ac tumultu ingruebant, exiſtimantes eum fugere, & à ſe, vbi ipſum aſſequuti fuiſſent, interfectum iri [*ſperantes.*] Sed cùm & excurſores, quacunque [*barbari*] impreſſionẽ facerent, ipſis occurrerent, [*ac reſiſterent,*] & ipſe cum delecta [*trecentorum*] manu [*ipſos*] inuadentes ſuſtineret, ac præter [*ipſorum*] opinionem, aduerſus primum impetum reſtitiſſent, & cùm deinceps ipſorum quidem irruentium impe-

tum exceptum propulsarent, ipsis verò cessantibus, [*nec vllam impressionem facientibus*] pedem referrent, tunc verò plerique barbarorum à Græcis, qui cum Brasida in locis patentibus erant [*vlterius persequendis*] abstinuerunt: sed cum quandam [*suarum copiarum non magnam*] partem reliquissent, quæ ipsos [*abeuntes*] insequeretur, ac aggrederetur, cæteri cursu contenderunt in fugientes Macedones, quorum vt in quenq; incidebant, [*eum*] trucidabant. Et angustas fauces inter duos colles sitas, quâ patet aditus in Arrhibæi [*fines,*] ocius præoccuparunt, quia sciebant nullam aliam esse viam, qua Brasidas [*domum cum suis copiis*] se recipere posset. Ipsumque iam appropinquantem in ipsis transitus angustiis, vt intercepturi, circunsistunt. Ille verò hac re cognita, trecẽtis illis, quos secum ducebat, præcepit, vt in eum collem, quem facilius à se captum iri putabat, cursu contendentes, quanta maxima quisq; celeritate posset, nullo ordine seruato, barbaros iam contra se venientes, illinc deturbare conarentur, priusquàm maior numerus [*barbarorum*,] qui suos circumuenire statuerant, eò confluceret. Atque illi quidem eos, qui in colle erant, impressione [*in eos*] facta superarunt, atque reliquus Græcorũ exercitus in eum [*collem*] iam faciliùs ibat. Nam barbari territi sunt, suis illic in fugam versis, & ex editiore loco pulsis. nec vlterius [*Græcos*] sunt persequuti, quòd eos in [*agri amici*] confiniis iam esse, & euasisse arbitrarentur. Brasidas autem, vbi loca superiora nactus est, iter tutiùs faciens, eodem die primum peruenit Arnissam, quæ Perdiccæ imperio paret. Ipsique milites irati, quòd Macedones priores recessissent, vt in quæque incidebant inter eundũ, vel plaustra boum quæ ad ipsos [*Macedones*] pertinebant, vel sarcinas,

si quæ

si quæ [*ipsis*] deciderant, (vt in nocturno, & pauoris pleno receptu contigisse credibile erat) illa quidem [*plaustra*] concidebant, soluentes [*iumenta, quæ secum abducebant,*] illas verò [*sarcinas*] sibi vendicabant. Atque hinc primùm Perdiccas Brasidam hostem iudicauit, & in posterũ animo concepit odium in Peloponnesios, non consuetum illud quidem, propter Athenienses, [*quos oderat*:] sed propter sua necessaria commoda [*ab ipsis*] alienatus, operam dabat, vt quoquomodo quamprimum cum illis quidem compositionem faceret, ab his verò dissociaretur. Brasidas verò ex Macedonia Toronen reuersus, offendit Menden ab Atheniensibus iam occupatam. Ibique subsidens, in Pallenen quidem propter virium imbecillitatem ad opem [*Mendæ*] ferendam tunc se traiicere non posse ducebat: sed Toronen præsidio tuebatur. Nam sub idem tempus, quo res apud Lyncum gestæ fuerũt, Athenienses naualem expeditionẽ aduersus Menden, & Scionen susceperunt, ad quam se priùs accingebant, cum quinquaginta nauibus, quarum decem erant Chiæ, & cum mille grauis armaturæ militibus de suis popularibus, & sexcentis sagittariis, & mille Thracibus mercede cõductis, aliisque peltatis, quos illinc ex suis sociis collegerant. Illis autem præerat Nicias Niceratí, & Nicostratus Diotrephis [*filius.*] Cùm autẽ à Potidæa cum classe soluissent, & ad eam partem appulissent, vbi erat Neptuni templum, aduersus Mendæos contenderunt. Ipsi autem [*Mendæi,*] & Scionæorum trecenti qui [*Mendæis*] opem tulerant, & Peloponnesiorum auxiliarij milites, qui vniuersi erant septingenti grauis armaturæ milites, & Polydamidas ipsorum dux, extra vrbem in colle natura munito castra posuerant. Et Nicias quidem cum centum, & viginti

Methoneis leuiter armatis, & delectis sexaginta grauis armaturæ militibus Athenienſibus, omnibusque ſagittariis, quos ſecum ducebat, per quandam collis ſemitam ad ipſos accedere conatus, & ab ipſis vulneratus, [*ipſos illinc*] deturbare non potuit. Nicoſtratus verò, cùm alio itinere, quod [*à ſemita, quâ Nicias inerat,*] longo diſtabat interuallo, cum omni reliquo exercitu collem acceſſu difficilem ſubiiſſet, vehementiſſimè trepidauit, parumq; abfuit quin totus Athenienſium exercitus vinceretur. Atq; eo quidem die, quòd Mendæi, eorumque ſocij loco non ceſſiſſent, Athenienſes [*illinc*] digreſſi, caſtrametati ſunt. Mendæi verò, cùm nox aduenisſet, in vrbem abierunt. Poſtridie verò Athenienſes quidem claſſe circumuecti ad eam partem, quæ Scionen ſpectabat, & ſuburbana ceperunt, totumq; diem illum in [*eius*] agro vaſtando conſumpſerunt, nemine contra prodeunte. Erat enim & nonnihil ſeditionis intra vrbem. Illi verò recenti Scionæi proxima nocte domum abierunt. Poſtridie verò Nicias quidem vno, eodemq; tempore cum dimidio copiarum ad confinia progreſſus, Scionæorum agrum vaſtauit. Nicoſtratus verò cum reliquis [*copijs*,] à ſuperioribus portis, quâ Potidæam itur, vrbem obſedit. Polydamidas verò (fortè enim ad vrbis partem erat militum armatorum agmen) [*eos*] vt ad prœlium inſtruebat, & Mendæis ſuadebat, vt eruptionem [*in hoſtes*] facerent. Et cùm quidam è populo ſeditiosè ipſi contradixiſſet, nec eruptionem faciendam, nec prœlio opus eſſe [*affirmaſſet:*] cumque, ſimul ac [*ipſi*] contradixiſſet, ab ipſo manu pertractus, ac perturbatus, fuiſſet, populus ira protinus incenſus, ſumptis armis tendit cùm in Peloponneſios, tum in eos, qui cum ipſis contra ſe egerant, [*ſuamq; factionē oppugna-*

pugnauerant, atq; superauerant.] Impetuque [*in eos*] facto, in fugam vertit, tum ob repentinum certamen, tum ob metum Athenienſium, quibus portę fuerant apertæ. Exiſtimabant enim [*Peloponneſij*] ex aliquo compacto hanc impreſſionem [*ab illis*] in ſe factam eſſe. Atque illi quidem, quotquot ſtatim cæſi non fuerunt, in arcem confugerunt, quam ipſi vel antea tenebant. Athenienſes verò (iam enim Nicias reuerſus, ad vrbem erat) cum omnibus copiis irruentes in vrbem Menden, quippe quæ non ex conuento aperta fuiſſet, [*eam*] vt expugnatam diripuerunt. Et duces vix cohibere potuerunt [*ſuos milites*,] quin homines etiam trucidarent. Poſtea iuſſerunt Mendæos eodem Reipub. ſtatu vti, quo conſueuerant, ita tamen vt ipſi inter ſe quæſtionẽ haberẽt de illis, quos defectionis autores fuiſſe cenſuiſſent. Illos verò, qui in arce erant, muro vtrinque vſque ad mare ducto circumuallarunt, & præſidiũ [*in eo*] impoſuerunt. Poſtquàm autẽ Menden in ſuam poteſtatem redegerunt, aduerſus Scionen iuerunt. Oppidani verò cùm ipſi, tum Peloponneſij obuiam [*illis*] progreſſi, in colle natura munito, ante vrbem ſito conſederunt: quem niſi hoſtes occupaſſent, ipſos circumuallare non potuiſſent: ſed Athenienſes eum ſtrenuè aggreſſi, prælioque reiectis iis, qui aduerſus [*ipſos*] venerant, [*ibi*] caſtra poſuerunt, & erecto trophæo, ſe ad vrbem circumuallandam parabant. Nec multo pòſt auxiliarij [*Peloponneſiorum*] milites, qui in arce obſidebantur, ſuperatis [*hoſtium*] cuſtodibus, qui ad mare erant, noctu [*Scionen*] peruenerunt. Et [*ipſorum*] plerique per media [*Athenienſium*] caſtra ad Scionen poſita euadẽtes, in eam ſunt ingreſſi. Dum autem Scione circumuallaretur, Perdiccas per caduceatores, quos miſit ad Athenienſiũ duces, com-

positionem cum Athenienſibus fecit, odio contra Braſidam concepto, propter diſceſſum ex Lynco, quod iam tunc tentare cœperat. Tunc enim Iſchagoras Lacedæmonius exercitum ad Braſidam itinere pedeſtri deducturus erat. Perdiccas verò, partim quidem, Nicia iubente, vt quando compoſitionem fecerat, manifeſtam aliquam conſtantiæ, [*fideiq; ſuæ*] ſignificationem Athenienſibus daret, partim verò, quòd Peloponneſios in ſuum [*agrum*] amplius venire nollet, cùm rem Theſſalis hoſpitibus perſuaſiſſet, quòd primorum hoſpitio ſemper vteretur, [*Peloponneſiorum*] copias, & [*bellicum*] apparatum impediuit, ita vt Theſſalos ne tentare quidem voluerint. Iſchagoras tamen, & Amynias, & Ariſteus, cùm ipſi ad Braſidam peruenerunt, à Lacedæmoniis ad res inſpiciendas miſſi, tum etiam adoleſcentes ex ipſis [*Lacedæmoniis*] contra leges Sparta [*ſecum*] eduxerunt, vt [*eos*] ciuitatibus præficerent, neq; [*illarum adminiſtrationem*] quibuslibet permitterent. Et Clearidam quidem Cleonymi [*filium,*] Amphipoli præfecerunt, Epitelidam verò Hegeſandri [*filium,*] Toronæ. Eadé æſtate Thebani muros Theſpienſium diruerunt, crimini dantes quòd cum Athenienſibus ſentirent. Id, quod ſemper quidé [*facere*] voluerant: ſed [*tunc*] oblata occaſione facilius [*fecerunt,*] quòd in pugna cũ Athenienſibus commiſſa omnis ipſorum iuuentutis flos periiſſet. Templum quoque Iunonis eadem æſtate Argis crematum eſt, quòd Chryſis ſacerdos lucernam quandam vittis admouiſſet, & interim ſomno correpta fuiſſet. Vnde accidit vt omnia per eius imprudentiam accenſa conflagrarint. Chryſis verò, metuens Argiuos, protinus noctu Phliuntem confugit. Illi verò aliam ſacerdotem, nomine Phaænidem, ex ciuitatis inſtituto conſtituerunt.

Chry-

Chrysis autem octauum huius belli annum, & noni sextum mensem attigerat, quum profugit. Et Scione æstate iam extrema penitus circumuallata fuit, & Athenienses præsidio [*illic*] aduersus eam relicto, cum reliquis copiis domum abierunt. Insequenti hyeme Athenienses quidem, & Lacedæmonij quieuerunt, [*ac ab armis abstinuerunt,*] propter inducias. sed Mantinei, & Tegeatæ, & vtrorunque socij ad Laodiceam, quæ est in Orestide, conflixerunt, & victoria anceps extitit. Nam vtrique, cùm cornu sibi oppositũ in fugam vertissent, trophæum erexerunt. Cùm tamen vtrinque multi cæsi fuissent, & æquo marte pugnatũ fuisset, noxque prœlium diremisset: Tegeatæ quidem [*in eo loco*] pernoctarunt, statimq; trophæum excitarunt; Mantinei verò ad Bucolionem discesserunt, & postea vicissim [*& ipsi trophæum*] statuerunt. Eadem hyeme abeunte, & vere iam appropinquante, Brasidas Potidæã tentauit. Cùm enim noctu [*ad eam*] accessisset, & scalas [*muris*] admouisset, hactenus quidem [*custodes*] latuit. Nam cùm tintinnabulum præteriisset, ita demum ad inane [*murorum spatium, custodibus vacuum,*] antequam ille, qui ipsum [*tintinnabulum alteri*] traditurus erat, rediisset [*eò, vnde digressus fuerat,*] scalæ admotæ fuerunt. Deinde tamen, cùm [*custodes*] statim [*strepitum*] sensissent, exercitum celeriter retro reduxit, nec expectauit donec dies illucescceret. Atque hæc hyems exiuit: huiusq; belli, quod Thucydides conscripsit, nonus annus excessit.

FINIS LIB. IIII.

THVCYDIDIS, OLORI F. DE BELLO PELOPONNESIACO,

Liber quintus.

SEQVENTI æstate, inducię, quæ in spatium, ad Pythia vsque, factæ fuerant, solutæ sunt. Ac per illud inducіarum tempus, Athenienses è Delo Delios summouerunt, quòd existimarent ipsos, quamuis ob quoddam vetus [*piaculi*] crimen polluti essent, Deo tamen esse consecratos. Simul etiam sibi restare hanc partem expiationis, quæ à me superius est declarata, qua sublatis defunctorum monumẽtis, se rectè fecisse, [*& insulam rectè lustrasse*] censuerunt. Atque Delij quidem Atramytteum in Asia situm, quod Pharnaces ipsis dedit, incoluerunt, prout vnus quisque [*eò*] proficiscebatur. Cleon verò post exactas inducias, cùm rem Athenienſibus persuasisset, in Thraciam nauigauit, secum ducens mille, & ducentos grauis armaturæ milites Athenienses, & trecentos equites, & ex sociis [*longè*] plures, & triginta naues. Cùm autem primùm ad Scionẽ appulisset, quæ adhuc obsidebatur, & cum illinc grauis armaturæ milites ex præsidiariis assumpsisset, in Colophoniorum portum, à Toronæorum vrbe non multum distantem nauigauit. Cùm autem illic intellexisset ex tranfugis neque Brasidam Toronæ esse, neque eos, qui intus erant, ad resistendum pares esse, cum exercitu quidem

ad

ad vrbem itinere pedestri contendit; decem verò naues circummisit, vt [*Torones*] portum circumueherentur. Ac primùm quidem iuit ad munitionem, quam Brasidas vrbi circundederat, quòd suburbana includere vellet. & diruta veteris muri parte, vnam vrbem effecit. Cùm autem Athenienses [*eam*] adorti fuissent, Pasitelidas Lacedæmonius dux, & præsidium, quod [*illic*] aderat, [*ei*] succurrens, [*hostibus*] resistebat. sed cùm repelleretur, & simul naues, quæ circummissæ fuerant, in portum circumueherentur, Pasitelidas veritus ne naues vrbem desertam præoccuparent, & munitione capta, [*ipse quoque in ea*] caperetur ea relicta, cursu ad vrbem contendit. Sed & Athenienses, qui nauibus vehebantur, Toronem præoccuparunt, & peditatus cum vociferatione è vestigio insequutus, [*&*] simul irrumpens per illam veteris muri partem, quæ diruta fuerat. Et Peloponnesios quidé, ac Toronæos, qui repugnabant, statim interfecerunt: alios verò viuos ceperunt, [*inter quos*] & Pasitelidam ducem. Brasidas verò profectus est ille quidem ad opem Toronæ ferendam: sed cùm in itinere [*eam ab hoste*] captam intellexisset, se [*illinc*] recepit, quòd quadraginta circiter stadiis [*ab ea*] abesset, ita vt [*hostem*] præuenire non posset. At Cleon, & Athenienses duo trophæa erexerunt, vnum quidem, in portu, alterum verò, ad munitionem. Et Toronæorum quidem vxores, & liberos in seruitutem abstraxerũt, ipsos verò, & Peloponnesios, & si quis alius Chalcidensium [*illic*] aderat, cunctos ad septingentos numero, Athenas miserunt. Atque Peloponnesij quidem postea, quum fœdus initum est, ab ipsis dimissi fuerunt. cæteri verò facta capitum permutatione, vt singula pro singulis darentur, ab Olynthiis redempti fuerunt.

Sub idem tempus Bœoti Panactum Athenienſium caſtellum per proditionem ceperunt. Cleon autẽ præſidio Toronæ impoſito, motis [*inde*] caſtris, [*montem*] Atho claſſe circumuectus, aduerſus Amphipolin iuit. Phæax verò Eraſiſtrati [*filius*] cum duobus collegis, ab Athenienſibus miſſus, in Italiam, atque Siciliam legatus ſub idem tempus cum duabus nauibus tranſmiſit. Cùm enim Athenienſes poſt compoſitionem [*inter Siculos factam,*] ex Sicilia diſceſſiſſent, Leontini multos ad ciuitatis ius [*vndique*] aſcitos admiſerunt, & plebs agrum viritim diuidere in animo habebat: ſed potentes, [*ac nobiles*] cùm hoc ſenſiſſent, Syracuſanos accerſunt, plebemque expellunt. Et illi quidem errantes, quò quenque ſors tulit, ſe receperunt. At potentes inito cum Syracuſanis fœdere, & vrbe [*ſua*] relicta, & vaſtata, Syracuſas [*migrarunt, quas*] ciuitate donati incoluerunt. Poſtea verò rurſus ipſorum nonnulli, quòd præſentem rerum ſtatum non probarent, relictis Syracuſis, locum quendã Leontinorum vrbis nomine Phoceas occuparunt, & Bricinnias, arcem in agro Leontino munitam. Et plebis tunc exulantis permulti ad ipſos iuerunt. Et cùm in loca munita ſeſe recepiſſent, illinc bellum gerere cœperunt. Quibus auditis Athenienſes, Phæacem miſerunt, ſi quo modo (adductis ſuis ſociis, qui illic erant, aliisque Sicilienſibus, ſi poſſent, ad bellum communiter inferendum Syracuſanis, qui potentiam ſibi comparabant) populum Leontinum conſeruarent. Phæax autem, cùm [*eò*] peruenisſet, Camarinæis quidem, & Acragantinis rem perſuaſit. Sed cùm ad Gelam res ei non ſucceſſiſſet, ad cæteros nequaquam perrexit, quòd intelligeret ſe rem ipſis non perſuaſurum. Quare per Siculos Catanam reuerſus, ſimul etiam obiter ad

Bricin-

Bricinnias profectus, & adhortatus *eos*, [*qui illic erant*,] vt bono essent animo, discessit. Dum autem in Siciliam præterueheretur, & rursus [*inde*] reuerteretur, egit etiam cum nonnullis Italiæ ciuitatib. de amicitia cum Athenienſibus ineunda. Incidit etiam in Locros, qui Messana, quam incoluerant, expulsi fuerant, [*in illos nimirum*] qui post compositionem inter Siculos factam, cùm Messanenses seditione laborarent, & eorum altera factio Locros acciuisset, [*eò profecti fuerant, &*] cùm illic habitarent, expulsi tamen fuerant. Messana autem in Locrorum potestate aliquandiu fuit. Cùm igitur Phæax in hos [*domum*] redeuntes incidisset, [*eos*] nulla iniuria affecit. Locri enim cum ipso egerãt de compositione cum Athenienſibus facienda. Soli enim omnium sociorum, quo tempore Siculi gratiæ reconciliationem inter se fecerunt, cum Athenienſibus fœdus inire noluerunt. Imò verò ne tunc quidem [*vllam compositionem, fœdusq; cum ipsis fecissent,*] nisi bellum, quod cum Ironenſibus, & Melæis finitimis, & colonis suis gerebant, ipsos tenuisset occupatos. Et Phæax quidem postea Athenas rediit. Cleon verò, qui tunc à Torone soluens aduersus Amphipolin classe circumuectus fuerat, motis castris ab Eïone, quam belli sedem delegerat, Stagirum Andriorum coloniam inuasit, nec cepit, sed Gampselum Thasiorum coloniam expugnauit. missisq; ad Perdiccam legatis, vt ex societatis iure cum copiis ad se veniret, aliis etiam in Thraciam missis ad Pollen Odomantũ Regem, qui quamplurimos Thraces mercede conduxerat, ipse ad Eïonem subsidens hos expectabat. Brasidas autem his auditis, ipse quoque ad Cerdylium castra hostibus opposita fecit. Hic autem locus est Argiliorum trans flumen editus, ab Amphipoli

non procul distans. vnde omnia prospici poterant. Quare Cleon cum suis copiis clã illinc discedere nõ potuisset aduersus Amphipolin, quod [*tamen Brasidas*] ipsum expectabat facturum, [*&*] contempta suorum paucitate, cum præsentibus copiis [*contra se*] ascensurum. Simul autem se [*ad rem gerendam*] apparabat, mille, & quingentos Thraces mercede conductos, & Edones omnes, peltatos, ac equites euocans. Habebat præterea Myrciniorum & Chalcidensium, præter eos, qui apud Amphipolin erãt, mille peltatos. Vniuersorum autem militum graui ter armatorum summa erat ad duo millia, & trecentos Græcorũ equites. Brasidas igitur cum mille & quingentis ex horum numero ad Cerdyliũ castra posuit. Cæteri verò intra Amphipolin cũ Clearida [*duce*] instructi fuerunt. Cleon verò primùm quidem quieuit, [*& à prælio manus abstinuit,*] deinde verò coactus est facere, quod Brasidas expectabat. Cùm enim milites diuturnum illud otium molestè ferrent, & reputarent quale futurum esset illius imperium, quanta cum imperitia, & ignauia coniunctum, aduersus tantam [*Brasidæ*] peritiam, & audaciam, præterea [*cùm considerarent*] se domo inuitos discessisse, vt ipsum sequerentur, [*Cleon,*] cùm rumorem istum sensisset, ipsosque, quòd in eodem [*loco*] desiderent, grauari nollet, motis castris [*copias Amphipolin versus*] duxit. Et vsus est eadem ratione, qua & apud Pylum [*olim vsus*] rem feliciter gesserat, ita vt se aliquid sapere putaret. Neminem enim contra se ad pugnam proditurum sperabat; sed potius se ascendere dicebat, vt locum inspiceret, & maiorem apparatum expectabat, non vt firmissimo copiarũ præsidio, [*si prælium committere*] cogeretur, [*hostem*] superaret: sed vt vrbem [*maximis copiis*] vndique circundatam expugnaret.

Profe

Profectus igitur, castrisq; in colle natura munito, ante Amphipolin sito, positis, ipse contemplabatur Strymonis stagna, & qualis esset vrbis situs Thraciam versus. Existimabat autem se, quotiescunque voluisset, sine certamine [*illinc*] discessurum. Nullus enim vel supra muros conspiciebatur, vel portis exibat: omnesq; clausæ erant. Quãobrem etiam existimabat se peccasse, quòd sine machinis [*eò*] veniisset. Vrbem enim, quòd esset deserta, à se captum iri [*credebat.*] Brasidas verò, simul ac Athenienses castra mouisse cognouit, & ipse descendens è Cerdylio, Amphipolin intrauit. Et nullam quidem eruptionem [*apertè*] fecit, neq; copias [*palàm*] instruxit, quas aduersus Atheniensis educeret, tum quòd apparatu suo diffideret, tum etiam quòd suos impares hosti putaret, non numero (nam propemodum pares erant) sed dignitate, [*& præstantia.*] (Nam in illa expeditione militabat Athenienſium flos, & Lemniorum, ac Imbriorum robur) sed se parabat ad [*eos*] dolo aggrediendos. Si enim suorum paucitatem & vilem armaturam, quam ipsa necessitas [*pro temporis angustiis*] ministrarat, hostibus ostendisset, existimabat se non faciliùs victorem fore, quàm si ab ipsis ante conflictum conspectus non fuisset, neq; propter id, quod erat, [*id est, propter suorum paucitatem, & vilem armaturam,*] in ipsorum contemptionem veniisset. Brasidas igitur, cùm centum, & quinquaginta grauis armaturæ milites delegisset, & reliquos Clearidæ ducendos cõmisisset, Athenienses, priusquàm abirent, adoriri constituit, quòd existimaret illos non pariter, [*sociorum auxiliis*] nudatos, à se iterum interceptum iri si auxilia ad ipsos veniissent. Conuocatis autem omnibus militibus,

quòd ipsorum animos confirmare, suumque consilium ipsis aperire vellet, hæc verba fecit:

BRASIDAE CONCIO.

Viri Peloponnesij, quòd ex eo agro profecti simus, qui propter animi generositatem, [*ac fortitudinem, qua eius incolæ sunt præditi,*] perpetuò liber est, quòd etiam [*vos*] Dorienses cum Ionibus prœliũ commissuri sitis, quibus superiores esse consueuistis, paucis [*à me*] declaratum esse sufficiat. Quonam autem modo [*hostes*] aggredi statuerim [*hoc verò sane vos*] docebo: ne [*rei nouitas,*] quòd cum paucis, non autem cum omnibus, belli fortunam sim periclitaturus, quod virium imbecillitatem videtur indicare, timorem [*vobis*] incutiat. Coniicio enim hostes, tum contemptione nostri, tum etiam quòd non sperauerint quenquam [*de nobis*] ad prœlium contra se prodituru̇m, locum illum conscendisse, & nunc nullis ordinibus seruatis ad [*locorum*] contemplationem se conuertisse, & securos esse. Quisquis autem hæc hostium peccata optimè animaduertit, & simul pro viribus [*eos*] aggreditur, non magis apertè, & acie [*palàm*] contra [*ipsos*] instructa, quàm pro eo, quod præsens rerum status, ac vtilitas flagitat, is vt plurimum ex animi sententia rem gerat. Hæc autẽ belli furta pulcherrimam gloriam habent, quibus quis hostem maximè fallẽs, amicis maximè prosit. Dum igitur adhuc imparati confidunt, & se subducere potius, (quantum ego coniicere possum ex iis, quæ video) quàm remanere cogitant, dum [*adhuc*] sunt remissis, [*& languentibus*] animis, & priusquam animos magis [*colligant, &*] componant, ego quidem cum iis, quos mecum habeo, [*eorum discessum*] anteuertẽs, si possim, in mediũ eorum agmen

cursu

cursu citato ictruam. Tu verò Clearida, mox vbi me iam [*in eos*] impressionem fecisse conspexeris, atq; (vt credibile est) eos terrentem, cum tuis, & Amphipolitanis, aliisque sociis, quos tecum duces, repente portis apertis eruptionem facias, operamque des, vt quàm celerrimè prœlio interseis. (Spes enim est ipsos sic maximè territum iri. Qui enim [*pugnæ*] superueniunt, sunt hostibus formidabiliores, quàm qui [*iam*] adsunt, & pugnant.) Et cùm ipse te virum fortem præbeas, sicuti Spartanum decet; tum etiam vos socij [*ipsum*] fortiter sequamini, & existimetis boni militis esse, velle, & erubescere, & ducibus obtemperare: atque hodierno die fore, vt aut [*vestram*] libertatem conseruetis, [*& stabiliatis*,] si rem fortiter gesseritis, & socij Lacedæmoniorum appellemini, aut Atheniensium serui [*vocemini*,] &, quamuis optima conditione vobiscum actum fuerit. ita vt in seruitutem [*ex vestris pristinis sedibus in alias, easq; hostiles ab illis*] non abstrahamini, aut capitali supplicio afficiamini, seruitutem [*tamen longè*] duriorem [*experiamini*,] quàm antè tuleritis, cæterisque Græcis impedimento sitis, quominus in libertatem asserantur. Quamobrem & vos rem non ignauiter: [*sed fortiter*] geratis, animaduertentes quantis de rebus certamen sit. Et ego ostendam me eum esse, qui non magis alios officij sui moneam, quàm ipse factis præstem eadem, ad quæ verbis illos adhortor. Brasidas autem, cùm hæc tantùm dixisset, tum sese ad eruptionem cum suis faciendam parauit, tum etiam reliquos, qui cum Clearida erant, ad portas, quæ Thraciæ vocantur, collocauit, vt, quemadmodum constitutum fuerat, eruptionem [*& ipsi*] facerent. Verùm cùm ipse [*Brasidas*] conspectus fuisset, dum de Cerdylio descenderet, & victimas

immolaret circa Palladis templum, quod erat in vrbe, quæ extrinsecus manifestè conspici poterat, & [*dum*] hæc ageret, [*id est, ac eum instrueret,*] Cleoni nuntiatur (tunc enim ad [*loci, situsq;*] contemplationem processerat) & omnem hostium exercitum in vrbe manifestè perspici posse, & sub portis multa equorum, hominumque tanquam exeũtium vestigia apparere. Ille verò, cùm [*hæc*] audisset, [*eò*] perrexit. atque vbi [*rem*] vidit, quia prælio decernere nolebat, quamuis se abeuntem [*ab hoste*] visum iri putaret, [*tamen*] vno, eodemque tempore & signum receptui dari iussit, & abeuntibus præcepit, vt ita abirent, vt siniſtrum cornu præiret, [*dextrumq; sequeretur,*] qua sola ratione Eïonem versus [*ipsis sese*] subducere licebat. Sed cùm hoc ipsi lentius fieri videretur, ipse dextro cornu conuersò, & nudato latere, tergoque hostibus dato, exercitum abducere cœpit. Interea verò Brasidas, cùm opportunitatem adesse, & Athenienſium castra moueri animaduertisset, militibus, quos secum ducebat, aliisque, [*qui Clearidam sequebantur,*] dixit, Isti nos non expectant. Hoc autem ex lancearum, capitumque motu perspicuè patet. Qui enim hoc faciunt, ij, [*hostes*] inuadentes expectare non consueuerunt. Quare nunc aliquis mihi portas aperiat, quas [*aperiendas esse*] dictum est, & quàm celerrimè eruptionem confidenter faciamus. Atque ipse quidem, per illas portas, quæ ad vallum ducebant, perq; primas longi muri, qui tunc extabat, egressus, cursu contendit recta per illam viam, vbi nunc per firmissimam illius loci munitionem iter facienti trophæum erectum visitur. Athenienses autem simul & sua confusione territos, & ipsius audaciam extimescentes, per medium agmen aggressus, in fugam vertit. Et Clearidas

ridas (vt constitutum fuerat) eodem tempore per Thracias portas eruptione facta, cum exercitu in [*hostem*] ferebatur. Accidit autem vt hac inopinata, & repentina eruptione Athenienses vtrinque perturbati trepidarent. Ac sinistrum quidem ipsorum cornu, quod erat Eionem versus, quod etiam iam processerat, statim [*à reliquo exercitu*] diuulsum fugere cœpit. Brasidas verò, hoc iam fugiente, cùm in dextrum impressionem faceret, vulneratus est. Atque Athenienses quidem ipsum cadentem non animaduerterunt: sed qui proximi stabant, sublatum abspottarunt. At dextrum Atheniensium [*cornu*] magis manebat, [*quàm alterum, nec tam præcipiti fuga fugiebat.*] Et Cleon quidem, ita vt principiò non manere, [*nec pugnare*] constituerat, statim fugiens, & [*in ipsa fuga*] à Myrcinio peltato exceptus, [*ab eo*] interfectus est. Eius verò grauis armaturæ milites, cùm facto globo in colle substitissent, Clearidam bis, tér ve irruentem propulsarunt, nec prius cesserunt, quàm Myrciniorum, & Chalcidensium equitatus, & peltati, circunsistentes, atque iaculis petentes, in fugam ipsos verterunt. Cùm autem sic vniuersus Atheniensium exercitus iam ægrè diffugeret, & [*ipsorum*] multi per montes ad varias vias se conuertissent, quotquot non perierunt aut statim in ipso congressu, aut à Chalcidensium equitatu, ac peltatis [*postea excepti, ac interfecti,*] reliqui Eionem se receperunt. Brasidæ verò milites, cùm Brasidam ex prœlio exportassent, & seruassent, adhuc spirantem in vrbem importarunt. Et cognouit ille quidem suos vicisse: sed non multo [*temporis spatio*] interiecto animam efflauit. Reliquus autem exercitus, qui cum Clearida erat, cùm à persequẽdis hostibus rediisset, cadauera spoliauit, & trophæum erexit.

Postea verò vniuersi socij Brasidã cum armis prosequuti, publicè sepelierunt in vrbe, ante forum, quod nunc est. Deinde Amphipolitani, cùm ipsius monumentum septo circundedissent, vt heroi parentarunt, & honores tribuerunt, certamina, & sacrificia anniuersaria. Coloniam etiam ipsi, vt eius conditori attribuerunt, deiectis Agnonis ædificiis, omniq́ue monumento deleto, si quid fortè supererat, quod coloniæ ab eo deductæ memoriam conseruare posset. existimantes Brasidam quidẽ suum seruatorẽ extitisse, simul etiam in præsentia, propter Athenienſium metum, Lacedæmoniorum societatem ambientes. Agnonẽ verò, propter Athenienſium hostiũ inimicitias, non æquè ex vsu suo his honoribus [*à se*] affectum iri, nec [*hos ipsi vt ab hostibus habitos,*] gratos fore. Mortuos tamen Athenienſibus reddiderunt. Obierunt autem, ex Athenienſibus quidem, ad sexcentos, ex aduersariis verò, septem. quia non acie instructa iustum prœliũ commissum fuerat: sed potius eiusmodi casu, metuq́ue prius incusso. Cùm autem Athenienses suorum cadauera sustuliſſent, ipsi quidem domũ classe vecti redierunt. At qui cum Clearida erant, res Amphipolitanas constituebant, [*atq; stabiliebant.*] Sub eadem æstatis extremæ tempora, Rhamphias, & Autocharidas, & Epicydidas, Lacedæmonij, nongentorum grauis armaturæ militum supplementum in Thraciam ducere cœperant. Et cùm Heracleam, quæ est in agro Trachinio, peruenissent, quicquid ipsis non rectè se habere videbatur, constituerunt. Sed cùm [*ibi*] morarentur, hoc prœliũ [*interea*] commissum est, & hæc æstas excessit. Insequutæ autem hyemis initio statim, Rhamphias, & qui cum eo erant, ad Pierium vsque Thessaliæ [*montem*] progressi sunt. sed cùm Thessali [*eos transire*]

ire] prohiberent, simul etiam cùm Brasidas obiisset, ad quem has copias ducebant, domum reuerterunt, existimantes haudquaquam amplius [*huius supplementi longius ducendi*] tempus opportunum esse, tum quòd Athenienses prœlio victi [*iam*] discessissent, tum quòd ipsi idonei non essent ad peragendum aliquid [*eorum*,] quæ Brasidas animo conceperat. Præcipuè verò discesserunt, quòd scirent, quum domo exissent, Lacedæmonios ad pacem magis, [*quàm ad bellum*,] animos habuisse propensos. Accidit etiam vt statim post prœlium ad Amphipolin commissum, & Rhamphiæ ex Thessalia reuersionem, neutri vllam belli partem amplius attingerent: sed animos ad pacẽ potius propensos haberent. Athenienses quidem, quòd & apud Delium, & paulo pòst rursus ad Amphipolin, cladem accepissent, nec certam virium spem amplius haberẽt, qua freti fœdera prius admittere noluerant, existimantes se propter præsentem felicitatem [*Lacedæmoniis*] superiores euasuros. Præterea suos socios reformidabant, ne propter [*suas*] belli offensiones elati, magis [*à se*] deficerent. Eosque pœnitebat, quòd post res ad Pylum gestas, idoneam occasionem nacti, compositionem, [*fœdusq; cum Lacedæmoniis*] non fecissent. Lacedæmonij verò vicissim, quòd bellum ipsis præter opinionem eueniret, in quo, intra paucos annos Athenensiũ potentiam [*à se*] euersum iri putarant, si [*ipsorum*] agrum vastarent. Sed cùm in illam calamitatem incidissent, quam in insula [*Sphacteria*] acceperant, [*quæ talis fuerat*,] qualis nunquã antè Spartæ contigerat, cumque [*ipsorum*] ager latrociniis infestaretur ab illis, qui è Pylo, & Cytheris prodibant, & Helotes ad hostes transfugerent, & suspicio, [*metusq;*] semper esset, ne & illi, qui [*domi*] remane-

bant, confisi iis, qui extra erant, pro præsenti rerũ suarum statu, sicut & prius, aliquas res nouas molirentur. Huc accedebat quòd tricennale fœdus cũ Argiuis ictum iam exibat. nec aliud Argiui facere volebant, nisi quis agrum Cynurium ipsis restitueret. Itaq; putabant se non posse simul bellum cum Argiuis, & Athenienſibus gerere. Quinetiã nonnullas Peloponnesi ciuitates à se ad Argiuos defectionem facturas suspicabantur. quod etiam accidit. Hæc igitur vtrisque reputantibus composítio facienda videbatur: nec minus Lacedæmoniis, virorum, qui in insula capti fuerant, recipiendorum desiderio. Nonnulli enim ipsorum erant & Spartani, & viri [*ciuitatis*] primarij, & propter parem dignitatem cum ipsis [*primariis*] cognatione coniuncti. Quamobrem etiam statim post ipsos captos [*de compositione*] agere cœperant: sed Athenienses, quòd rem feliciter gererent, bellum æquis conditionibus nondum deponere volebant. Sed cùm ipsi cladem ad Delium accepissent, confestim Lacedæmonij, quòd scirent [*ipsos pacem*] tunc facilius admissuros, annuas inducias fecerunt, per quarum tempus oportebat [*vtrosque conuenientes, &*] colloquia habentes de longiore [*pacis*] tempore consultare. Postea verò quàm & ad Amphipolin Athenienses cladẽ acceperunt, & Cleon, & Brasidas mortem oppetierunt, qui vtrinque paci maximè aduersabantur (hic quidem, quòd rem in bello feliciter gereret, ac honores ideo consequeretur: ille verò, quòd rebus pacatis sua flagitia manifestiora fore, suamq; autoritatem in obtrectando imminutum iri putaret.) tunc verò in vtraque ciuitate, duo, qui ad principatum maximè properabant, Plistoanax Pausaniæ [*filius*,] Lacedæmoniorum Rex; & Nicias Nicerati [*filius*,] qui eorum, qui tur[*in Athenienſ*

thenienſi Repub.] viuebant, in re militari longè feliciſſimus erat, multo magis, [*quàm cæteri, ad pacem*] animis erant propenſis. Ac Nicias quidē, quòd interea, dum nullam cladem accepiſſet, & autoritatem [*inter ſuos*] obtineret, [*ſuam*] felicitatē conſeruare, & cùm in præſentia tam ſe ipſum, quàm [*cæteros*] ciues [*bellicis*] laboribus liberare, tum etiam poſteritati nomē relinquere vellet, quòd Rempub. in nullum diſcrimen vnquam adduxiſſet. Exiſtimabat autem hoc ita demum contingere poſſe, ſi nullum periculum aditetur, & [*ei,*] qui ſe ipſum fortunæ minimè committeret. hanc verò periculorum vitationem à pace [*mortalibus*] præberi [*putabat.*] Pliſtoanax verò, quòd propter [*ſuum in patriam ab exilio*] reditum, ab inimicis per obtrectationem accuſaretur, & Lacedæmoniorum animis, quotieſcunque cladem aliquam accepiſſent, ab illis quaſi religio ſemper obiiceretur, quòd propter ipſius reditum contra leges ipſi conceſſum hæc accíderent. Criminabantur enim ipſum cum fratre Ariſtocle vatem, quæ Delphis erat, induxiſſe, vt Lacedæmoniis Theoris, qui ad oracula petenda eò proficiſcebantur, hæc diu reſponderet; vt Ioue ſati ſemidei prolem ex alieno ſolo in ſuum reducerēt. alioqui [*eos terram*] argenteo vomere araturos. Tandem verò [*eandem vatem*] Lacedæmonios impuliſſe ad eum, qui in Lycæū confugerat, propter ſuſpicionem munerū quondā [*ab hoſtibus*] acceptorum, vt ex Attica, [*ea non vaſtata, domum*] rediret, & qui dimidiatas ædes templi Iouis, Lacedæmoniorum metu, tunc incolebat, vndeuiceſimo [*poſt illud oraculum editum*] anno, eiuſmodi choris, atq; ſacrificiis [*in patriam*] reducendum, quibus, quum primùm Lacedæmonem condiderunt, Reges creatos proſequi inſtituerant. Phliſtoanax igitur hanc

[*inimicorum*] criminationem grauiter ferens, & existimans, in pace quidem, si nulla belli offensio [*Reipub.*] contingeret, simul etiam si Lacedæmonij suos reciperent, se quoque inimicorum criminationibus, [*ac obtrectationibus*] minus obnoxium fore: sed belli tempore semper necesse esse ciuitatis principes, propter calamitates, [*quas bellum afferre solet,*] criminationibus, [*& calumnijs*] obnoxios esse. [*idcirco*] ad compositionem animo erat propenso. Atque per illam hyemem in colloquiũ iuerunt. Et vere iam instante, apparatus à Lacedæmoniis [*hosti*] palàm intentatus fuit, & nuntiis per ciuitates circummissis significatus, vt ad munitiones [*in agro Attico*] extruendas [*se præpararent,*] vt Athenienses [*his intellectis*] dicto faciliùs audientes essent. Cùm autem in conciliis, post multa postulata vltrò, citroque ab vtrisque in medium prolata, conueniret, vt pax fieret ea conditione, vt vtrique redderent ea, quæ bello cepissent: sed Athenienses Nisæam retinerent. Nam cùm Platæa vicissim repeterent, Thebani responderunt se hãc vrbem tenere neque vi, neque proditione: sed deditione ab ipsis [*Plataensibus*] facta. Quamobrem Athenienses quoque eodem modo Nisæam [*a se teneri dixerunt.*] Tunc igitur Lacedæmonij, cùm suos socios aduocassent, & cæteri omnes, præter Bœotos, & Corinthios, & Eleos, & Megarenses (his enim quæ fiebant haud placebant) decretum de bello finiendo fecissent, compositionem fecerunt, & fœdus cum Athenensibus percusserunt, & iureiurando confirmarunt, & [*vicissim*] illi apud Lacedæmonios hæc, [*quæ sequuntur, iureiurando confirmarunt.*] Fœdera fecerunt Athenienses, & Lacedæmonij, & [*vtrorunque*] socij, istis conditionibus, & in singulis ciuitatibus [*hæc*] iureiurando ra-

ta ha-

ta habuerunt. Quod attinet ad publica templa, licere cuilibet tutò, terra, mariq́ue, [eò] proficiſci, & immolare, & oracula conſulere, & ſacrorum procuratores ad ea conſulendum mittere, patrio inſtituto. Fanum verò, templumq́ue Apollinis, quod eſt Delphis, ipſoſq́ue Delphos liberos eſſe, ita vt vtãtur ſuis legibus, ſuis vectigalibus, ſuiſq́ue iudiciis in decidendis controuerſiis tum eorum, qui in vrbe habitant, tum eorum, quos in ſua ditione habent, [idq́;] patrio inſtituto. Eſſe porrò fœdera annos quinquaginta Athenienſibus, ac Lacedæmoniis, & vtrorunque ſociis, ſyncera, & innoxia, terra, mariq́ue. Item neque Lacedæmoniis, neq; Athenienſibus, eorúmve ſociis, arma ſibi inuicem inferre, damni dandi cauſa, vlla vel arte, vel machinatione, liceat. Si qua controuerſia inter eos oriatur, iure agant, & iureiurando, prout inter eos cõuenerit. Lacedæmonij verò, eorumq́ue ſocij Amphipolin Athenienſibus reddant. Incolis verò ciuitatum, quaſcunque Lacedæmonij Athenienſib. tradiderunt, cum ſuis facultatibus abire liceat, quocunque voluerint. Ipſæ verò ciuitates liberæ ſint, ita tamen, vt pendant tributum, quod Ariſtidis tẽpore impoſitum pendebant. Quoniam autem fœdera facta ſunt, Athenienſibus, eorumq́ue ſociis ius ne ſit arma, nocendi cauſa, illis inferre, ſi tributum pendant. Illarum autem ciuitatum hæc ſunt nomina, Argilus, Stagirus, Acanthus, Scolus, Olynthus, Spartolus. Neutrorum verò, aut Lacedæmoniorum, aut Athenienſiũ, ſociæ ſint. Quod ſi Athenienſes his ciuitatibus perſuadere poſſint, [vt ſocietatem ſecum inire velint,] Athenienſibus ſocietatem cum ipſis volentibus facere liceat. Mecyuernæi verò, & Sanæi, & Singæi, ſuas ipſorum vrbes incolant, quemadmodum Olynthij, & Acanthij.

Lacedæmonij verò, eorumq; socij Panactũ Athenienſibus reddant. Et viciſſim Athenienſes reddant Lacedæmoniis Coryphaſium, & Cythera, & Methonem, & Pteleum, & Atalantem, & quoſcunque Lacedæmoniorum captiuos in carcere, vel Athenis, vel alibi intra ſuæ ditionis fines habent. Item dimittant Peloponneſios, qui Scionæ obſidentur, cæteroſq; Lacedæmoniorum ſocios, quotquot ſunt Scionæ, & quotquot Braſidas eò miſit. ſi quis denique Lacedæmoniorum ſocius vel Athenis, vel alibi, intra fines imperij, quod Athenienſes habent, in carcere detinetur, [*eum miſſum faciant.*] Viciſſim etiam Lacedæmonij, eorumque ſocij [*Athenienſibus*] eodem modo reddant quoſcunque Athenienſium, ſociorúmve penes ſe habent. De Scionæis verò, & Toronæis, & Sermyliis, & ſi quam aliam ciuitatem habent Athenienſes, Athenienſes de ipſis, & de aliis ciuitatibus arbitratu ſuo ſtatuant. Iidem etiam apud Lacedæmonios, eorumque ſocios, in ſingulis ciuitatibus iuſiurandum iurent. Vtriq, autem iuſiurandum more patrio receptum, quod in vtraque ciuitate maximum, [*ac religioſiſſimum*] habetur, iurent. Iuſiurandum autem in hæc verba iuretur: Stabo his pactis, atque his fœderibus, ſyncerè, & ſine dolo. Lacedæmonij autem, eorumque ſocij iuſiurandũ eodem modo apud Athenienſes iurent. Hoc autẽ vtrique quotannis renouent, & cippos erigant Olympiæ, Pythone, in Iſthmo; & Athenis, in arce; & Lacedæmone, in Amyclæo. Si quid autem alterutri per obliuionem præterierint, & ſiquid rectis rationibus [*vtrinque*] allatis diſcuſſum, [*mutandum vtriq, viſum fuerit, id*] in iis locis, [*tabuliſve*] mutare fas ſit, eo modo, quo vtriſque Athenienſibus, & Lacedæmoniis, viſum fuerit. Quum autem

autem fœdera percussa fuerunt, Plistolas Ephorus [*Spartæ*] magistratum gerebat, Artemisij mensis quarto ante finem die: Athenis verò, Archon erat Alcæus, Elaphebolionis mensis sexto ante finem die. Iurarunt autem, fœdusque percusserunt, ex Lacedæmoniis quidem, isti, Plistolas, Damagetus, Chionis, Metagenes, Acanthus, Daïthus, Ischagoras, Philocharidas, Zeuxidas, Anthippus, Telles, Alcinidas, Empedias, Menas, Lamphilus. Ex Athenienſibus verò isti, Lampon, Isthmionicus, Nicias, Laches, Euthydemus, Procles, Pythodorus, Agnon, Myrtilus, Thrasycles, Theagenes, Aristocætes, Iolcius, Timocrates, Leon, Lamachus, Demosthenes. Hæc fœdera facta sunt extrema iam hyeme, simul & sub veris initium, statim ab vrbanis Dionysiis, integro decennio exacto, & aliquot diebus elapsis, à prima irruptione in Atticam facta, & ab huius belli principio. Quilibet autem, [*qui hanc historiam legit, bellum, eiusq; annos*] spectet ex temporibus, [*vt à me supra demonstratum:*] non autem [*spectet*] enumerationem, [*seriemq;*] nominum, eorum, qui in singulis ciuitatibus magistratum gesserunt, aut [*nominum tempora*] significantium, propter aliquem honorem, [*ac dignitatem, qua quis alicubi præditus fuerit,*] vt hoc modo plus fidei rebus antè gestis habeat. Illa enim ratio non est certa, quibúsnam vel ineuntibus, vel gerentibus medium magistratum, vel qualibet alia ratione, res quæque gesta sit. Sed si [*tempora*] per æstates, & hyemes numeret, (vt [*à me iam*] est demonstratum) ex his ambabus dimidiatis [*anni*] partibus, quæ [*coniunctæ vnum integrum*] annum conficiunt, hoc primum bellum decem æstates, ac totidem hyemes habuisse, [*id est, decem annos durasse*] comperiet. Lacedæmonij verò (ipsis enim sorte

obtigit, vt priores redderent ea, quæ haberent) confestim omnes captiuos, quos penes se habebant, dimiserunt; & legatis in Thraciam missis, Ischagora, & Mena, & Philocharida, iusserunt Clearidam Amphipolin tradere Athenienſibus, & cæteros fœdera, vt ex conuento ſingulis conceſſum fuerat, admittere, [*& rata habere.*] Illi verò [*hæc*] admittere noluerunt, quòd nequaquã commoda eſſe ducerent. Et ne Clearidas quidẽ vrbem [*illis*] tradidit, Chalcidenſibus gratificari volens, dicens ſe non poſſe illis inuitis [*eam Athenienſibus*] tradere. Verùm ipſe celeriter cum [*Chalcidenſium*] legatis illinc Lacedæmonem profectus, vt ſe purgaret, ſi ab Ischagora, eiuſque collegis accuſaretur, quòd [*magiſtratibus*] non paruiſſet: ſimul etiam eo conſilio, vt tentaret ſi fortè pacis conditiones adhuc immutari poſſent: cùm [*eas*] cõfirmatas comperiſſet, ipſe quidem [*eò*] celeriter rediit, à Lacedæmoniis remiſſus, qui iubebant ipſum, præcipuè quidem vrbem [*Athenienſibus*] tradere, ſin minus, omnes Peloponneſios, quotquot illic eſſent, educere. Socij verò [*Lacedæmoniorum,*] cùm Lacedæmone eſſent, & Lacedæmonij eos, qui fœdera non admiſiſſent, [*ea*] facere, [*& quæ facta erant, admittere, ratáq; habere*] iuberent, eadem de cauſa, qua prius [*ea*] reiecerant, reſponderunt ſe non admiſturos, niſi aliqua [*fœdera*] his æquiora facerent. Sed [*Lacedæmonij,*] cùm ipſos audire nollent, ipſos quidem [*domum*] remiſerunt, ipſi verò ſocietatem cum Athenienſibus fecerunt, quod exiſtimarent Argiuos, quando per Ambelidam, & Licham, qui [*Lacedæmonem ab ipſis miſſi*] venerant, fœdus renouare noluerant, quòd (inquam) ipſos ſine Athenienſibus non formidabiles [*ſibi*] fore, cæteramque Peloponneſum maximè quieturam, [*& ab armis ſi-*

bi tem-

bi temperaturam] existimarent. Nam [*Argiuos*] ad Athenienses accessuros, [*seq; cum illis coniunctu ros putabant,*] si [*tunc ipsis hoc facere*] licuisset. Præsentibus igitur Athenienſium legatis, habitisque colloquiis compositionem fecerunt, & adhibito iureiurando societatem istam his conditionibus inierunt: Socij erunt Lacedæmonij, [*& Athenienses,*] annos quinquaginta. Quòd si qui hostes in Lacedæmoniorum agrum inuaserint, & Lacedæmonios maleficiis afficiant, Athenienses ratione quàm poterunt acerrima Lacedæmoniis opem pro virili parte ferant. Quòd si [*hostes*] agro vastato discesserint, hæc [*illorum*] ciuitas à Lacedæmoniis & Athenienſibus pro hoste habeatur, & ab vtriſq; bello petatur, & ambæ ciuitates [*bellum hostibus illatum, de communi sententia,*] simul deponant. Hæc autem iustè, & alacriter, & sine dolo fiant. Et [*vicissim*] si qui hostes in Athenienſium agrum inuaserint, & Athenienses maleficio afficiant, Lacedæmonij ratione quàm poterunt acerrima Athenienſibus opem pro virili parte ferant. Quòd si [*hostes*] agro vastato discesserint, hæc [*illorum*] ciuitas à Lacedæmoniis, & Athenienſibus pro hoste habeatur, & ab vtriſque bello petatur, & ambæ ciuitates [*bellum hostibus illatum, de communi sententia,*] simul deponant. Hæc autem iustè, & alacriter, & sine dolo fiant. Quòd si seruitia [*Lacedæmoniorum in ipsos dominos*] insurgant, Athenienses Lacedæmoniis opẽ totis viribus, pro virili parte ferant. Hæc autẽ fœdera iurabunt iidem, qui & superiora vtrinque iurarunt. Et [*vtrinq;*] quotannis hæc renouabunt, Lacedæmonij quidem, Athenas ad Dionysia proficiscentes; Athenienses verò, Lacedæmonem ad Hyacinthia proficiscentes. Cippos autem vtrique statuent, vnum quidẽ, Lacedæmone, iuxta Apol-

linem in Amycleo; alterum verò, Athenis, in arce, iuxta Mineruam. Quod autem attinet ad hanc societatem, si quid visum fuerit Lacedæmoniis, ac Athenienſibus, vel [*huic*] addendum, vel [*hinc*] demendum, quicquid visum fuerit, [*hoc vel addere vel demere*] vtriſque liceat. Hoc autem iuſiurandum iurarunt, ex Lacedæmoniis quidem, iſti, Pliſtoanax, Agis, Pliſtolas, Damagetus, Chionis, Metagenes, Acanthus, Daïthus, Iſchagoras, Philocharidas, Zeuxidas, Anthippus, Alcinadas, Tellis, Empedias, Menas, Làphilos. Ex Athenienſibus verò, iſti, Lampon, Iſthmionicus, Laches, Nicias, Euthydemus, Procles, Pythodorus, Agnon, Myrtilus, Thraſycles, Theagenes, Ariſtocrates, Iolcius, Timocrates, Leon, Lamachus, Demoſthenes. Hæc ſocietas inita fuit non multo poſt fœdera. Athenienſes autem Lacedæmoniis reddiderunt captiuos, quos in inſula [*Sphacteria*] ceperant. Æſtasq; vndecimi anni cœpit. Quæ igitur primo bello per decem annos continenter geſta fuerunt, hactenus [*à me*] conſcripta ſunt. Poſt fœdera autem, & ſocietatem, quæ poſt decenne bellum inter Lacedæmonios, & Athenienſes inita fuit, cùm Pliſtolas Lacedæmone Ephorus eſſet, & Alcæus Athenis Archon, apud illos quidem, qui hæc [*fœdera*] admiſeraut, pax erat. Corinthij verò, & quædam Peloponneſi ciuitates, quæ acta fuerant, concutiebant, [*& labefactare conabantur.*] Et confeſtim alius ſociorum motus aduerſus Lacedæmonios extitit. Quinetiã præterea Lacedæmonij, progreſſu temporis, Athenienſibus in ſuſpicionem venerunt, quòd quædam non præſtarent ex conuentis, quæ in fœderũ conditionibus continebantur. Et ad ſex quidem annos, decemque menſes [*vtriq;*] ſibi temperarunt, ne alteri in alterorum agrum cum exercitu infeſto proficiſcerentur.

ficiscerentur: sed extra [*vtriusque agri fines*,] propter inducias minimè firmas, [*& ob suspectum, dubiumq; fœdus*] se mutuò maximis detrimentis afficiebant. Deinde verò etiam illa post decem annos fœdera rumpere coacti, rursus ad apertum bellum venerunt. Atque hæc quoque idem Thucydides Athenienſis, prout ſingula quæque geſta ſunt, per æſtates, ac hyemes, ordine conſcripſit: eò vſque, donec Lacedæmonij, eorumque ſocij Athenienſibus imperium eripuerunt, & longos muros, & Piræum ceperunt. Anni autem iſtius belli huc vſque fuerunt in ſumma ſeptem & viginti. Quòd ſiquis compoſitionem, quæ interceſſit, belli ſpatio non adſcribẽdam putarit, is haud rectè iudicauerit. Hoc enim ex rebus geſtis, vt diſtinctè [*à nobis*] eſt declaratum, ſpectet, & comperiet non eſſe conſentaneum eam iudicari pacem, in qua [*vtriq;*] neque receperunt omnia, de quibus [*inter ipſos*] conuenerat. Et præter hæc vtriq; peccarunt, [*fœderisq; conditiones violarunt,*] in Mantinenſi, & Epidaurio bello, & in aliis [*rebus.*] Et ſocij, qui erant in Thracia, nihilominus, [*hi quidem, Athenienſibus; illi verò, Lacedæmonijs,*] hoſtes erant. Et Bœoti decemdiales inducias agebant. Itaque ſi quis & ex primo decenni bello, & ex ſuſpectis poſt illud induciis, & ex inſequuto has poſteriore bello temporum ineat rationem, tot annos, [*quot dixi,*] & paucos præterea dies elapſos, & ex iis, qui aliquid ab oraculis reportatum affirmarunt, hoc ſolum conſtanter euenisſe, [*certumq; fuiſſe*] comperiet. Etenim ego memini, vel ab ipſo huius belli initio vſque ad eius finem, vulgò prædicari ſolitum, hoc bellum ter nouenos annos geſtum iri. Quandiu autem hoc durauit, ego ſenſibus integris, [*vegetisq;*] perpetuò vixi, animumq; diligenter aduerti, vt aliquid certi

cognoscerem. Accidit autem mihi, vt post præturam ad Amphipolin gestam, patria annos viginti exularim: &, quòd apud vtrosque fuerim, nec minus apud Peloponnesios, propter exilium, per otium, aliquid ipsarum [*rerum in hoc bello gestarum*] facilius cognouerim. Ergo controuersias, quæ post decennale bellum extiterunt, & fœderum perturbationem, & res deinceps in bello gestas, prout gestæ fuerunt, enarrabo. Postquàm enim quinquaginta annorum fœdera percussa fuerunt, & mox societates, & legationes, quæ ex Peloponneso ad hæc accitæ fuerant, Lacedæmone discesserunt, & alij domum abierunt, Corinthij primùm Argos profecti, cum quibusdam Argiuorum principibus egerunt ac dixerunt, quãdoquidem Lacedæmonij, non propter vtilitatem Peloponnesi: sed vt eam in seruitutem redigerent, fœdera, societatemque fecerant cum Athenien sibus, qui prius ipsis erant inimicissimi, Argiuis prouidè operam esse dandã, vt Peloponnesi Respub. seruaretur, & decretum faciendum, vt quæcunque Græca ciuitas vellet, quæ suis legibus viueret, & pari iure frueretur, ei societatem cum Argiuis facere liceret, ita vt alteri alteris auxilium mutuò ferrent, si quis eos infestaret. Paucos autem viros cum summa potestate deligẽdos, quorum arbitrio res tota permitteretur, neque verba [*hac de re*] apud populum facienda, neij, qui multitudinem in suam sententiam pertrahere non potuissent, detegerentur. Multos autem odio Lacedæmoniorum [*ad Argiuos*] accessuros, [*& se ipsis adiuncturos*] dixerunt. Atque Corinthij quidẽ, cùm hæc demonstrassent, domum redierunt. Illi autem Argiuorum viri, [*quibuscum Corinthij egerant,*] cùm [*hæc*] audissent, & [*Corinthiorum*] verba ad magistratum, populumq; retulissent, Argiui decretum

fecerunt,

fecerunt, & duodecim viros delegerunt, cum quibus societatem facere liceret ei de Græcis, quisquis vellet, præter Athenienses, & Lacedæmonios. Nam [*decreuerunt, vt*] cum horum neutris iniussu populi Argiui fœdus facere liceret. Argiui autem hæc eo facilius admiserunt, tum quòd sibi Lacedæmoniorum bellum impendere viderent (nam fœdera cum illis inita iam exibant) tum etiam quòd se Peloponnesij principatum adepturos sperarent. Nam tunc temporis Lacedæmonij pessimè audiebant, & propter acceptas clades contemnebantur: at Argiui omnibus in rebus optimè se habebant, [*opibusque florebant,*] quòd cum cæteris bellum Atticum non suscepissent, sed potius, quòd fœdere cum vtrisque cõiuncti essent, sua vectigalia percepissent, [*ac ita res suas amplificassent.*] Sic igitur Argiui Græcos, quicunque [*se illis adiungere*] volebant, in societatem recipiebant. Mantinei verò, eorumque socij, quia Lacedæmonios metuebãt, primi se ipsis adiunxerunt. Mantinei enim, dum bellum [*à Lacedæmoniis*] cum Athenienſibus adhuc gereretur, quandam Arcadiæ partem subegerant, & in suam ditionem redegerant, & existimabant Lacedæmonios, præsertim otiosos, [*nec vllis bellis occupatos,*] sibi non permissuros, vt [*rerum subactarum*] imperio potirentur. Libenter igitur ad Argiuos se conuerterunt, [*ac eorũ amicitiam, & societatem sequuti sunt,*] quòd [*illorum*] ciuitatem potentem esse ducerent, & Lacedæmoniis semper inimicam, & popularis status administratione vti, quemadmodum & ipsi [*vtebantur.*] Cùm autem Mantinei defecissent, cæteri etiam Peloponnesij mussare, [*sermonesq; clàm agitare*] cœperunt, idem sibi quoq; faciendum esse: quippe quòd existimarent ipsos [*Mantineos*] aliquid acrius, [*prudentiusq; quàm cæteros Peloponnesios*] ani-

maduertisse, quo impulsi [*ad Argiuos*] concessissent, simul etiam quòd Lacedæmoniis essent infensi, cùm aliis de causis, tum etiam quòd in fœderibus Atticis scriptum esset, fas esse addere, & demere quicquid vtrique ciuitati visum esset, Lacedæmoniis [*videlicet*,] & Athenien sibus. Hæc enim conditio [*fœderibus*] adscripta Peloponnesios maximè perturbabat, & in suspicionem adducebat, Lacedæmonios cum Athenien sibus se in seruitutem redigere velle. Æquum enim fuisse, vt hęc immutandarum conditionũ facultas omnibus sociis [*æquè daretur, ac fœderib.*] adscriberetur. Quamobrẽ multi [*Peloponnesipopuli*] metuentes, animum ad Argiuos appulerunt, vt & ipsi singuli societatem [*cum illis*] facerent. Lacedæmonij verò, cùm hunc rumorem, qui per Peloponnesum dissipatus erat, sensissent, & Corinthios [*huius motus*] autores fuisse, ipsosque cum Argiuis fœdus facere statuisse [*cognouissent*,] legatos Corinthum miserunt, quòd [*illorum fœdus ac motum*] futurum anteuertere vellent. Et expostulabant cùm de eo, quòd totius [*huius motus*] autores fuissent, tum de eo, quòd à se deficere, & cum Argiuis societatẽ facere statuissent. Eos enim iusiurandum violaturos dicebant, atque iam iniustè facere, quòd fœdera cum Athenien sibus percussa non admitterent: cùm [*in ipsis*] illa conditio diserti ssimis verbis contineatur, id ratum esse oportere, quod maior sociorum pars decreuerit, nisi vel Deorum, vel heroum aliquod impedimentum interceserit. Corinthij verò præsentibus sociis, quos [*in consilium*] sibi adhibuerant, quotquot & ipsi fœdera [*cum Athenien sibus percussa*] non admiserant (ipsos enim ipsi prius aduocauerant) Lacedæmoniis contradicebant, iniurias quidem, quibus affecti fuerant, palàm non declarãtes, quòd

[*vide-*

[*videlicet*] neq; suum Solium, neq; Anactorium ab Athenienſibus recepiſſent, neq; [*vllam aliam rem,*] ſi qua alia re ſe fraudari putabāt: ſed ſpecioſam cauſam prætendentes, [*dicebant*] ſe non prodituros eos qui erant in Thracia. ſe enim & priuatim iureiurando interpoſito ſuam fidem ipſis dediſſe, quo tempore primum vnâ cum Potidæatis [*ab Athenienſibus*] defecerunt, & iterū poſtea. Negabant igitur ſe ſocietatis initæ iuſiurandū violaturos, quôd fœdera cum Athenienſibus inire nollent. Cùm enim iureiurando interpoſito, cuius Dij teſtes fuiſſent, illis, [*qui erant in Thracia,*] fidem dediſſent, [*dicebant*] ſe Deorum numina ſuo periurio læſuros, ſi ipſos proderent. Nam [*in fœderum conditionibus apertè*] dictum eſſe, niſi vel Deorum, vel heroū [*aliquod*] impedimentum intercederet. Hoc autem ſibi diuinum impedimentum videri. Atque de veteri quidem iureiurando hæc tantùm reſponderūt. Quod autem ad ſocietatem cum Argiuis ineundam attineret, ſe cum amicis deliberaturos, & quicquid æquum eſſet, facturos. Et Lacedæmoniorum quidem legati domum redierunt. Corinthi verò præſentes erant & Argiuorum legati, qui Corinthios ad ſocietatem [*ſecum*] ineundam, & ad omnē cunctationem abiiciendam adhortabantur. Illi verò ipſis edixerunt, vt ad proximum concilium apud ſe, [*Corinthi,*] habendum venirent. Confeſtim autem & Eleorum legatio [*Corinthum*] venit, ac primùm cum Corinthiis ſocietatem fecit. Deinde illinc Argos profecti, quemadmodū edictum fuerat, ſocietatem cum Argiuis inierunt. Fortè enim [*Elei*] cum Lacedæmoniis de Lepreo contendebant. Nam cùm Lepreatæ bellum quondam cum quibuſdam Arcadibus geſſiſſent, & Elei ad illius belli ſocietatem à Lepreatis acciti fuiſſent, ea conditione, vt dimidiam partem agri, [*de quo conten-*

debatur,]obtinerent, finito bello, Elei ipsis Lepreatis [*totum*]agrum colentibus talentum imposuerunt, quod Olympio Ioui [*quotannis*] penderent. Et [*Lepreatæ hõc*] ad bellum vsque Atticum persoluerunt. Deinde cùm [*hoc persoluere*] desiissent, causati bellum, Elei [*illos*] vrgebant. Illi verò ad Lacedæmonios se conuerterunt, [*eorumq; fidem implorarunt.*]Cùm autem huius controuersiæ cognitio, decisioque Lacedæmoniis commissa fuisset, Elei suspicati se suum ius [*apud Lacedæmonios ârbitros*] non obtenturos, omisso arbitrio , Lepreatarum agrum vastarunt. Lacedæmonij verò multo magis Lepreatas liberos esse, & Eleos iniustè facere pronuntiarũt. Et, quòd [*Elei*] arbitrio stare noluissent, præsidium grauis armaturæ militum Lepreum miserunt. Elei verò existimantes vrbem, quæ à se defeciſſet, Lacedæmonios recepisse, & pacis conditionem proferentes, in qua disertis verbis erat, vt singuli [*sociorum*] quæ belli Attici initio possidebant, hæc retinerent, & [*ab illo bello*] discederent. vt iniquo arbitrio damnati, quòd suum ius nõ obtinuissent, ad Argiuos defecerunt, societatemque [*cum illis,*] sicuti prædictum fuerat, hi quoque fecerunt. statim autem post illos & Corinthij, & Chalcidenses, qui sunt in Thracia, societatem cum Argiuis inierunt. Bœoti verò, & Megarenses, quãuis idem [*se facturos*] dicerent, quòd à Lacedæmoniis contemnerentur, tamẽ quiescebant, [*nec vllam societatem cum Argiuis inibant,*] quòd populatem Argiuorum statum sibi, qui paucorum dominatu regerentur, minus, quàm Lacedæmoniorũ Rempub. putarent profuturum. Per eadem huius æstatis tempora Athenienses, cùm Scionæos expugnassent, puberes interfecerunt, & pueros, ac mulieres in seruitutem redegerunt, agrumque Platæensibus

colendum

colendum dederũt. Delios etiam rursus in Delũ reduxerunt, reputãtes & clades in prœliis [*post eos pulsos*] acceptas, & Dei, qui Delphis colebatur, oraculũ, [*quo Delios in suas pristinas sedes reducere iubebãtur.*] Et Phocenses, & Locri bellum [*inter se*] gerere cœperunt. Corinthij vero, & Argiui, cùm iam essent socij, Tegeam iuerunt, vt eam à Lacedæmoniorũ societate auerterent, quòd [*eam*] magnam [*Peloponnesi*] portionem esse cernerent, ac, si ea sibi accessisset, se totam Peloponnesum habituros sperarent. Sed cùm Tegeatæ respondissent se Lacedæmoniis non aduersaturos, Corinthij, qui hactenus in eam rem acerrimè incubuerant, de contentione remiserunt, & veriti sunt ne nullus ex aliis ad se posthac accederet. Veruntamen ad Bœotos profecti, [*eos*] orarunt vt secum, & cum Argiuis societatem inirent, cæteraque communiter administrarent. Adhæc illas decem dierum inducias, quæ nõ multo post ista quinquaginta annorum fœdera inter Athenienses, & Bœotos mutuò factæ fuerant, Corinthij suadebant Bœotis, vt se Athenas sequuti, sibi quoque impetrarent eodem modo factas, quo Bœoti [*eas*] habebant. Quòd si Athenienses [*has sibi quoque concedere*] recusarent, inducias [*ipsis*] renuntiarent, & in posterum cum [*ipsis*] absque se nullum fœdus facerent. Bœoti verò, rogantibus Corinthiis, quod ad societatem quidem Argiuorum attineret, eos supersedere iusserunt. Athenas verò cum Corinthiis profecti, decem dierum inducias [*ab Athenienſibus*] non impetrarunt. Sed Athenienses responderunt, Corinthiis esse fœdera, si modò Lacedæmoniorum erant socij. Bœoti verò non magis propterea decem dierum inducijs renuntiare voluerunt, quamuis Corinthij hoc flagitarent, & cum expostulatione dicerent ita inter

se conueniſſe, [*illos tamen promiſſis non ſtare.*] Corinthiis autem induciæ ſine fœdere cum Athenienſibus extiterunt. Eadem æſtate Lacedæmonij cum frequentibus copiis, quas ex omni totius populi ordine collegerant, duce Pliſtoanacte Pauſaniæ filio, Lacedæmoniorum rege, expeditionem ſuſceperunt aduerſus Parrhaſios, qui ſunt in Arcadia, & qui Mantineorum imperio parent, ab ipſis ſeditione laborantibus acciti, ſimul etiam euerſuri, ſi poſſent, munitionem, quam Mantinei in Cypſelis extruxerant, & in agro Parrhaſio ſitam ipſi ſuo præſidio tenebant, prope Sciritidem, quæ eſt agri Laconici. Et Lacedæmonij quidē agrum Parrhaſium vaſtabant. Mantinei verò vrbis cuſtodia Argiuis tradita, ipſi ſocios ſuo præſidio tutabantur. Cùm autem & munitionem in Cypſelis extructam, & vrbes in agro Parrhaſio ſitas conſeruare non poſſent, abierunt. Lacedæmonij verò, cùm Parrhaſios in libertatē aſſeruiſſent, & munitionē illam euertiſſent, domum redierunt. Eadem æſtate Lacedæmonij, cùm ad ipſos iam ex Thracia rediiſſent milites, qui cum Braſida [*illuc*] profecti fuerant, quos poſt inita fœdera Clearidas reduxerat, decreuerūt, ſeruos quidem, qui cum Braſida prœlio interfuerant, liberos eſſe, & habitare vbicunque vellent. Nec multo pòſt ipſos cum iis, quos recenter in ciuium ius aſciuerant, in Lepreo collocarunt, quod in Laconico, ac Eleo agro, [*in ipſis videlicet vtriuſque agri confiniis*] ſitum erat, cùm iam Eleorum hoſtes eſſent. Suos verò [*ciues,*] qui in inſula [*Sphacteria*] capti fuerant, & qui arma [*hoſti*] tradiderant, veriti ne aliquid rerum nouarum molirentur, exiſtimantes ſe propter cladem acceptam deteriore, [*quam cæteros,*] conditione futuros, quamuis integra fama, & exiſtimatione forent, quamuis etiam

[*ipſo-*

[*ipsorum*] nonnulli magistratus iam gererent, ignominia notarunt. Hac autem ignominia notarunt, vt nullum magistratum gererent, vtque nullam haberent potestatem earum rerum, quas aut emissent, aut vendidissent. Postea tamen in integrum restituti fuerunt. Eadem æstate Dictidienses Thyssonem [*in monte*] Atho sitam, Athenienſium ſociam [*ciuitatem*] ceperunt. Atque hac tota æstate inter Athenienses, & Peloponnesios commerciũ fuit. Sed statim post inita fœdera Athenienses, & Lacedæmonij inter se suspecti esse cœperunt, quòd neutri loca, [*quæ tenebant,*] alteris restituissent. Nam Lacedæmonij, quibus sortitò obtigerat, vt [*loca, quæ tenebant, Athenienſibus*] priores redderent, nec Amphipolin, nec cætera reddiderant, nec socios, qui erant in Thracia, ad fœdera recipienda adegerant, ac ne Bœotos quidem, neque Corinthios, quamuis perpetuò dicerent se, nisi [*fœdera recipere*] vellent, vnâ cum Athenienſibus eos coacturos: tempusque sine syngrapha præstituerant, intra quod qui fœdera [*secum*] non iniissent, vtrisq; hostes esse [*pronuntiarant.*] Cùm igitur Athenienses nihil horum [*ab illis*] re ipsa præstari viderent, Lacedęmonios nihil æqui animo agitare suspicabantur. Quamobrem ipsis Pylum repetentibus reddere noluerunt, quinetiam eos pœnitebat, quod captiuos ex insula [*Athenas delatos ipsis iam*] reddidissent. Cæteraque [*Lacedæmoniorum*] loca retinebãt, expectantes donec & illi præstarent quæ promiserant. Lacedæmonij verò dicebant se præstitisse quæ poterant: Se enim Athenienſibus reddidisse omnes, quos ex ipsis apud se in vinculis habebant, & milites, qui erant in Thracia, abduxisse, & si quid aliud in sua potestate habebant, [*hoc ipsis reddidisse.*] Sed Amphipolin in sua potestate non esse

dicebant, ita vt [*eam ipsis*] traderent. Operam verò daturos, vt & Bœotos, & Corinthios in fœdera adducerent, vtque Panactum reciperent, & Athenienses, quotquot apud Bœotos erant captiui, recuperarent. Postulabant autem vt [*Athenienses*] Pylum sibi restituerent: sin minus, Messenios, & seruitia [*illinc*] educerent, quemadmodum & ipsi ex Thracia [*suos abduxerant*:] vtque locum illum Athenienses ipsi, si vellent, custodirent. Sæpe autem, multisque sermonibus per hanc æstatem habitis, [*tandem*] Atheniensibus persuaserunt, vt è Pylo educerent Messenios, cæterosque [*Lacedæmoniorum*] seruos, & quotquot ex agro Laconico [*ad ipsos*] transfugerant. Ipsosque in Craniis Cephalleniæ [*insulæ vrbe*] collocarunt. Hac igitur æstate à bello [*vtrinque*] cessatum est, & vltrò, citroque ad vtrosque commeatum. In sequenti hyeme (iam enim alij Ephori magistratum gerebant: nec erant ij, quibus magistratum gerentibus fœdera percussa fuerant: quinetiam horum nonnulli fœderibus erant aduersarij) cùm legati ex sociorum agro [*Lacedæmonem*] venissent, & Athenienses, & Bœoti, & Corinthij præsentes adessent, & vltrò, citroque multa verba facta fuissent, nec quicquam inter eos conueniret, postquam [*Athenienses*] domum redierunt, Cleobulus, & Xenares (illi, qui ex Ephoris fœdera frangere potissimum volebant) cum Bœotis, & Corinthiis priuatim sermones habuerunt, admonentes vt harum rerum statum accuratissimè cognitum perpenderent, operamque darent, vt Bœoti, vbi prius ipsi societatem cum Argiuis iniissent, postea cum Bœotis, Argiuos Lacedæmoniis socios adiungerent. Sic enim Bœotos fœdus cum Athenienſibus inire, minimè coactum iri [*putabant.*] Lacedæmonios enim Athe-

nienſium

nienſium inimicitiis, ac fœderum cum ipſis initorum violationi amicitiam, & ſocietatem Argiuorum antepoſituros. Habebant enim exploratum Lacedæmonios perpetuò cupere ciuitatem Argiuorum opportunè ſibi amicam eſſe, quòd bellum extra Peloponneſum leuius [*ſibi*] fore ducerent, [*ſi Argiuos ſinceros, & conſtantes amicos haberent.*] Bœotos verò rogabant vt Panactum Lacedæmoniis traderent, vt pro hoc recepta, ſi poſſent, Pylo, ad bellum aduerſus Athenienſes commodius deſcenderent. Atque Bœoti, & Corinthij cum his mandatis, quæ acceperant à Xenare, & Cleobulo, & [*ab aliis*] quotquot ex Lacedæmoniis erant ipſis amici, vt ad ſuas Reſp. referrent, vtrique abierunt. Quos abeuntes duo è ſummo Argiuorum magiſtratu viri in ipſo itinere obſeruauerunt, congreſſique cum eis in colloquium venerunt, ſi quo pacto Bœoti ſocietatem ſecum inire poſſent, quemadmodum Corinthij, & Elei, & Mantinei. Se enim exiſtimare [*dicebant,*] ſi res iſta [*ſibi feliciter*] ſucceſſiſſet, facile iam ſibi fore ad bellum gerere, & pacem facere & cum Lacedæmoniis, ſi vellent, & cum quibuſcunque aliis opus eſſet, palàm, & publicè hac de re agentibus. Hæc Bœotorum legatis audita placuerunt. Nam fortè accidit, vt [*hi duo Argiui*] ea peterent, quæ vel ipſi amici, qui Lacedæmone erant, ipſis mandarant. Cùm autem illi [*duo*] Argiui ſuum ſermonem ab ipſis admiſſum animaduertiſſent, & dixiſſent ſe legatos in Bœotiam miſſuros, abierunt. Bœoti verò [*domum*] reuerſi, ad Bœotarchas, [*id eſt, Bœotorum Magiſtratus,*] detulerunt cùm ea, quæ Lacedæmone, tum ea, quæ ex Argiuis in congreſſu audiſſent. Bœotarchæ verò id acceptum habuerunt, & multo promptiores fuerunt, quòd ipſis vtrinque conti-

gisset, vt & illi ex Lacedæmoniis, quos sibi amicos habebant, eadem peterent, & Argiui ad eadé properarent, [*eademq; cuperent.*] Nec multo pòst Argiuorum legati venerũt, vt eos solicitarent ad transigenda ea, quæ promiserant. Bœotarchæ verò probatis ipsorum postulatis, ipsos remiserunt, pollicíti se legationem Argos de societate missuros. Interea verò Bœotarchis, & Corinthiis, & Megarensibus, & legatis ex Thracia [*missis,*] primùm placuit, vt iureiurando interposito fidem sibi mutuò darent, [*& fœdus inter se facerent,*] ea conditione, vt, quotiescunque res hoc flagitaret, opem ei ferrent, qui ope indigeret, & cum nullo bellum gererent, aut compositionem, [*pacemq;*] facerent, nisi de communi [*omnium sociorum*] sententia. Et ita Bœotos, & Megarenses (idem enim faciebant) cum Argiuis iam fœdus facere [*dicebant.*] Verùm antequam [*huius fœderis*] iusiurandum iuraretur, Bœotarchæ rem communicarunt cum quatuor Bœotorum consiliis, quæ summam rerum Bœotiarum potestatem habent, & suadebant, vt iureiurando interposito fœdus auxilij mutui gratia cum illis ciuitatibus iniretur, quæcunque secum fœdus adhibito iureiurando facere vellent. At Bœoti, qui in illis consiliis erant, [*eorum*] consilium non probarunt, veriti ne Lacedæmoniis aduersarentur, si cum Corinthiis, qui [*ab illis*] defecerant, interposito iureiurando fœdus facerent. Neque enim Bœotarchæ ipsis declarauerant ea, quæ Lacedæmone Cleobulus, & Xenares Ephori, & [*alij*] amici suaserant, vt prius cum Argiuis, & Corinthiis societatem inirent, deinde cum Lacedæmoniis eandem facerent, [*& Argiuos Lacedæmoniis socios adiungerent.*] Nam [*Bœotarchæ*] existimabant illos, qui erant in consilio, quamuis [*hæc ipsis*] non dixissent,

tamen

tamen nihil aliud decreturos, quàm quod ipsi à se prius deliberatum [*ipsis*] suasissent: sed cùm res [*ipsis*] non successisset, Corinthij quidem, & legati ex Thracia [*missi*] infecto negotio abierunt. Bœotarchæ verò, qui, si [*quatuor Bœotorum consiliis hæc*] persuadere potuissent, operam dare statuerant, vt etiam cum Argiuis societatem inirent, nec de Argiuis quicquam amplius ad illa [*quatuor*] consilia retulerunt, nec legatos, quos [*se missuros*] promiserant, Argos miserunt: sed incuria quædam, & rerum omnium procrastinatio erat. Hac eadem hyeme Mecybernam, vbi erat Athenienſium præsidium, subitò adorti ceperunt. Posthæc Lacedæmonij (nam inter ipsos, & Athenienses assidua colloquia fiebant de locis, quæ inuicem tenebant) existimantes si Athenienses Panactum à Bœotis recepissent, fore vt ipsi Pylum reciperent, Bœotos per legationem adierunt, & orarunt vt Panactum, & quotquot ex Athenienſibus in vinculis haberent, sibi traderent, vt pro his ipsi Pylum reciperent. Bœoti verò negarunt se [*hæc*] reddituros, nisi secum, quemadmodum cum Athenienſibus, societatem priuatim coirent. Lacedęmonij verò, quamuis scirent se Athenienſibus iniuriã facturos, quòd [*in fœderis conditionibus*] cautum esset, ne sine communi consensu vel fœdus cum quoquam fieret, vel bellum gereretur: quia tamen Panactum recipere cupiebant, vt Pylum pro ipso recuperarent, simul etiam quòd illi, qui fœdera confundere properabant, ad fœdus cum Bœotis ineundum propensiores erant, societatem [*cum ipsis*] fecerunt, hyeme iam extrema, & sub ver: statimq; Panactum euersum est. Et vndecimus huius belli annus exiit. Ineunte statim vere insequentis æstatis Argiui, cùm Bœotorum legati, quos [*Bœoti*] se missuros

dixerant, non veniſſent, & Panactum [*ab illis*] euerſum intellexiſſent, & ſocietatem inter Bœotos, & Lacedæmonios priuatim factam, extimuerunt, ne [*omnium fœdere excluſi*] ſoli relinquerentur, omneſque ſocij ſe Lacedæmoniis adiungerent. Exiſtimabant enim Bœotos à Lacedæmoniis inductos fuiſſe & ad Panactum euertendum, & ad ineundam cum Athenienſibus ſocietatem, & Athenienſes harum rerum conſcios eſſe [*credebant.*] Itaque ne cum Athenienſibus quidem ſocietatem facere ſibi amplius integrum eſſe [*ducebant,*] cùm antea ſperaſſent, ſi, propter controuerſias, ea fœdera, quæ cum Lacedæmoniis inierant, frangerentur, futurum ſaltem, vt cum Athenienſibus ſocietatem inirent. Argiui igitur, cùm his difficultatibus premerentur, & vererentur ne ſimul cum Lacedæmoniis, & Tegeatis, & Bœotis, & Athenienſibus bellum ſibi gerendum eſſet, quòd Lacedæmoniorum fœdera prius non accepiſſent: ſed animis elati Peloponneſi principatum ſe adepturos ſperaſſent, quamprimum potuerunt legatos Lacedæmonem miſerunt, Euſtrophum, & Æſonem, qui ipſis chariſſimi, [*& gratioſiſſimi*] eſſe videbantur: exiſtimantes, vbi quàm commodiſſima fœdera pro præſenti rerum ſtatu cum Lacedæmoniis feciſſent, quomodocunq; res caderet, ſe quietos futuros. Ipſorum autem legati [*Lacedæmonem*] profecti, ſermonem habuerunt cum Lacedæmoniis, quibus conditionibus fœdera facienda eſſent. Ac primùm quidem Argiui poſtulabant, vt vel ciuitatis, vel priuati alicuius arbitrio, permitteretur controuerſia de agro Cynurio, de quo in confiniis poſito ſemper [*vtrique inter ſe*] contendebant (hic autem ager continet Thyream, & Anthenam vrbem, eumque Lacedæmonij poſſident.) Deinde verò, quamuis Lacedæmonij

dæmonij nullam de eo mentionem fieri sinerent: at se, si vellent illi fœdus ex pristina formula facere, ad hoc paratos esse [*dicerent:*] Lacedæmonios tamen Argiui legati ad hæc sibi concedenda induxerunt, vt [*videlicet*] in præsentia quidem fœdus annorum quinquaginta facerent, quotiescunque verò vtrilibet [*alteros ad prælium*] prouocassent, dummodo neque morbo, neque bello vel Lacedæmoniorum, vel Argiuorum ciuitas implicita esset, de hoc agro armis decernere liceret, quemadmodum & antè quondam [*factum esset,*] quum vtriq; se victores discessisse iudicarunt. Sed [*tamen alteris alteros*] persequi non liceret vlterius, quàm vel ad Argorum, vel ad Lacedæmonis terminos. Lacedæmoniis verò primùm quidem hæc [*Argiuorum postulata*] stultitiæ plena esse videbantur, deinde [*tamen*] (Argos enim quauis ratione amicum habere cupiebant) assensi sunt iis conditionibus, quibus [*fœdus fieri*] postulabant, & syngrapham fecerunt. Lacedæmonij autem [*legatos Argiuorum*] hortati sunt, vt, priusquàm quicquam eorum, [*de quibus inter eos tunc actum fuerat,*] conficeretur, Argos reuersi populo [*fœderis conditiones scriptis mandatas*] ostenderent, quas si probassent, tunc verò ad Hyacinthia, [*Lacedæmonem*] redirent, vt [*fœderis*] iusiurandum præstarent. Et illi quidem abierunt. Interea verò dum Argiui hæc tractarent, Lacedæmoniorum legati, Andromenes, Phædimus, & Antimenidas, quibus mandatum fuerat, vt Panactum, & captiuos à Bœotis receptos Athenienſib. redderent, Panactum quidem ab ipsis Bœotis euersum offenderunt, eo prætextu, quòd olim inter Bœotios, & Athenienses orta de illo castello controuersia, iureiurando interposito conuenisset, vt neutri [*soli*] id incolerent; sed Athenienſium vi-

ros, quos [*Bœoti*] captiuos habebant, Andromenes, eiusque collegæ receptos ad Athenienses deduxerunt, ac reddiderunt, & Panacti euersionem ipsis significarunt, existimantes se hoc etiam ipsis reddituros. [*sed hanc eius euersionem vtilem ipsis fore dicebant.*] nullum enim Atheniensium hostem in eo amplius habitaturum. Cùm autem hæc dicerentur, Athenienses grauiter indignabantur, quòd à Lacedæmoniis iniuriam sibi fieri putarent, cùm ob euersionem Panacti, quod erectum, [*& stans*] traditum oportuerat, tum quòd audirēt [*eos*] cū Bœotis quoque societatem priuatim fecisse, cùm tamen antea dicerent se communiter adacturos [*ad fœdus recipiendum*] eos, qui fœdus recipere noluissent. [*Hæc igitur,*] & alia considerabant, quæcunque [*Lacedæmonij*] ex pacto non seruauerant, & se fraude circumuentos existimabant. Quare [*Lacedæmoniorum*] legatos cum asperiore responso dimiserunt. Cùm igitur inter Lacedæmonios, & Athenienses huiusmodi dissidium esset, statim & illi, qui Athenis fœdera soluere cupiebāt, in hanc rem incumbere cœperunt. Erant autem cùm alij, tum etiam Alcibiades Cliniæ filius, qui, quamuis ætate tunc esset adhuc iuuenis, tamen propter maiorum dignitatem honorabatur, vt [*nullus alius*] in alia ciuitate [*magis hoc nomine queat honorari:*] cui vel satius esse videbatur ad Argiuos potius accedere, [*& societatem cum illis inire.*] quinetiam contentionis studio, quòd elato esset animo, [*fœderibus*] aduersabatur, quòd Lacedæmonij per Niciam, & Lachetem fœdera fecissent, ipso propter adolescentiam contempto, nec habito ei honore ex vetusti hospitij iure: quod, cùm [*ipsius*] auus [*Lacedæmoniis*] renuntiasset, ipse illorum captiuos ex insula [*Athenas delatos*] officiis prosequens, renouare cogitaret

gitabat. vndique igitur sibi de suo iure detrahi putans, & initiò Lacedæmoniis interceſſit, affirmans illos non esse constantes: sed, vt, inito cum Argiuis fœdere, eos sibi eximant, [*sibiq; lectos socios adiungant,*] & postea Athenienses solos, [*omniq; sociorum auxilio nudatos*] adoriantur, hac de causa fœdus cum ipsis facere velle. Et tunc, quum hoc dissidium exortũ est, confestim Argos [*nuntium*] priuatim misit, hortans [*Argiuos,*] vt quàm celerrimè cũ Mantineis, & Eleis [*Athenas*] venirent, [*eos*] ad societatẽ [*cum Athenienſibus ineundam*] prouocantes, quòd tẽpus esset opportunũ, seq; studiosissimè ipsis ad futurũ [*pollicebatur.*] Argiui autẽ, cùm hunc nuntiũ audissent, simul etiã cùm cognouissent societatẽ à Bœotis cũ Athenienſibus non esse factã: sed magnã dissensionem inter ipsos [*Athenienses*] & Lacedæmonios esse natam, suos quidem legatos, qui [*tunc*] aberant, quos de fœderibus acturos Lacedæmonem miserant, non curabant; sed ad Athenienses potius animum aduertebant: existimantes ciuitatem, cum qua sibi uetus amicitia intercederet, & quæ populari statu, quemadmodum & sua ciuitas, regeretur, & quæ magnam in mari potentiam haberet, sibi, si bellum susciperent in hoc auxilium esse laturam. Confestim igitur legatos de societate acturos ad Athenienses miserunt. Illos autem Eleorum, & Mantineorum legati comitabantur. Confestim etiam & Lacedæmoniorum legati, Philocharidas, Leon, & Endius, qui [*apud Athenienses*] gratiosi esse videbantur, [*eò*] profecti sunt, veriti ne [*Athenienses Lacedæmoniis*] irati societatem cum Argiuis facerent, simul etiam Pylum pro Panacto repetituri, & de societate cum Bœotis inita [*Lacedæmonios*] purgaturi, [*& demonstraturi illos hanc societatem*] non feciſſe, vt Athenienſibus malum, [*da-*

mnumq́] darent. Cùm autem hiſce de rebus in Senatu verba facerent, & ſe cum ſumma poteſtate de componendis omnibus controuerſiis [*eò*] veniſſe dicerent, Alcibiadi metum incutiebant, ne, ſi ad populum hæc [*ipſa*] retuliſſent, plebem allicerent, & Argiuorum ſocietas reſpueretur. Sed Alcibiades huiuſmodi fraudem aduerſus ipſos machinatur. Lacedæmoniis, fide ipſis data, perſuadet ne coram populo fateantur ſe cum ſumma poteſtate veniſſe, quod ſi fecerint, ſe Pylum ipſis redditurũ, (ſe enim hoc Athenienſibus perſuaſuru um, quemadmodum & tunc ſe [*Lacedæmoniis*] aduerſari dicebat) & cæteras controuerſias compoſiturum. Hæc autem [*Alcibiades*] eo conſilio agebat, vt [*Lacedæmonios*] à Nicia alienaret, vtque apud populum ipſos criminatus, quòd nihil ſinceri in animo haberent, nec eadem vnquam dicerent, Argiuorum, & Eleorum, & Mantineorum ſocietatem [*Athenienſibus*] conciliaret. Et ita euenit. Nam cùm [*legati*] ad populum proceſſiſſent, & interrogati non dixiſſent (vt in Senatu) ſe cum ſumma poteſtate veniſſe, tunc verò Athenienſes haud amplius [*illorum inconſtantiam, ac perfidiam*] tulerunt. Sed Alcibiadem multo vehementioribus, quàm antè, clamoribus Lacedæmonios inſectantem audiebant, [*eiq́, morem gerebant,*] animisque propenſis erant, Argiuis, illorumque comitibus [*in concionem*] introductis, ad ſocietatem cum ipſis ſtatim ineundã. Sed facto terræmotu, priuſquam quicquam conſtitueretur, [*populiq́, ſuffragiis ratum fieret*] hæc concio dilata eſt. In concione verò, quæ poſtridie conuocata fuit, Nicias, quamuis ipſi Lacedæmonij [*ab Alcibiade*] decepti fuiſſent, quamuis etiam ipſe quoque deceptus fuiſſet, quòd [*Lacedæmonij verbis eiuſdem Alcibiadis adducti, coram populo*] negaſſent ſe cum

se cum summa potestate venisse, tamen dixit oportere [*Athenienses*] cũ Lacedæmoniis potius, [*quàm cum Argiuis*] societatem inire, & societate, quam cum Argiuis facere volebant, supersedere, & [*legatos*] ad ipsos [*Lacedæmonios*] iterum mittere, & explorare quidnam in animo haberent. Hanc enim belli dilationem sibi quidem honestam, illis verò turpem fore dicebat. Nam sibi quidem maximè expedire, florente iam Repub. fortunam hanc florentem quàm diutissimè conseruare. Illis verò in afflicta fortuna versantibus, loco lucri fore, primo quoque tempore belli fortunam periclitari. Persuasit autem [*Athenienſibus,*] vt legatos [*Lacedæmonem*] mitterent (in quorum numero & ipse erat) qui iuberent Lacedæmonios, si quid sinceri in animo haberent, Panactum erectum, [*ac integrum,*] & Amphipolin restituere, & Bœotorum societatem missam facere, nisi fœdera [*secum*] inire vellent, quemadmodum [*in fœderibus apertissimè*] cautum fuerat, vt neutri sine mutuo consensu cum vllo paciscerentur. Imperarunt etiam [*legatis,*] vt [*Lacedæmoniis*] dicerent, se quoque, si [*Lacedæmoniis*] iniuriam facere voluissent, societatem cum Argiuis iam facturos fuisse: quòd ipsi [*Argiui*] hac ipsa de causa [*Athenis*] adessent. Et si quid aliud [*Lacedæmoniis*] crimini dabant, Niciam, eiusque collegas cum mandatis de omnibus, [*ad illos*] miserunt. Cùm autem legati [*Lacedæmonem*] peruenissent, & cùm alia denuntiassent, tum etiam ad extremum dixissent, nisi [*Lacedæmonij*] societatem cum Bœotis initam dirimerent, qui fœdus [*secum*] inire noluerant, se quoque cum Argiuis, eorumq; sociis societatem facturos: Lacedæmonij responderunt, se societatem cum Bœotis initam non dirempturos (nam Xenares Ephorus & alij, quot-

quot eiusdem factionis erant, euicerant, vt hæc fie-
rent, [*vtq; hoc responsum Athenienſibus daretur:*]) fœ-
deris tamen iusiurandum Nicia rogante renoua-
runt. Verebatur enim [*Nicias*] ne rebus omnibus
prorsus infectis abiret, ac malè audiret (quod et-
iam accidit) quòd fœderum cum Lacedæmoniis
faciendorum autor esse videretur. Cùm autem ipse
rediisset, & Athenienses audissent nihil à Lacedæ-
moniis impetratum fuisse, cõfestim indignari cœ-
perunt, & iniuriam [*ab illis*] sibi fieri putantes, cum
Argiuis eorumque sociis (aderant enim illi, ab Al-
cibiade introducti) fœdera, ac societatem fecerunt,
his verbis: Fœdera fecerunt Athenienses, & Ar-
giui, & Mantinei, & Elei, in annos centum, pro
se ipsis, & pro sociis, quibus vtrique præsunt, sin-
cera, & commoda, tam terra, quàm mari. Nefas
autem sit Argiuos, & Eleos, & Mantineos, eorum-
que socios, Athenienſibus, ac sociis, quibus Athe-
nienses imperant, arma detrimenti causa inferre.
Et [*vicissim*] nefas sit Athenienses, eorumque soci-
os, Argiuis, & Eleis, & Mantineis, eorumque so-
ciis [*arma detrimenti causa inferre*,] vlla vel fraude,
vel machinatione. His conditionibus Athenienses
& Argiui, & Elei, & Mantinei sint socij centum
annos. Et si hostes in Athenienſium agrum inua-
serint, Argiui, & Elei, & Mantinei Athenas ad o-
pem ferendam veniant, prout Athenienses [*ipsis*]
denuntiauerint, ratione quàm acerrima poterunt
pro viribus. Quòd si [*hostes agro Attico*] vastato
discesserint, hæc [*hostium*] ciuitas ab Argiuis, &
Mantineis, & Eleis, & Athenienſibus pro hoste
habeatur, & à cunctis his ciuitatibus [*bello petatur*
ac] vexetur. Nulli verò harum ciuitatum bellum
[*communiter susceptum*] aduersus [*hostium*] ciuita-
tem deponere liceat, nisi cunctis [*idem*] videatur.

Vicissim

Vicissim autem Athenienses quoque Argos, Mantineam, & Elin ad opem ferendam proficiscantur, si hostes inuaserint in agrum Eleorum, aut Mantineorum, aut Argiuorum, prout hæ ciuitates [*ipsis*] significauerint, ratione quàm acerrima poterunt, pro viribus. Quòd si [*hostes agro istarum ciuitatum*] vastato discesserint, hæc [*hostium*] ciuitas ab Athenienſibus, & Argiuis, & Mantineis, & Eleis pro hoste habeatur, & à cunctis his ciuitatibus [*bello petatur, ac*] vexetur. Bellum autem aduersus hanc ciuitatem [*susceptum*] deponere nefas sit, nisi cunctis ciuitatibus [*idem*] videatur. Præterea nulla [*harum ciuitatum fœderatarum*] per agrum suum, aut sociorum, quibus singulæ ciuitates imperant, aut per mare, homines armatos, inferendi belli gratia, transire sinat, nisi vniuersæ ciuitates, Athenienſis, Argiua, Mantinea, & Elea, de communi sententia transitum [*illis dandum*] esse decreuerint. Illis autem, qui opem ferent, ciuitas, quæ [*illos*] mittet, commeatũ præbeat ad dies triginta, ex eo die, quo [*auxilia*] in eam ciuitatem ingressa fuerint, quæ opem sibi ferendam significauerit, & [*iisdem auxiliis*] abeuntibus eodem modo [*commeatũ præbeat.*] Quòd si copiis [*accitis*] diutius vti velint, illa ciuitas, quæ [*copias*] acciuerit, stipendium det, singulis quidem grauis, ac leuis armaturæ militibus, atque sagittariis, quotidie ternos obolos Æginæos. Equiti verò, singulas drachmas Æginæas. Eadem ciuitas, quæ [*copias*] acciuerit, imperij summam obtineat, si bellum in eius finibus geratur. At, si quò vniuersis ciuitatibus, coniunctis copiis proficisci visum fuerit, omnes ciuitates [*in hac expeditione*] par imperium participent. Hæc autem fœdera, Athenienses quidem pro se ipsis, & pro sociis, iurent. Argiui verò, & Mantinei, & Elei, eo-

rumque socij, in suis quique ciuitatibus iurent. Singulæ autem ciuitates supra lectas hostias iusiurandum, quod moribus patriis est receptum, & quod religiosissimum apud singulas habetur, iurent. Iusiurãdum autem in hæc verba iuretur: Perstabo in societate ex pactis, & conuentis, iustè, & innocuè, & sincerè, nec [*eam*] vlla vel fallacia, vel machinatione violabo. Iurent autẽ Athenis quidẽ, Senatus, & Tribuniplebis. Prytaneas autem [*id est, Prætores, & summi Athenienſium Magiſtratus*] ad iusiũrandum [*alios*] adigant. Argis verò, Senatus, & Octoginta viri, & Artynæ. Et octoginta viri [*alios*] ad iusiurandum adigant. Mantineæ verò, Demiurgi, & Senatus, & cæteri Magristratus. Theori verò, & Tribuni militum [*alios*] ad iusiurandum adigant. Elide verò, Demiurgi, & Quæstores ærarij, & sexcenti viri. Demiurgi verò, & Thesmophylaces, [*id est, legum custodes,*] ad iusiurandum [*alios*] adigant. Hoc autem iusiurandum renouent, Athenienses quidem, euntes Elin, & Mantineam, & Argos, triginta diebus ante Olympia. Argiui verò, & Elei, & Mantinei, euntes Athenas, decem diebus ante magna Panathenæa. Hæc autem fœderum, & iurisiurãdi, & societatis pacta in lapideo cippo inscribant, Athenienses quidem, in arce. Argiui verò, in foro, in Apollinis templo: Mantinei verò, in Iouis templo, [*quod est*] in foro. Cippum etiam æneum communi sumptu factum statuãt Olympiæ, in ludis Olympiacis, qui nunc fiunt. Quòd si quid his ciuitatibus videatur melius esse, [*hoc*] addant pactis, & conuentis. Quicquid autem his vniuersis ciuitatibus consilio vnâ communicato visum fuerit, id ratum sit. Hæc igitur fœdera, & societates hunc in modum initæ sunt. Illa tamen, quæ inter Lacedæmonios, & Athenienses inita fuerant, neu-

tri

tri propterea alteris renuntiarunt. Corinthij verò, quamuis essent Argiuorum socij, hæc tamen [*cum aliis*] inire noluerunt: quinetiam cùm paulo antè [*fœdus, &*] societas inter Eleos, Argiuos, & Mantineos inita fuisset, ea conditione, vt cum iisdem bellum gererent, & [*cum iisdem*] pacem facerent, [*huius societatis*] participes esse noluerunt, [*nec eam iureiurando ratam habere voluerunt.*] Dixerunt enim sufficere sibi superiorem illam subsidiariam societatem, quam inter se inierant, vt alteri alteris mutuam opem ferrent, at nulli bellum communiter inferrent. Atque ita Corinthij ab illorum societate recesserunt, & animum ad Lacedæmonios iterum conuerterunt. Hac autem æstate Olympia extiterunt, in quibus Androsthenes Arcas, tunc primùm in pancratij certamine victor fuit: & Lacedæmonij aditu ad templum ab Eleis prohibiti fuerunt, ne sacrificium facerent, néve certarent, quòd ipsis non persoluerent multã quam Elei ipsis ex lege Olympiaca damnatis irrogauerant. dicebant enim illos in munitionem Phyrcum arma intulisse, & milites ex suis armatos Lepreum immisisse, Olympiaci fœderis tempore, [*dum ludi, & Olympiaca sacrificia fierent.*] Multa autem erant duo millia minarum, in singulos milites armatos binæ minæ, quemadmodum lege continetur. Lacedæmonij verò, missis [*ad eos*] legatis, contradicebant, negantes se iustè condemnatos, quippe quòd fœdus Lacedæmoniis nondum denuntiatum fuisset, quum suos milites armatos [*illuc*] immiserunt. Elei verò dicebant inducias, [*quæ ludorum, ac sacrificiorum olympiacorum causa indici solebant,*] apud se iam fuisse. Sibi enim ipsis, [*& suis agri incolis*] primis [*has inducias*] indixerant, & se quiescentibus, neque [*tale quid*] expectantibus, vt pote fœderis tempore, ipsos Lace-

dæmonios clàm iniuriam [*sibi*] feciſſe [*dicebant.*] Lacedæmonij verò excipiebant, [*atq; illis reſpondebant, non ſolis agri Elei incolis has inducias indicendas fuiſſe: ſed*] oportuiſſe etiam ipſos [*Eleos*] Lacedæmoniis denuntiare, ſi tunc iniuriam ſibi ab ipſis [*Lacedæmoniis*] fieri putabant, non autem, quòd [*iniuriam ab illis ſibi factam*] arbitrarentur, hoc facere, [*& Lacedæmoniis multam irrogare,*] & [*Lacedæmonij promittebant ſe*] nulla arma in poſterum ipſis illaturos. Elei verò in eadem ſententia perſtabant, dicentes ſe nunquam adductum iri, vt ſibi nullam iniuriam [*à Lacedæmoniis*] factam fuiſſe crederent. Sed ſi [*Lacedæmonij*] Lepreum ſibi reſtituere vellent, [*dicebant ſe ipſis*] ſuam multæ partem remiſſuros, & [*partem*] quæ Deo deberetur, ſe pro ipſis perſoluturos. Sed cùm [*Lacedæmonij Eleos*] audire, [*moremq; ipſis gerere*] nollent, [*Elei*] rurſus hæc poſtularunt, vt Lepreum quidem, ſi nollent, non reſtituerent, verum aſcenderent ad Iouis Olympij aram, quandoquidé templo vti exoptarent, vt corã Græcis iurarent, ſe multam in poſterũ perſoluturos. Sed cùm [*Lacedæmonij*] ne iſta quidé [*facere*] vellent, Lacedæmonij quidé à tẽplo, ſacrificiis, & certaminibus prohibiti fuerũt, domiq; ſacrificiũ fecerunt: cæteri verò Græci, præter Lepreatas [*certamina*] ſpectauerunt. Elei tamé veriti ne [*Lacedæmonij*] per vim ſacrificiũ facerent, cũ iuuẽtute armata excubias egerunt. Ad ipſos autem venerunt & Argiui & Mantinæi ex vtriſq; mille, & Athenienſium equites, qui dierum feſtorum celebrationem Argis præſtolabantur. Nam omnem illius cœtus frequentiam ingens timor inuaſerat, ne Lacedæmonij armati [*eò*] venirent, præſertim poſteaquàm Lichas Arceſilai [*filius*] Lacedæmonius virgis à lictoribus in ſtadio cęſus fuerat, quòd, cùm ipſius bigæ viciſſent, & per præconis vocem pronuntiatum

nuntiatum fuisset publicas Bœotorum [*bigas vicissse*,] quòd [*Lacedæmoniis*] interdictum fuisset certaminibus, [*ipse*] in stadium progressus, aurigam coronasset, cupiens indicare currum illum suum fuisse. Quamobrem multo magis omnes tunc timuerunt. & aliquid noui fore videbatur. Lacedæmonij tamen quieuerunt, atque illa dierum festorum celebratio sic ipsis præteriit. Post Olympia autem Argiui, eorumq; socij Corinthum iuerunt, Corinthios oraturi, vt ad se transirent, [*secumq; fœdus facerent.*] Aderant autem & Lacedæmoniorum legati, & quamuis multi sermones habiti fuissent, ad extremum tamen nihil peractum est: sed facto terræmotu in suam quique vrbem discesserunt. atque hæc æstas excessit. Ineunte autem hyeme Heracleotæ, qui sunt in agro Trachinio, cum Ænianibus, & Dolopibus, & Melienſibus, & nonnullis Thessalis prœlium commiserunt. Nam hæ gentes, quæ huic [*Heracleotarum*] vrbi finitimæ erant, ei hostes erant. Hæc enim vrbs non aduersus vllum alium, quàm istarum [*gentium*] agrum condita fuerat, [*vt ipsæ credebant.*] Et simul atq; condi cœpta est, statim ei aduersari cœperunt, eam pro viribus atterentes, & tunc Heracleotas prœlio superarunt, & Xenares Lacedæmonius ipsorum dux [*in eo*] cecidit, & [*multi*] alij Heracleotæ perierunt. atq; illa hyems exiit, & duodecimus huius belli annus excessit. Insequentis autem æstatis initio statim, Heracleam quòd post prœlium grauiter infestaretur, Bœoti [*in fidem suam*] receperunt, & Hegesippidam Lacedæmonium, vt perperam res illas administrantem expulerunt. Hanc autem vrbem [*in fidem suam*] receperunt, veriti ne, Lacedæmoniis Peloponnesi tumultu turbatis, [*ac impeditis,*] Athenienses [*eam*] occuparent, Lacedæmonij tamen ipsis

erant irati. Eadem æstate Alcibiades Cliniæ [*filius,*] Athenienſium dux, Argiuis, ac ſociis [*eum*] adiuuantibus, in Peloponneſum profectus cum paucis grauis armaturæ militibus Athenienſibus, & ſagittariis, & ſociis, quos illinc aſſumpſerat, cùm alia, quæ ad ſocietatem pertinebant, conſtituit, per mediam Peloponneſum cum copiis iter faciens, tum etiam Patrenſibus perſuaſit, vt muros ad mare vſque perducerent, & ipſe alteros Rhium Achaicum verſus extruere in animo habebat. Sed Corinthij, & Sicyonij, & [*alij.*] quibus [*hi muri*] extructi damnum daturi erant, [*illuc*] accurrentes impediuerunt, [*ne Alcibiades hos extrueret.*] Eadem æstate bellum inter Epidaurios, & Argiuos geſtum eſt, prætextu quidē hoſtiæ, quam ad Apollinem Pytheum Epidaurij paſcuorum nomine adducere debuerant, nec tamen miſerant. Ipſum autem templum erat potiſſimùm in Argiuorum poteſtate. Sed vel ſine iſta [*ſpecioſa*] cauſa Alcibiades, & Argiui Epidaurum, ſi poſſent, occupare ſtatuerant, tum vt Corinthus eſſet pacata, [*neque quicquam aduerſus ipſos moueret, quod ipſorum res turbaret:*] tum etiam quòd Athenienſes auxilium ex Ægina [*Argiuis*] itinere compendioſiore latum iri [*putarent,*] quàm ſi Scyllæum circumuecti ſuppetias illis ferrent. Argiui igitur ſe præparabant ad irruptionem in Epidaurum faciendam, vt ipſimet hoſtiam exigerent. Per eadem autem tempora Lacedęmonij quoque cum frequentibus copiis, quas ex omnibus [*agri Laconici*] populis collegerant, ad Leuctra in agri ſui confiniis ſita, ad Lycæum, duce Agide Archidami [*filio,*] Rege ſuo, profecti ſunt. Nullus autem ſciebat quónam illi proficiſcerētur. Imò ne ipſæ quidem ciuitates, vnde [*milites*] emiſſi fuerant. Sed cùm pro tranſitu ſacrificia facientes,

litare

litare non potuissent, cùm ipsi domum redierunt, tum etiam per nuntios circummissos sociis edixerunt, vt post insequentem mensem (Iulius autem erat, [*quem Lacedæmonij significabant*,] in quo stata sacra apud Dorienses celebrantur) se præpararent, vt ad militiam profecturi. Illis autem domum reuersis, Argiui, [*Iunij*] exeuntis quarto die ante Calendas mensis Iulij, [*ex suis finibus*] egressi, quamuis illos dies festos agerent, tamen per totum illud tempus in agrum Epidaurium irruperunt, eumque vastarunt. Epidaurij verò sociorum auxilium implorabant. Horum verò nonnulli quidem hunc mensem causabantur, [*& dicebant sibi per eum mensem, qui Apollini sacer esset, ad militiam ire nefas esse.*] nonnulli verò, vel ad ipsa agri Epidaurij confinia profecti, quieuerũt, [*& à prælio abstinuerunt.*] Dum autem Argiui in agro Epidaurio essent, legationes ex [*sociis*] ciuitatibus ab Atheniẽsibus excitæ Mantineam venerunt. Et cùm in colloquium ventum esset, Ephamidas Corinthius verba cum factis congruere negauit. Nam ipsos quidem de pace acturos [*Mantineam conuenisse, & ibi*] consedisse: Epidaurios verò, eorumque socios, & Argiuos armatos castra opposita habere. Primùm igitur exercitus, qui ab vtrisque missi fuerant, dimittendos, atque ita demum de pace verba rursus facienda [*censebat.*] His autem verbis adducti [*Athenienſium legati,*] abierunt, & Argiuos ex agro Epidaurio abduxerunt. Postea verò, cùm in eundem locum [*rursus*] conuenissent, ne sic quidem quicquam communiter transigere potuerunt: sed Argiui rursus in agrum Epidaurium irruperunt, eumque vastarunt. Lacedæmonij quoque cum suis copiis aduersus Caryas profecti sunt. Sed cùm ne hîc quidem sacrificia pro transitu facientes litare potuissent, domum redie-

runt. Argiui verò tertia fere agri Epidaurij parte vastata, domum reuerterũt. Ipsis autem mille grauis armaturæ milites Athenienses, duce Alcibiade auxilium tulerant, cùm Lacedæmonios cum copiis ex suis finibus egressos audissent: sed cùm ipsorum opera non amplius opus esset, abierunt. Atque hæc æstas ita exacta est. Sequentis hyemis initio Lacedæmonij clàm Athenienſibus præsidium trecentorum militum, & Agesippidam [*ipsorum*] ducem, mari Epidaurum immiserunt. Argiui verò ad Athenienses profecti, cum ipsis expostularunt, quòd, cùm in fœderibus scriptum esset, vt nulli [*de sociis*] hostes per [*agrum*] suum transire sinerent, [*ipsi tamen Lacedæmonios*] per [*suum*] mare transire permisissent. Et nisi ipsi quoq; Messenios, & seruitia aduersus Lacedæmonios Pylum reduxissent, se [*ab ipsis*] iniuria affectum iri [*dicebant.*] Athenienses verò autore Alcibiade, cippo quidem Laconico sub scripserunt, Lacedæmonios [*in fœderis conditionibus non perstitisse: sed*] fœdus violasse, Pylum verò è Craniis seruitia [*Lacedæmoniorum*] reduxerunt, vt latrocinarẽtur. cæteris verò in rebus quieuerunt, [*& ab armis abstinuerunt.*] Per hanc autem hyemem, quamuis Argiui, & Epidaurij bellum [*inter se*] gererent, tamen nullum quidem prœlium acie palàm instructa commissum est: sed insidiæ, & incursiones [*tantùm*] factæ sunt, in quibus, prout casus tulit, ex vtriſque nonnulli ceciderunt. atque extrema hyeme, & ad ver iam accedente, Argiui cum scalis, quas sumpserunt, aduersus Epidaurum iuerunt, vt propter bellum defensoribus adnudatam expugnaturi. Sed infecto negotio discesserũt. Et hyems illa exiit, & decimus tertius huius belli annus excessit. Insequente æstate iam media Lacedæmonij, cum Epidaurij ipsorum socij grauiter ve-

xarent-

xarentur, & aliæ Peloponesi [*ciuitates*,] partim quidem, [*ab ipsis iam*] defeciſſent, partim verò, laborarent, exiſtimantes, niſi celeriter [*ipſas*] præoccuparent, ipſas vlterius progreſſuras eſſe, [*& plures præterea defectionem facturas*,] cùm ipſi, tum ipſorum ſeruitia cum maximis copiis ex omni ſuæ ditionis populo collectis aduerſus Argos iuerunt. Illis autem præerat Agis Archidami [*filius*] Lacedęmoniorum Rex. Cum ipſis autem ad hanc militiam profecti ſunt Tegeatæ, & alij Arcades, quotquot erant Lacedæmoniorum ſocij. Nam cæteri ſocij, qui in Peloponneſo, & extra [*Peloponneſum*] erant, ad Phliuntem cogebantur. Bœotorum quidem, quinque millia grauis armaturæ militum, & totidem leuis armaturæ, & quingenti equites, & totidem alij, quorum tanta erat exercitatione celeritas, vt iubis equorum ſubleuati, curſum illorum adæquarent. Corinthiorum verò, duo grauis armaturæ millia. cæterorum verò, pro cuiuſque copia, viribuſque numerus erat. Sed Phliaſij cum omnibus ſuis copiis [*ad hanc expeditionem iuerunt*,] quòd [*ſociorum*] exercitus in ipſorum [*agro*] eſſet. Argiui autem, cùm tunc primùm Lacedæmoniorum apparatum præſenſiſſent & poſteaquàm [*Lacedæmonij*] Phliuntem iuerunt, vt cum aliis ſe coniungerent, tũc demum & ipſi cum exercitu prodierunt. Ipſis autem auxilium tulerunt & Mantinei cum ſuis ſociis, & Eleorum tria grauis armaturæ millia Et progreſſi Lacedæmoniis ad Methydrium Arcadiæ [*oppidum*] occurrunt. Et vtriq; collem occupant. Et Argiui quidem ad prœlium cum Lacedæmoniis vt ſociorum auxilio nudatis committendum ſeſe, præparabant. Sed Agis caſtris noctu motis, idque clàm [*Argiuis*,] Phliuntem ad alios ſocios contendit. Quod cùm Argiui cognouiſſent, primo diluculo ſtatim abie-

runt, primùm quidem Argos, deinde verò ad illam viam, quæ ad Nemeam ducit, quâ Lacedæmonios cum sociis descensuros expectabant. Sed Agis non conuertit se ad illud iter, quâ [*illi ipsum transiturum*] expectabant: at re Lacedæmoniis, & Arcadibus, & Epidauriis denuntiata, aliud asperum iniuit, & in Argiuorum planitiem descendit. Et Corinthij, & Pellenenses, & Phliasij alia ardua [*via*] iter fecerũt. Bœotis verò, & Megarensibus, & Sicyoniis præceptum fuerat, vt via, quæ ducit ad Nemeam, descenderent, vbi confederant Argiui, vt, si Argiui contra ipsos [*Lacedæmonios*] in planitiem ad vim arcendam venirent, ipsi equis vterentur eos à tergo insequentes. Atque Agis quidem acie sic instructa, & irruptione in planitiem facta, Saminthum, & alia [*illius agri loca*] vastabat. Argiui verò hac re cognita, cùm dies iam illuxisset, ex Nemea ad opem [*agro suo*] ferendam venerunt, & cùm in Phliasiorum, & Corinthiorum exercitum incidissent, paucos quidem ex Phliasiis interfecerunt: ipsi verò non multo plures ex suis à Corinthiis cœsos amiserunt. Et Bœoti, & Megarenses, & Sicyonij, vt præceptum fuerat, ad Nemeam perrexerunt, nec Argiuos amplius [*illic*] inuenerunt: sed [*Argiui*] cùm [*in planitiem*] descendissent, & res suas vastari animaduertissent, ad pugnam sese præparabant. Vicissim verò & Lacedæmonij aciem aduersus illos instruebant. Cæterùm Argiui vndique circumuenti erant: nam à planitiei quidem parte, Lacedæmonij, eorumque socij [*ipsos*] ab vrbe prohibebant. Ex locis verò superioribus, Corinthij, & Phliasij, & Pellenenses: ab illa verò parte, quæ Nemeam spectabat, Bœoti, & Sicyonij, & Megarenses. Ipsis verò [*Argiuis*] nulli equites præstò erant: soli nanque ex sociis Athenienses nondum adue-

aduenerant. Argiuorum autem, & ſociorum [*reliquus*] exercitus præſentem rerum ſtatum nõ adeò periculoſum, [*vt reapſe erat,*] eſſe ducebat, ſed in [*loco*] opportuno, [*ipſiſq; commodo, rectè*] prœlium commiſſum iri videbatur, & Lacedæmonios in ſuo [*agro*] & prope [*ſuam*] vrbem [*à ſe putabant*] circumuentos. At cùm exercitus iamiam eſſent concurſuri, duo ex Argiuis, Thraſyllus, è quinque ducibus vnus, & Alciphron Lacedæmoniorum hoſpes, ad Agidem acceſſerunt, & cum eo ſermonem habuerunt, ne prœlium faceret. Argiuos enim, ſiquid Argiuis Lacedæmonij crimini darent, æquo ſtare iudicio, pacemque fœderibus ictis in poſterum colere paratos eſſe [*dixerunt.*] Atque hi quidem Argiui ſua ſponte, non autem [*Argiui*] populi iuſſu hæc dixerunt. Cùm autem Agis, ipſe [*ſolus*] has conditiones accepiſſet, & ne ipſe quidem cum pluribus [*de his*] conſultaſſet: ſed cum vno tantum, qui inter illius militiæ ſocios prætura gerebat, [*has*] communicaſſet, quatuor menſium fœdus cum ipſis fecit, intra quos oportebat ipſos [*ea*] conficere, quæ dixerant: exercitumque confeſtim abduxit, nulli cæterorum ſociorum [*rē*] declarata. Lacedæmonij verò, ſociique [*eum*] quidem propter [*militarem*] legem ſequebantur, prout [*ipſos*] ducebat: ſed tamen inter ſe grauiter eum incuſabant, quòd, cùm ipſis opportunè cecidiſſet, vt poſſent [*cum hoſtibus*] confligere, qui vndique & ab equitatu, & peditatu circumuenti eſſent, nulla re geſta [*tanto*] apparatu digna, ſe diſcedere putarent. Hic enim Græcorum exercitus omniũ, qui ad eam vſque diem extitiſſent, pulcherrimus conuenerat. maximè autem ſpectatus fuit, dum adhuc totus in Nemea eſſet, quo tempore & Lacedæmonij cũ copiis ex omni ſuæ ditionis populo coactis

aderant, & Arcades, & Bœoti, & Corinthij, & Sicyonij, & Pellenenſes, & Phliaſij, & Megarenſes: atque hi omnes ex ſingulis [*ciuitatibus*] delecti, qui non ſolùm Argiuis, eorumque ſociis: ſed & aliis præterea copiis, quæ ſe ipſis adiunxiſſent, virtute pares eſſe videbantur. Hic igitur exercitus ſic Agidi ſuccenſens abiit, & ſinguli domum redierunt, & in ſuam quique patriam ſe receperunt. Argiui verò & ipſi multo magis ſuccenſebant illis, qui populi iniuſſu fœdus [*cum Agide*] fecerant, exiſtimantes illi quoq; Lacedæmonios [*ex ſuis manibus*] euaſiſſe, ea [*illos profligandi*] occaſione ſibi oblata, qua nullam aliam commodiorem ſibi vnquã oblatum iri putabant. Nam & prope [*ſuam*] vrbem & cum multis, iisque fortibus ſociis [*aduerſus illos ſibi*] certamen fore [*credebant.*] Itaque [*domum*] reuerſi, Thraſyllum apud Charadrum (quo in loco, antequam [*milites*] è militia [*reuerſi, vrbem*] ingrediantur, de cauſis militaribus iudicant) lapidare cœperunt. Ille verò ad aram confugiens euaſit. Eius tamen bona publicauerunt. Poſtea verò cùm Athenienſes auxilium ipſis tuliſſent adductis mille grauis armaturæ militibus, & trecentis equitibus, quibus Laches, & Nicoſtratus præerant, Argiui (nam, [*quamuis improbarent ea, quæ iniuſſu ſuo facta fuerant,*] tamen fœdera cum Lacedæmoniis inita rumpere non audebant) ipſos abire iuſſerunt, nec [*ipſos*] cum populo agere volentes produxerunt, priuſquàm Mantinei, & Elei (adhuc enim [*illic*] aderant) precibus [*hoc ab illis*] extorſerunt. Athenienſes autem apud Argiuos, eorumque ſocios, coram Alcibiade legato, hæc dixerunt: non rectè fœdera ſine cæteris ſociis facta fuiſſe, & nunc (ſe enim opportunè adeſſe) bellum ſuſcipiendum eſſe. Cùm autem hac oratione rem ſociis perſuaſiſſent,

confe-

confestim omnes, præter Argiuos, aduersus Orchomenum Arcadicum contenderunt. Isti enim, quamuis [*Athenienſium verbis ad fœdus frangendum*] adducti fuiſſent, tamen primùm [*quidem*] remanſerunt, deinde verò mox & ipſi [*illuc*] iuerunt. Caſtrisque ad Orchomenum poſitis vniuerſi [*ipſum*] obſidebant, & oppugnabant, [*vrbem illam*] in ſuã poteſtatem redigere cupientes, cùm aliis de cauſis, tum verò quòd Arcadum obſides illic eſſent à Lacedæmoniis depoſiti. Orchomenij verò, quòd & murorum infirmitatẽ, & [*hoſtilis*] exercitus multitudinem metuerent, ſimul etiam cùm nullus opem ipſis ferret, [*veriti*] ne prius perirent, [*quàm ſibi ſubueniretur,*] deditionem ea conditione fecerunt, vt in ſocietatem reciperentur, & obſides ex ſuorum numero [*ipſis*] darent, & Mantineis illos etiam traderent, quos Lacedæmonij [*in vrbe ſua cuſtodiendos*] depoſuiſſent. Poſtea verò cùm Orchomenum iam tenerent, ſocij conſultare cœperunt aduerſus quámnam ex reliquis [*hoſtium vrbibus*] primùm ire oporteret. Et Elei quidem ſuadebant, [*vt iretur*] aduerſus Lepreum. Mantinei verò, aduerſus Tegeam. Et Argiui, & Athenienſes in Mantineorum ſententiam iuerunt. Elei verò indignati quòd decretum non fuiſſet, [*vt iretur*] aduerſus Lepreum, domum redierunt. Cæteri verò ſocij ſe Mantineæ præparabant ad Tegeam armis infeſtis petendam. Quinetiam nonnulli ex ipſis Tegeatis, qui in vrbe erant, res [*vrbanas ac vrbem ipſam*] ipſis dedere ſtatuerant. Lacedæmonij verò, poſteaquàm ex agro Argiuo [*domum*] redierunt, initis in quatuor menſes fœderibus, Agin vehementer incuſabant, quòd Argos in ſuam poteſtatem non redegiſſet, cùm [*eius ſubigendi*] occaſio tam idonea ſeſe ipſis obtuliſſet, quã.am nunquam

antè ſibi oblatam putarent. Tot enim, talesq; ſocios vnum in locum congregatos reperire non facile eſſe [*dicebant.*] Cùm autem nuntius de Orchomeno capto allatus fuiſſet, tunc verò multo vehementius indignari cœperunt. Et præ ira protinus præter ſuum morem & de ipſius domo diruenda, & de ipſo centum millibus drachmarum multando deliberabant. Ille verò deprecabatur ne quid horum facerent. ſe enim expeditione ſuſcepta, forti aliquo facinore crimina ſibi obiecta diluturum, aut, [*niſi præſtitiſſet, quæ promittebat,*] tunc ipſos, quicquid vellent, facturos, [*& de ſe arbitratu ſuo ſtatuturos dicebat.*] Illi verò à multa quidem irroganda, & ab ædibus diruendis abſtinuerunt, legem verò tunc, quæ nunquam antè apud ipſos fuerat, tulerunt. Decem enim viros Spartanos præterea elegerunt, quos ipſi conſiliarios dederunt, ſine quibus ipſi exercitum ex vrbe educere non liceret. Interea verò nuntius ab amicis Tegeatis adipſos allatus eſt, niſi celeriter adeſſent, Tegeam ab ipſis ad Argiuos, eorumq; ſocios defecturam, & propemodum iam defeciſſe. Tunc verò Lacedæmonij, tam ipſi, quàm Helotes, cum frequentiſſimis copiis ex omni ſuæ ditionis populo congregatis, citiſſimè, ſi vnquam antè, opem [*Tegeatis*] tulerunt. Iuerunt autem ad Oreſtium Mænaliæ. Et Arcadibus quidem [*ſuarum partium fautoribus, ac*] ſuis ſociis præceperunt, vt congregati ſe Tegeam ſubſequerentur. Ipſi verò, cùm vniuerſi ad Oreſtium vſque profecti fuiſſent, & illinc ſextam ſuarum copiarum partem domum remiſiſſent (in qua parte ſeniores, ac iuniores erant) vt res domeſticas tueretur, cum reliquis copiis Tegeam peruenerunt. nec multo pòſt ſocij ab Arcadibus miſſi adfuerunt. Miſerunt etiam [*nuntios*] & Corinthum

rinthum, & ad Bœotos, & Phocenſes, & Locros, imperantes, vt celeriter ad Mantineam, ad opem [*ſociis laborantibus*] ferendam venirent. Sed his quidem ob nimias temporis anguſtias [*illuc tam celeriter*] proficiſci non dabatur, nec facile erat niſi frequentibus copiis, & ſe inuicem præſtolantibus [*agrum*] hoſtilem tranſire: (nam in medio [*ſitus tranſitum illis*] præcludebat) nihilo tamen minus ire properabant. Lacedæmonij verò cum Arcadibus ſociis, qui aderant, & quos ſecum aſſumpſerant, irruptionem in [*agrum*] Mantinicum fecerunt. caſtriſque ad Herculis templum poſitis agrum vaſtabant. Argiui verò, & ſocij, qui locũ natura munitum, & acceſſu difficilem occuparant, cùm ipſos vidiſſent, ad pugnam ſeſe inſtruxerunt. Lacedæmonij verò confeſtim obuiam illis iuerunt, & vſque ad lapidis, iaculiue iactum proceſſerunt: tunc verò quidam ex ſenioribus ad Agidẽ exclamauit, cùm ſuos ad locum natura munitum tendere videret, Agis malum malo ſanare cogitat, inuiens ex agro Argiuo receptum, qui ipſi dabatur crimini, cui tunc mederi volebat hoc intempeſtiuo ſtudio. Ille verò ſiue propter illam inclamationem, ſiue etiam quòd repentè ſententiam mutaſſet, copias celeriter, antequàm manus [*cum hoſte*] conſererent, abduxit. Et cùm in agrum Tegeaticum peruenisſet, aquam in agrum Mantinicum [*à Tegeatico*] auertere cœpit, cuius cauſa, quòd magna damna daret [*vtriuſque agri incolis*,] vtram in partem curſu deferretur, Mantinei, & Tegeatæ bellum [*inter ſe*] gerebant. Argiuos enim, eorumque ſocios, vbi [*rem*] intellexiſſent, de colle, in quo conſederant, deducere, accurrentes ad prohibendum curſum aquæ, quæ [*à Tegeatico in Mantinicum agrum*] auertebatur, & prœlium in planitie facere volebat. At-

que ille quidem, cùm diem illum illic, ad aquam manſiſſet, [*eam*] auertit. Argiui verò, eorumque ſocij, primùm quidem obſtupefacti repentino illorum receptu è propinquo [*loco*,] non habebant quid coniectarent. Deinde verò cùm & illi ſeſe recepiſſent, ac abdidiſſent, ipſi verò quieſcerent, nec [*illos*] inſequerentur, tunc verò ſuos duces rurſus incuſare cœperunt, quòd & prius Lacedæmonij, qui prope Argos opportunè erant intercepti, [*ab ipſis*] dimiſſi fuiſſent, & nunc aufugientes nullus inſequeretur: ſed per otium, [*& nemine inſequente*] illi quidem incolumes euaderent, ipſi verò [*à ſuis ducibus*] proderentur. Duces verò primùm quidem [*hac militum incuſatione*] turbati ſunt, deinde verò ipſos à colle abduxerunt, & in planitiem progreſſi, caſtra [*illic*] poſuerunt, vt in hoſtem ituri. Poſtridie autem Argiui, eorumque ſocij aciem inſtruxerunt, vt [*cum hoſte*] pugnaturi, ſi [*in eum*] incidiſſent. Lacedæmonij verò, dum ab aqua rurſus ad Herculis templum in eadem caſtra reuerterentur, aduerſarios breui [*interuallo à ſe diſtantes*,] omneſque iam in acie ſtantes, & ex colle progreſſos conſpiciunt. Tunc igitur Lacedæmonij tanto timore perculſi fuerunt, quanto nunquam antè, quod ipſi meminiſſent. nam perexiguum temporis ſpatium ipſis ad aciem inſtruendam dabatur, & præ feſtinatione in ſuum quique ordinem confeſtim ſe receperunt, Agide omnia Imperatoris munia obeunte, vt lex iubet. Quũ enim Rex [*exercitum*] ducit, omnia ab illo reguntur, & ipſe quidẽ Tribunis militum indicat ea, quæ ſunt faciẽda. Illi verò, Centurionibus. At Centuriones dimidię Centuriæ præfectis. Rurſus iſti, Decanis. Decani verò, [*ſuæ*] decurię. Et imperia, ſiquid [*Reges fieri*] velint, eodem ordine progrediuntur, citoque [*per omnem exercitum*] permeant.

meant. Nam propemodum totus Lacedæmoniorum exercitus, exceptis paucis, sunt duces ducum, [*& alij aliis imperant,*] & rerum gerendarum cura ad multos pertinet. Tunc autem in sinistro quidē ipsorum cornu collocati erant Sciritæ, qui soli ex Lacedæmoniis hunc ordinem per se, [*non permixti aliis,*] semper obtinent. Iuxta hos, Brasidiani milites ex Thracia reuersi, cum illis [*Helotibus,*] qui ciuitate nuper donati fuerant. Deinde iam ipsi Lacedæmonij deinceps centurias constituebant, [*& in iis collocati erant,*] & iuxta ipsos, ex Arcadibus [*ij, qui vocantur*] Heræenses. Post hos, Mænalij. Sed in dextro cornu [*erant*] Tegeatæ, & pauci Lacedæmoniorum, qui extremā [*eius partem*] tenebant, & ipsorum equitatus in vtroque cornu collocátus erat. Atq; Lacedæmonij quidem sic erant instructi. Hostium verò ipsis oppositorum dextrum quidem cornu Mantinei tenebant, quòd in ipsorum [*agro*] res gereretur. Iuxta ipsos erāt socij ex Arcadia profecti. Deinde mille ex Argiuis delecti, quibus iam pridem ciuitas [*in rebus bellicis*] sese exercendi facultatē præbebat. Prope ipsos erāt cæteri Argiui, post eos, ipsorū socij, Cleonæi, & Orneatæ. Postea Athenienses postremi, sinistrū cornu tenebant, & domesticus ipsorū equitatus cum ipsis erat. Atq; hic quidem ordo, & hic apparatus vtrorunq; erat. Sed Lacedæmoniorū exercitus [*altero*] maior esse visus est. Quantus autem vtrorunque, vel singulorum populorum, vel vniuersorum numerus extiterit, accuratè scribere non potui. Nam Lacedæmoniorum quidem numerus ignorabatur propter institutum illius ciuitatis, quæ res suas occultat: horum verò [*numerus*] propter iactationem, qua homines in efferenda suorum multitudine vti consueuerunt, credibilis non erat. Ex ista tamen ratiocinatione

cuilibet licet inire numerum Lacedæmoniorum, qui tunc [*illic*] adfuerunt. Nam agmina septem pugnabant, præter Sciritas, qui erant sexcenti. In singulis autem agminibus erant quatuor πεντηκοστύες, [*id est, quingenti & duodecim milites,*] & in vna quaque πεντηκοστύι, erant quatuor ἐνωμοτίαι, [*id est, centum & viginti octo milites.*] In vno autem cuiusque ἐνωμοτίας primo iugo, [*id est, primo ordine in transversum porrecto,*] quaterni [*milites*] pugnabant. Neque verò omnium in acie collocatorum vbique æqualis erat densitas: sed pro arbitrio cuiusque, qui agmini suo præerat. In vniuersum autem acies octonis militibus in altitudinem erat densata. In latitudinem verò, prima acies, [*& totius exercitus frons porrecta*] quadringẽtos, & duodequinquaginta milites, præter Sciritas, continebat. Cùm autem acies iam iam essent concursuræ, tunc verò singulorum populorum duces his verbis suos sunt cohortati. Et Mantinei quidem [*suos ad rem fortiter gerendam adhortati sunt, docentes,*] prœlium commissum iri & pro patria, simul & pro principatu, & pro seruitute, vt illo quidem, cuius periculum antè fecissent, [*& cuius commoda iam gustassent,*] minimè spoliarentur: hãc verò, ne rursus experirentur. Argiui verò, & pro pristino principatu, & pro pari dignitate, quam in Peloponneso quondam obtinuissent, ne se perpetuò [*his*] priuari paterentur, simul etiam vt hostes, eosque finitimos, pro multis iniuriis, [*quas ab illis acceperant,*] vlciscerentur. Athenienses verò, pulchrum esse, cum multis, iisque fortibus sociis in prœlio nullis [*virtute*] cedere. Illud etiam addebant, si Lacedæmonios in Peloponneso vicissent, se [*suum*] imperium & magis stabilituros, & amplificaturos, nec vllum alium posthac in [*suum*] agrum venturum. Atque Argiuis

uis quidem, eorumque ſociis tales cohortationes propoſitæ fuerunt. Lacedæmonij verò, partim per ſe ipſos, partim ob militarem diſciplinam, ſe mutuò hortabãtur, vt memores eſſent virtutum, quas in ſe viris fortibus eſſe nouerant: perſuaſum habentes diuturnum rerum [*bellicarum*] ſtudium ad ſalutem parandam plus valere, quàm breuem verborum præclarè factorum cohortationem. Atque poſt hæc [*vtrinque ſignis infeſtis*] concurſus factus eſt. Et Argiui quidem, eorumque ſocij magno impetu, iraque concitati [*in hoſtem*] ferebantur: Lacedæmonij verò cunctantur, & ad cantum multorum tibicinum, qui ex lege, [*inſtitutoq; patrio*] inter ipſos erant interpoſiti, non rei diuinæ gratia: ſed vt ad numerum æquabili gradu incedentes progrederentur, néve acies diſtraheretur, id, quod magni exercitus in ipſo concurſu facere ſolent. Interea verò dum acies adhuc concurrerent, Rex Agis huiuſmodi ſtratagemate vti conſtituerat, quo omnes exercitus vti conſueuerunt. nam in ipſo conflictu acies vtrorunque in [*ſuum*] dextrum cornu latiùs exporriguntur, & vtrique [*ſuo*] dextro [*cornu*] ſiniſtrum hoſtium ſibi oppoſitum circumueniunt: quia ſinguli [*milites ſibi*] metuentes, ſui corporis partes armis nudatas, clypeo illius, qui ad dextram ſuam in acie collocatus eſt, protegere maximè ſtudent, & exiſtimant iſtam coniunctionis, [*& aciei confertæ*] denſitatẽ aduerſus hoſtium irruptionem eſſe tutiſſimam. Atque huius rei caput eſt is, qui primus ſtat in dextro cornu, aſſiduè ſtudẽs nudam ſui corporis partem ab hoſtibus ſubducere, & propter eundem metum cæteri quoque eum ſequuntur. Tunc autem Mantinei quidem [*ſuo dextro*] cornu, [*ſiniſtrum*] Sciritarum multum circumuenerunt: Lacedæmonij verò, & Tegeatę multo ma-

gis [*ſiniſtrum*] Athenienſium [*cornu circumuenerũt,*] quo maiorem exercitum habebãt. Agis igitur veritus ne ſiniſtrum ſuorum cornu [*ab hoſte*] circundaretur, & exiſtimans Mantineos aciem valde exporrectam habere ad ſuos circumueniendum, Sciritis, & Braſidianis imperauit, vt aliqua ſuorũ manu ſubducta [*ſuum cornu*] Mantineis exæquarent. Hipponoïdæ verò, & Ariſtocli Tribunis militum præcepit, vt duas cohortes ex dextro cornu detraherent, & cum his in illud vacuum ſpatium tranſirent, & ingreſſi [*locum, vnde altera militum manus ſubducta eſſet,*] explerent, exiſtimans & dextrũ ſuorum cornu vel ſic ſatis magnam militum copiam habiturum, & [*ſiniſtrum,*] quod Mantineis erat oppoſitum, [*hoc duarũ cohortium ſubſidio confirmatum,*] in acie conſtantiùs perſtiturum. Contigit autem ipſi, (quippe quòd in ipſo concurſu, ac repentè [*hæc illis*] imperaſſet) vt Ariſtocles, & Hipponoïdes [*eò*] tranſire nollent: quinetiam hac ipſa de cauſa poſtea Sparta eiecti fuerint, quia per ignauiam hoc admiſiſſe videbantur. Et [*contigit, vt*] hoſtes [*cum Lacedæmoniis*] manus ocius conſerèrent: &, cùm ipſius [*Regis*] iuſſu cohortes ad Sciritas non acceſſiſſent, cum ipſis ſe rurſus coniũgere, nec hoſtium agmen claudere amplius poſſet. Sed Lacedæmonij, quamuis omnibus in rebus tunc peritiâ longe inferiores [*hoſtibus*] fuiſſent, nihilominus virtute [*ſuaſe*] illis ſuperiores fuiſſe demonſtrarunt. Nam vbi ad manus venerunt, dextrum quidem Mantineorum [*cornu*] in fugam vertit ipſorum Sciritas, ac Braſidianos. Et Mantinei, ipſorumque ſocij, & illi mille Argiuorum delecti Lacedæmonios, impreſſione per vacuum, ac apertum latus [*in eos*] facta, cædebãt. Eosq; circundatos in fugam verterunt, & ad plauſtra repulerunt, & aliquot de ſenioribus, qui impedimen-

pedimentis præsidio relicti fuerant, interfecerunt. Atque hac quidem in parte Lacedæmonij superati fuerunt. At cum reliquo exercitu, & præcipuè medio [*agmine,*] vbi Rex Agis erat, & circa eum illi trecenti equites, qui [*sic*] vocantur, impetu facto in Argiuorum seniores, & illos, qui quinque cohortes appellantur, & in Cleonæos, & Orneatas, & Athenienses, qui iuxta illos in acie collocati erant, in fugam verterunt, ita vt [*eorum*] plerique ne ad manus quidem venire, [*primumq; impetum sustinere*] ausi fuerint: sed simul atq; Lacedæmonij [*in eos*] inuaserunt, statim cesserint, quinetiam nonnulli [*eorum in ipsa fuga*] conculcati fuerint, [*metuentes*] ne prius [*ab hostibus*] interciperẽtur, [*quàm elaberentur.*] Cùm autem hac in parte Argiuorum, & sociorum copiæ cessissent, tunc verò simul & ab vtraque [*extrema*] parte distractæ sunt, simul etiam Lacedæmoniorum, ac Tegeatarum dextrum [*cornu*] superante suorum copia Athenienses circundabat. Et periculum ipsos vtrinque circunstetit, quòd hinc quidem [*ab hoste*] circumuenirentur, illinc verò iam essent victi. Et præter cæteros omnes, qui erant in exercitu, maximam cladem accepissent, nisi equites, qui aderãt, ipsis auxilio fuissent. Accidit etiam vt Agis, cùm siniſtrum suorum [*cornu*] Mantineis, & Argiuorum mille [*delectis*] oppositum laborare cognouisset, vniuerso exercitui præciperet, vt tenderet ad [*suorum cornu,*] quod [*ab hoste*] vincebatur. Hoc autem facto, Athenienses quidẽ interea, cùm [*Lacedæmoniorum*] exercitus præteriisset, ac ab ipsis declinasset, per otium, [*& nullo eos infestante*] euaserunt, & vnâ cum ipsis Argiui, qui victi fuerant. Mantinei verò, eorumque socij, & mille Argiuorum delecti non amplius de persequendis hostibus cogitabant: sed cùm & suos [*iam*] profligatos

& Lacedæmonios contra se tendentes animaduerterent, in fugam se coniecerunt. Et Mantineorum quidem plerique cæsi fuerunt: Argiuorum verò delectorum magna [*pars*] euasit. Hæc tamen [*Argiuorum*] fuga; & [*Athenienſium*] receptus, nec præceps, nec in lõgum ſpatium fuit. Nam Lacedæmonij diu quidẽ, & acriter, in acie perſtantes pugnant, donec hoſtem in fugam verterint, vbi verò eum in fugam verterunt, [*eum*] neque diu, neque procul perſequuntur. Ac prœlium quidem iſtud huiuſmodi fuit, & quàm proximè ad hæc, [*quæ à me commemorata ſunt*,] accedens, & maximum omnium, quæ inter Græcos iam à longiſſimo tempore geſta fuerant, & in quo maximi nominis ciuitates inter ſe concurrerunt. Lacedæmonij verò cæſorum hoſtium armis in patente, cõſpicuoque loco poſitis, trophęum ſtatim erexerunt, ipſaque cadauera ſpoliarunt, & ſuorum [*cadauera*] ſuſtulerũt, & Tegeam abſportarunt, vbi ſepulta fuerunt. hoſtiumque [*cadauera*] fide publica interpoſita [*ipſis repetentibus*] reddiderunt. Occubuerunt autem ex Argiuis quidem, & Orneatis, & Cleonæis, ſeptingẽti. Ex Mantineis verò, ducenti, totidem etiam ex Athenienſibus cum Æginetis, & [*ipſorum Athenienſium*] vterque dux. Lacedæmoniorum verò ſocij ab hoſte non adeò preſſi fuerunt, vt eorum numerus aliquis memoratu dignus deſideratus fuerit. Exipſis verò [*Lacedæmonis quot in eo prœlio ceciderint,*] verũ dicere difficile eſt, ad trecentos tamen obiiſſe dicebant. Cæterùm cùm prœlium iam eſſet committendum, Pliſtoanax etiam Regũ alter, cum ſenioribus, ac iunioribus ſubſidio [*ſuis*] iuit. Et ad Tegeam vſq; profectus eſt: ſed cùm [*illic ſuorum*] victoriã audiſſet, [*domum*] rediit. Iidẽ Lacedæmonij auxilia & ab [*aliis*] ſociis, qui extra Iſthmũ erant, venientia

per

per nuntios [*domum*] remiserunt. Cùm autem ipsi sociis dimissis reuersi fuissent, Carneorum dies festos agere cœperunt. Eorum enim celebrandorum tempus apud ipsos [*tunc*] erat. Atque hoc vno prœlio deleuerunt infamiæ notam sibi ab vniuersa Græcia tunc inustam, cùm ignauiæ nomine, propter cladem in insula [*Sphacteria*] acceptam, tum etiam propter consilij inopiam, & tarditatem aliis in rebus demonstratam: cùm tamen fortunæ quidem iniquitate ignaui haberentur, animo verò iidem adhuc essent. Pridie autem quàm hoc prælium committeretur, accidit, vt & Epidaurij cum omnibus suorum copiis in [*agrum*] Argiuum, quasi præsidio nudatum, irruptionem facerent, & illorum, qui ad [*agri*] custodiam relicti fuerant, [*cæteris*] Argiuis ad bellum profectis, multos occiderent. Cùm autem Eleorum armatorum tria millia, & Athenienſium mille, præter [*alios*] priores, post prœlium commissum, Mantineis subsidio venissent, hi socij vniuersi confestim aduersus Epidaurum contenderunt, dum Lacedæmonij Carnea celebrarent. Et vrbem circumuallare cœperunt, [*opus*] inter se partiti. Et cæteri quidem [*opus facere*] cessarunt, Athenienses verò, vt ipsis ea pars operis attributa fuerat, arcem, in qua Iunonis templũ erat, absoluerunt: atque in hac arce præsidio, quod ex omnium [*sociorum*] copiis collectum fuerat, relicto, in suam quique vrbem abierunt. Atque hæc æstas excessit. Hyemis autem insequentis initio, statim Lacedæmonij, posteaquam Carneà celebrarunt, in expeditionem exierunt. Cùm autem Tegeam peruenissent, Argos præmiserunt [*legatum,*] qui de compositione ageret. Erant enim vel iampridem [*Argis*] nonnulli [*Lacedæmoniorum*] studiosi, qui popularem Argiuorum dominatum abole-

re cupiebant. Hoc autem prœlio commisso, multo faciliùs populum ad compositionem faciẽdam inducere poterant: sed volebant primùm quidem fœdera, deinde verò & societatem cum Lacedæmoniis inire, atque ita demum populum aggredi. Lichas autem Arcesilai [*filius*] quòd Argiuorum hospes esset, à Lacedæmoniis [*missus,*] Argos iuit, duas conditiones ferens, [*quas Argiuis proponeret,*] vnam quidem, de bello, si bellum gerere vellent; alteram verò, de pace, si pacem colere mallent. Cùm autẽ [*Argis*] magna extitisset altercatio (nam & Alcibiades aderat) illi, qui Lacedæmoniorum partibus fauebant, iam vel palàm [*de compositione agere*] audentes, Argiuis persuaserunt, vt compositionis formulam admitterent, cuius hæc sunt verba: Placet concilio Lacedæmoniorum, his cõditionibus compositionem facere cum Argiuis, vt [*Argiui*] liberos Orchomeniis reddant, & viros Mænaliis, & illos, qui sunt Mantineæ, Lacedæmoniis. vtque ex agro Epidaurio excedant, & munitionem, [*quam illic aduersus Epidaurios extruxerũt,*] euertant. Et, nisi Athenienses ex agro Epidaurio excesserint, pro hostibus habeantur ab Argiuis, & Lacedæmoniis, & ab vtrorunque sociis. Et si quem puerum Lacedæmonij penes se habent, eum suæ ciuitati restituant. Quod autem attinet ad Deum, [*quem Epidaurij debitis victimis fraudant, Lacedæmonij dicunt se*] velle [*ipsos Argiuos*] compositionem facere cum Epidauriis, [*de controuersia, qua hoc nomine cum illis habent*] ipsosque [*Argiuos*] iurisiurandi formulam [*Epidaurijs*] offerre, ex qua iurent [*se posthac officiũ facturos, debitasq; Deo victimas missuros.*] Item vt tam paruæ, quàm magnæ ciuitates, quæ sunt in Peloponneso, omnes liberæ sint, patriis institutis vtentes. Si quis verò illorum, qui sunt extra

Pelopon-

Peloponnesum, in agrum Peloponnesiacum maleficij causa veniat, [*Argiui cum Lacedæmoniis*] ad arcendam vim hostilem accurrant, initis vnâ consiliis, ea ratione, quæ Peloponnesiis rectissima videbitur. Quotquot autem extra Peloponnesum sunt socij Lacedæmoniorum, eadem conditione erunt, qua sunt & Lacedęmoniorum, & Argiuorũ socij, suum [*agrum*] obtinentes. Vbi verò [*Argiui & Lacedæmonij pacis conditiones*] sociis ostenderint, [*ita demum*] compositionẽ [*pacemq́*] faciant. Quòd siquid aliud præterea [*pacis conditionibus vel addendum, vel demendum, Argiuis, & Lacedæmoniis*] visum fuerit, [*hoc etiam*] sociis domũ mittant. Hanc igitur conditionẽ Argiui primum admiserũt, & Lacedæmoniorum exercitus à Tegea domũ reuertit. Postea verò cùm mutuum commercium inter illos iam esset, non multo pòst iidem viri, [*qui Lacedæmoniorum partibus fauebant*,] rursus effecerunt vt Argiui relicta Mantineorum, & Eleorum, & Athenienſium societate, fœdera, societatemque cum Lacedæmoniis inirent, in hæc verba: Lacedæmoniis, & Argiuis placuit fœdera, & societatem [*inter se*] esse in annos quinquaginta, his conditionibus: Vt æquo, & pari iure iudicium patriis moribus, [*ac institutis vtriq;*] subeant. Cæteræ verò ciuitates, quæ sunt in Peloponneso, quia hæc fœdera, atque hæ societates [*ipsis omnibus*] sunt communes, liberæ, suiq́ue iuris [*sint*] suum [*agrum*] obtinentes, [*&*] patriis institutis iudicium æquo, pariq́ue iure subeuntes. Quotquot verò extra Peloponnesum socij sunt Lacedæmoniorũ, iisdem erunt conditionibus, quibus & Lacedæmonij. Et Argiuorum socij, eodem iure erunt, quo & Argiui, suum [*agrum*] obtinentes. Si quò autem communis expeditio sit facienda, Lacedæmonij, & Argiui [*inter*

se de ea communiter consultent,] de sociorum causa, quàm æquissimè fieri poterit, iudicantes. Si quæ verò cõtrouersiæ ortæ fuerint inter aliquas [*socias*] ciuitates vel earũ, quæ sunt intra Peloponnesum, vel earum, quæ sunt extra, aut de [*agri*] finibus, aut aliqua alia de re, disceptetur, [*& istæ controuersiæ iudicio dirimantur.*] si qua autem socialis ciuitas cũ alia contendat, [*ei liceat*] ad ciuitatem [*aliquam*] ire, [*eiusq; arbitrio suam controuersiam permittere,*] quamcunque vtriusque ciuitatibus æquam esse iudicauerit. Ciuibus autem [*singularum ciuitatum*] ius patrio ritu dicatur. Hæc igitur fœdera, atque hæc societas [*tunc inter Argiuos, & Lacedæmonios*] inita fuit, & quæcunque alteri alterorum, bello [*occupauerãt, alteri alterius restituerunt,*] aut si quid aliud habebant, [*quod sibi inuicem crimini darent, id*] diluerunt. Iamque communiter res administrantes, decreuerunt caduceatorem, & legationẽ ab Athenienſibus [*missam*] non recipiendam, nisi ex Peloponneso excederent, relictis munitionibus, [*quas in agro Epidaurio fecerant*]: neque cum vllo compositionem faciendam, aut bellum gerendum, nisi communiter. Et cùm alia impetu quodam animi administrabant, tum etiam vtrique Legatos in Thraciam, & ad Perdicam miserunt, eique persuaserunt, vt societatem iureiurando interposito secum iniret. Non tamen statim ab Athenienſibus defecit: sed [*ab illis deficere*] in animo habebat, quòd & Argiuos [*iam defeciſſe*] videret. Erat autem & ipse antiquitus ex Argiuorum vrbe profectus, [*& ab illis oriundus.*] Præterea vetustum iusiurandum, [*fœdusq;*] cum Chalcidensibus renouarunt, & aliud iurarunt. Argiui etiam legatos ad Athenienses miserunt, imperantes, vt munitionẽ in agro Epidaurio factam relinquerent, [*& illinc excederent.*] Illi verò, cùm animaduerterent

uerterẽt ſuos [*milites*] paucos eſſe præ cæteris præſidiariis militibus qui in eodem loco erant quorũ numerus maior erat, Demoſthenem [*eò*] miſerunt, vt ſuos [*illinc*] educeret. Ille verò, cùm [*illuc*] peruenisſet, & quoddã gymnicum certamen extra munitionem illam ſe editurum ſimulaſſet, ſimul ac alterum præſidiũ egreſſum eſt, portas clauſit. Poſtea verò Athenienſes ipſi, fœdere [*cum Argiuis*] renouato, munitionem illam Epidauriis reſtituerunt. Poſt Argiuorum defectionem ab [*Athenienſium*] ſocietate factam, Mantinei quoque, quamuis primò quidem [*compoſitioni, pacíq; reſtitiſſent,*] deinde tamen, quòd [*Lacedæmonijs*] ſine Argiuis, [*reſiſtere*] non poſſent, & ipſi compoſitionem cum Lacedæmoniis fecerunt, & ciuitatum, [*quas in ſua poteſtate habebant,*] imperium dimiſerunt, [*easq; liberas eſſe, ſuiſq; legibus viuere permiſerunt.*] Lacedæmonij autem, & Argiui cum mille [*de ſuis*] vtrique communem expeditionẽ ſuſceperunt, & Sicyone ſtatum populare ipſi Lacedæmonij [*eò*] profecti, in paucorum dominatũ magna ex parte conuerterũt, & poſt hæc vtrique, [*Lacedæmonij, & Argiui,*] popularem dominatum, qui Argis erat, ſuſtulerũt: & paucorum dominatus Lacedæmoniorum Reipub. congruens [*ibi*] conſtitutus fuit. Atq; hæc ſub extremam hyemẽ, vere iam appropinquante geſta ſunt & decimusquartus huius belli annus exceſſit. Inſequenti, vere, Dictidienſes, qui in [*monte*] Atho habitant, ab Atheniẽſibus ad Chalcidẽſes deſciuerũt, & Lacedæmonij in Achaia res, quæ prius [*ipſis*] amicæ non erant, conſtituerunt. Et Argiua plebs concilia paulatim habens, & animis reſumptis, paucos, [*qui res adminiſtrabant,*] aggreſſa eſt, obſeruato illo ipſo tempore, quo Lacedæmonij gymnicos puerorum ludos faciebant. prælióque intra vr-

bem commisso plebs vicit: & [*aduersariorum*]alios quidem interfecit, alios verò [*ex vrbe*] expulit. Lacedæmonij verò, cùm multo antè, [*quàm prælium committeretur,*] amici, [*qui Argis erant,*]ipsos accersiuissent, [*ad eos tamen tunc*] non iuerunt: sed [*postea*] dilato certamine puerorum, quos nudos exercebant, in viam se dederunt, vt opem ipsis ferrent: at cùm Tegeæ audissent paucorum statum[*à plebe*] superatum, vlterius progredi noluerunt, quamuis illi, qui [*ex vrbe*] effugerant,[*ipsos*]orarent: sed domum reuersi, gymnicum puerorum certamen peregerunt. Postea verò, cùm legati tam ab Argiuis, qui in vrbe erant, quàm ab illis, qui exulabant, [*missi*] veniissent, cumque præsentibus sociis multa ab vtrisque dicta fuissent,[*Lacedæmonij*]pronuntiarunt quidem illos, qui in vrbe erant, iniustè fecisse, & cum exercitu Argos sibi petendum censuerunt: sed moræ, & cunctationes interpositæ fuerunt. Interea verò populus Argiuus Lacedæmonios metuens, & Athenienſium societatē rursus sibi concilians, & existimans se maximam vtilitatem ex ea percepturum, longos ad mare vsque muros duxit, vt, si terrâ probiberentur, Athenienſium auxiliis adiuuarentur ad commeatus [*in vrbem*] mari inuehendos. Horum autem murorum [*ab Argiuis*] extructorum nonnullæ etiam Peloponnesi ciuitates conscię fuerunt. Quicquid autem hominum Argis erat, viri, mulieres, & serui, in his extruendis occupatum fuit. Et fabri, & lapicîdæ Athenis [*missi*] ad ipsos venerunt. Et hæc æstas excessit. In sequenti hyeme Lacedæmonij cùm muros [*ab Argiuis*] extrui intellexissent, expeditionem aduersus Argiuos susceperunt, cùm ipsi, tum socij, præter Corinthios. Nam nescio quid ipsis iam pridem Argis, in ipsa vrbe strueba-

tur.

eur. Agis verò Archidami [*filius*] Lacedæmoniorum rex exercitum ducebat. Verùm illæ quidem res, quæ in vrbe iam præparatæ esse videbantur, nequaquam [*ipsis*] succesſerunt: sed muros, qui adhuc ædificabantur, ceperunt, & diruerunt. Item Hysias [*agri*] Argiui oppidum ceperunt ac ingenuis omnibus, quos ceperunt, interfectis abierunt, & in suam quique ciuitatem se receperunt. Post hæc & Argiui copias in [*agrum*] Phliasium duxerunt, eoque vastato abierunt, quia [*Phliasij*] suos exules receperant. Illic enim eorum plerique domicilium habebant. Eadem hyeme Athenienses Perdiccam vsu maris in Macedonia intercluserunt, crimini dantes tum quòd cum Argiuis, atque Lacedæmoniis societatem iureiurando interposito fecissent, tum quòd exercitu ab ipsis præparato, quem ducerent aduersus Chalcidenses, qui sunt in Thracia, & Amphipolin, Nicia Nicerati [*filio*] duce, societatem fefelliſſet, tum etiam quòd exercitus ille potissimùm propter ipsum, qui discesserat [*socios q. deseruerat*,] dissipatus fuisset. His igitur de causis erat [*Atheniensium*] hostis. Atque hæc hyems sic exiit: & quintusdecimus huius belli annus excessit. Insequentis ætatis initio Alcibiades cum viginti nauibus Argos traiiciens, trecentos Argiuos, qui suspecti erant, & cum Lacedæmoniis sentire videbantur, comprehendit. Athenienses autem ipsos deposuerunt in proximis insulis, quibus imperabant. Iidem aduersus Melum insulam nauigauerunt cum triginta suis nauibus, & sex Chiis, & duabus Lesbiis: & cùm mille, & ducentis grauis armaturæ militibus, & trecentis sagittariis, & viginti hippotoxotis, [*id est, equitibus sagittariis*,] qui omnes erant nominis Attici, & cum sociorum, ac illorum, qui insulas incolebant, ferme mille, &

quingentorum armatorum manu. Melij autem sunt illi quidem Lacedæmoniorum coloni: sed Athenienſibus parere nolebant, vt cæteri insularũ incolæ. Verùm initio quidem, quòd in partibus non essent, quiescebant, [*& ab armis abstinebant,*] postea verò, cùm Athenienses ipsos coëgissent, quòd agrum [*ipsorum*] vastarent, bellum apertè gerere cœperunt. Cùm igitur [*Athenienſium*] duces Cleomedes Lycomedis, & Tisias Tisimachi cum hoc apparatu castra in ipsorum agro posuissent, antequam vllo maleficio agrum afficerent, legatos ad colloquia [*cum Melijs*] habenda miserunt. Quos Melij ad populum quidem non produxerunt: sed apud Magistratus, & apud paucos ea dicere iusserunt, quorum causa venissent. Athenienſium verò legati hæc verba fecerunt: Quoniam non apud populum verba [*à nobis*] fiunt, ne multitudo, si nos perpetua oratione vtamur, & verba ad animos alliciendos apta, & quæ à nemine refelli queant, faciamus, nobis semel auditis decipiatur (intelligimus enim nos ad paucos eo consilio [*nunc*] à vobis adductos fuisse,) vos [*igitur*] qui estis in isto consessu, [*hoc vestrum consilium*] tutius reddite, [*magisq; constabilite*:] & ne vos quidẽ perpetua oratione vtamini: sed ad singula, quæ non opportunè [*à nobis*] dici videbuntur, continuò iudicantes respondete: ac primùm quidẽ declarate an [*vobis*] placeat [*facere,*] vt dicimus. Meliorũ verò consessus respõdit. Æquitas quidẽ, qua homines se mutuò verbis pacificis docent, [*& sui officij admonent à nobis*] non vituperatur: sed bellũ, quod iam præsens est, nõ autem futurum, ab hac re videtur differre. Videmus enim vos eorum, quæ dicentur, iudices venisse, & (vt verisimile est) huius colloquij exitum, si iure quidem [*vobis*] superiores fuerimus, & propterea

[*vobis*]

[*vobis*] non cesserimus, bellum nobis allaturum: si verò [*verbis vestris ad imperata faciendum*] adducti fuerimus, seruitutem [*nobis allaturum videmus.*] Si igitur rerum futurarum suspiciones, aut aliquid aliud enumeraturi conueniistis [*potius,*] quàm propter ea, quæ sunt præsentia, & quæ cernitis, de [*vestræ*] ciuitatis salute consultaturi, finem dicendi faciemus. Rationi quidem consentaneum, veniaq; dignum est, homines, qui in huiusmodi rerum statu sunt constituti, in varias partes se vertere, & multa dicere, atque suspicari. Hic tamen conuentus institutus est de salute [*nostræ ciuitatis.*] Quare colloquium [*eo*] modò, quo [*nos ipsi*] prouocastis, si placet, fiat. Neque igitur nos ipsi speciosis nominibus vtentes longam, ac incredibilem orationem afferemus, vt probemus vel imperium iure partum à nobis obtineri, quòd Medum debellarimus, vel [*nos à vobis*] iniustè lacessitos, [*nostras iniurias*] nunc persequi. Neque censemus vobis existimandum, fore, vt dicendo nobis persuadeatis, vel vos nobiscum non militasse, quòd essetis Lacedæmoniorum coloni, vel vos nullam iniuriam nobis fecisse. Sed [*potius petimus à vobis,*] vt ex ea opinione, quam vtrinq; animo verè concepimus [*inter nos*] ea transigantur, quæ fieri possunt, quia & vos, & nos æquè scimus, de iure quidẽ inter homines oratione tunc disceptari, quũ par est necessitas, [*& quum certamen est inter homines conditione pares:*] illos verò, qui sunt potentiores,] *per vim*] facere quicquid possunt, & infirmiores cõcedere [*quicquid illi volunt, & imperata facere.*] Atqui vtile censemus (necesse enim est [*nos quoq; vtilitatis mentionẽ facere,*] quandoquidẽ vos ita præterita æquitate, sermonẽ de vtilitate instituistis) bonum, quod [*omnibus*] est commune, à nobis non euerti: sed [*oportet*] ei, qui semper in periculo ver-

satur, res rationi consentaneas, & æquas esse, quin etiam [*oportet*] quemlibet, si quid [*alteri*] persuaserit, omisso summo iure, [*ex hac ratione, quam sequutus, cum altero ex æquo & bono egerit,*] fructum aliquem percipere. Hoc autem eò magis è re vestra futurum est, quo etiam maior, [*grauiorq;*] pœna vos manet, si offenderitis, quâ cæteris [*mortalibus*] exemplo eritis. Nos verò nostri imperij etiam si deletum fuerit, finem non extimescimus. Neq; enim qui aliis imperant, vt Lacedæmonij, ij [*sunt*] formidabiles victis. sed [*in præsentia*] cum Lacedæmoniis nullum nobis est certamen. at [*nunc illud scire volumus,*] an illi, qui aliquo in loco aliorum imperio [*antè*] paruerint, cùm ipsi [*eos postea*] aggressi fuerint, victoriam ab iis sint reportaturi, [*ac imperium in eos habituri.*] Sed hac quidem de re periclitari nobis permittatur. Illud verò declarabimus nos iam [*hic*] adesse tum propagandi nostri imperij gratia, tum vt de vestræ ciuitatis salute verba faciamus. Nam vobis quidem sine molestia, [*nullumq; negotium vobis facessentes,*] imperare volumus: sed tamen vos è vestra, nostraque re saluos esse [*cupimus.*] Sed qui fieri potest, vt ita nobis ex vsu sit, seruire, vt vobis, imperare? Quia vobis quidem cõtinget, vt antequàm [*mala*] extrema patiamini, imperata faciatis; nos verò vobis non interfectis, quæstum faciemus. Verùm nónne, nos [*in vestram fidem ea conditione*] recipietis, vt ab armis abstineamus, & pro hostibus, amici [*vtrisq;*] simus neutris verò socij, [*ita vt neutros nostris auxiliis iuuemus? Minimè.*] Neque enim vestra inimicitia tantum detrimentum nobis affert, quantum [*vestra amicitia. Nam*] amicitia quidem [*vestra,*] imbecillitatis [*nostræ,*] odium verò [*vestrum,*] potentiæ [*nostræ*] manifestum argumentum [*erit*] illis, qui nostro

ſtro imperio parent. Itane verò qui veſtro imperio ſunt ſubiecti perpendunt æquitatem, vt eodem loco habeant eos, qui nihil ad vos attinẽt, [*& in quos nullum habetis ius,*] quo eos, qui, cùm magna ex parte veſtri coloni eſſent, & [*eorum*] nonnulli, [*à vobis*] defeciſſent, ſubacti fuerunt? [*Quid ni?*] Neutris enim deeſſe putant rationes, quibus ſuam cauſam tueantur: ſed illos quidem, propter potentiã, [*quam habent,*] ſuperſtites, [*ac incolumes*] eſſe: nos verò, præ metu [*illos*] non aggredi. Quare præterquàm quòd imperium in plures obtinebimus, incolumitatem etiam [*maiorem*] nobis præbebitis, [*imperiumq; noſtrum tutius præſtabitis,*] ſi ſubacti fueritis, præſertim cùm ſitis inſulani, & aliis, qui claſſe pollent, infirmiores, niſi [*ſeruitutis iugum, quod vobis imponere ſtatuerunt, à veſtris ceruicibus repellatis, atq;*] ſuperiores [*illis*] euadatis. In illa verò ratione, [*qua vobis ſuademus, vt ab illis ſubigendis abſtineatis, in quos nullum ius habetis,*] nihil præſidij [*vobis ad res veſtras firmius tutandas*] eſſe putaris? Oportet enim viciſſim hîc etiam (quemadmodum vos, qui ex iuris diſceptatione nos extruſiſtis, [*nobis non permittentes, vt vobiſcum iure diſceptaremus, nobis*] ſuadetis, vt veſtræ vtilitati morem geramus, [*veſtriſq; commodis inſeruiamus,*) *ſic*] nos quoque, docendo vos id, quod nobis eſt vtile, ſi vobis etiam idem vtile eſſe contingat, operam dare, vt [*vobis*] perſuadeamus, [*quod nobis vtile, commodumq; iudicamus, vt ſcilicet nullum negotium nobis faceſſatis.*] Quomodo enim hoſtes vobis non reddetis illos, quotquot in hoc bello neutras partes ſequuntur, quum hæc, [*quæ per vim contra nos facitis,*] intuentes, [*atq; conſiderantes.*] vos contra ſe quoque aliquando venturos exiſtimabunt? Hac verò ratione, quid aliud [*facitis,*] quàm priſtinos quidem hoſtes augetis,

[*ac potentiores efficitis,*] illos verò, qui ne vnquam quidem [*vobis hostes*] esse statuerant, inuitos [*ad inimicitias suscipiendas*] impellitis? [*Hoc non timemus.*] Neque enim magis pertimescendos nobis existimamus illos, quicunque vsquam continentem incolentes, propter libertatem, [*qua iampridem constanter fruuntur,*] à nobis accuratè sibi cauebunt, [*& à bello nobis inferendo abstinebunt, nullo q. bello à nobis lacessiti, libertatis studio, pacis commodis indulgebunt.*] Sed cùm insularum incolas, qui vsquam sunt, & qui nullius imperio parent, quemadmodum vos, [*qui insulam incolitis, & nullius imperio paretis,*] tum etiam illos, qui iam irritantur propter imperij necessitatem, [*qua à rerum dominis premuntur.*] Isti enim inconsultis affectibus plurimum indulgentes, & se ipsos, & nos in apertum periculum adducunt. Si igitur & vos, ne imperio spoliemini, & illi, qui [*vestro imperio*] seruiunt, vt [*seruitute*] liberentur, tantum discrimen adeunt, profectò nobis, qui adhuc liberi sumus, magno vitio, & ignauiæ detur, nisi prius omnia experiamur, quàm seruiamus. Nequaquam [*hæc facietis,*] si rectè consultaritis, [*rebusq. vestris prudenter prospexeritis.*] Neque enim vobis ex æquo [*nobiscum*] est de strenuitate certamen, ne in dedecus incurratis, [*si nobis cesseritis:*] sed potius de salute [*vestra nunc instituta est*] consultatio, ne multo potentioribus resistatis. Sed [*probè*] scimus res bellicas interdum exitus habere magis communes, quàm pro diuersa vtrorumque multitudine. Et nobis, si statim quidem [*vobis*] cedamus, [*& deditionem faciamus,*] nullam [*salutis*] spem superesse sed si rem [*strenuè*] geramus, [*vobisq. pro virili resistamus,*] spes [*est,*] fore, vt adhuc rectè stemus, [*nostraq. ciuitatis statum adhuc erectum, ac stantem retineamus.*] Spes verò, quæ periculi est solatium, illos quidem

quidem, qui in magna opum abundãtia, ipsa vtuntur, [*ac nituntur*,] quamuis damno afficiat, non [*tamen funditus*] euertit. Ab illis verò, qui de summa suarum fortunarum aleam iaciunt, (nam [*spes*] naturâ est detrimentosa,) simul ac [*illi*] lapsi sunt, *& cladem aliquam acceperunt*,] cognoscitur [*qualis sit, & quàm detrimentosa*,] nec [*vllum locum*] amplius relinquit, in quo quis [*sese continens*] ab ipsa cognita sibi caueat. Quare vos, qui infirmi estis, & in vnico [*rerum*] momento, [*summoq; discrimine*] positi, hoc ne vobis accidat diligenter cauete. Neque plerisque similes esse [*velitis*,] qui, cùm humanis subsidiis conseruandæ salutis facultas adhuc ipsis detur, postquàm certa spes ipsos [*ab hoste*] pressos destituit, ad incertam confugiunt, [*ad*] diuinationem [*videlicet*,] ac oracula, & [*ad alia*] huiusmodi, quæ [*mortales inani fretos*] spe perdunt. Nos etiam (hoc probè sciatis) arduum quidem esse ducimus & cum vestra potentia, & cum fortuna certare, si non ex æquo [*certamen nobis vobiscum*] est futurum. Veruntamen, quod ad fortunam quidem attinet, nos non inferiores futuros, Deo fauente, confidimus: quia insontes [*vobis*] haud iustè nos inuadentibus obsistimus. Quod verò attinet ad [*nostræ*] potentiæ tenuitatem, [*confidimus*] Lacedæmoniorum societatem nobis adfuturam, quæ si nulla alia re, saltem cognatione, & pudore adducta [*nobis*] opem ferre cogetur. Quare non penitus temerè, [*ac inconsultè*] sic audaces sumus. Ne nos quidem beneuolentiam Deorum nobis defuturam arbitramur. Nihil enim facimus præter ritus, quibus homines in cultu Deorum vti solent, aut [*quicquam à vobis*] postulamus [*præter ipsorum hominum*] voluntatem erga se ipsos: [*sed à vobis petimus, quod quilibet alij homines potentiores ab infirmio-*

ribus petere, sibiq; præstari volunt.] Nam opinione [*iam recepta*] existimamus & Deos, & homines naturæ necessitate haud dubiè semper illi imperare quem in sua potestate tenent. Hanc autem legem nos neque tulimus, neque ea lata primi vsi sumus: sed iam receptam, [*à maioribus*] accepimus, ac vsurpamus, perpetuam futuram, [*posteris*] relicturi. Nam persuasum habemus vos quoque, cæterosq;, si eadem, qua nos, potentia præditi essetis, idem esse facturos. Quod igitur ad Deos quidem attinet, sic, vt est verisimile, non extimescimus, ne [*vobis*] inferiores futuri simus. Quod verò pertinet ad opinionem, quam de Lacedæmoniis habetis, qua freti confiditis eos pudore adductos opem vobis laturos, vestram quidem simplicitatem laudamus. sed [*vestram*] stultitiam non probamus. Lacedæmonij enim erga se quidem ipsos, & in domesticis institutis, virtute plurimum vtuntur. erga alios verò quales se præstent, quamuis multa quis commemorare possit: illud tamen in summa paucis declarare poterit, eos omniũ, quos nouerimus, res quidem iucundas pro honestis, res verò vtiles pro iustis habere, [*& honestatem in voluptate, æquitatem in vtilitate ponere.*] Quamobrem huiusmodi mens, [*& consilium*] pro vestra inconsulta salute non facit. Nos verò ob hoc ipsum iam vel maximè ipsos propter suam vtilitatẽ confidimus nolle proditis Meliis, qui sunt [*ipsorum*] coloni, à Græcis quidem amicis infidos haberi, hostibus verò vtiles esse. Ergo vtilitatem quidem à periculis abesse, æquitatem verò, & honestatem, si ei opera detur, cum periculis coniunctam esse putatis. Quod [*id est, qua pericula,*] Lacedæmonij [*omnium*] minimè [*pro aliis adire*] plerunque audent. Imò verò existimamus ipsos nostri causa [*eo*] facilius pericula susce-

pturos,

pturos, & existimaturos [*nos esse amicos erga se*] constantiores, quàm erga alios, quo ad bella quidem gerenda, Peloponnéso propinquiores sumus, ob animorum verò coniunctionem à [*nostra*] cognatione manantem, fideliores, quàm alij, [*erga ipsos*] sumus. At illi, qui suppetias laturi sunt, non in beneuolentia eorum, à quibus euocati fuerint, sed in ea potentia, qua quis ad res gerendas [*cæteris*] est instructior, suæ salutis præsidium collocant. Quod Lacedæmonij vel multo magis quàm cæteri spectare solent. Nam propter apparatus domestici diffidentiam, vel finitimos cum magnis sociorum copiis inuadunt. Quare non est verisimile ipsos in insulam saltem, nobis maris imperium obtinentibus, traiecturos. Atqui Lacedæmonij vel alios mittere poterunt, [*nisi ipsimet auxilio nobis venire voluerint.*] Ingens autem est Creticum pelagus, in quo illi, qui maris imperium tenent, difficilius [*eos, qui subsidio nobis venient,*] intercipere, quàm illi, qui clàm [*ad opem nobis ferendam*] venire voluerint, saluti suæ consulere poterunt. Et, si hoc assequi nequeant, arma conuertent in vestrum agrum, & in reliquos [*vestros*] socios; quos Brasidas non inuasit. Itaque non pro alieno potius, quàm pro vestro ipsorum, ac sociorum agro labor vobis erit subeundus. Vbi verò aliquid horum, [*quæ vrbibus obsessis, ac expugnatis accidere solent,*] vobis quoq; contigerit, tunc vestro malo docti cognoscetis Athenienses propter aliorum metum à nulla obsidione vnquam recessisse. Animaduertimus autem vos, quamuis de salute vestra vos consultaturos dixeritis, nullam tamen in tanto sermone mentionem vllius rei feciſſe, qua homines freti se seruatum iti arbitrentur. Sed ea quidem, in quibus firmissimum vestræ salutis præsidium collocatis, sperantur fore,

[*& incerta spe nituntur.*] Opes verò præsentes, [*quas habetis,*] sunt paruæ ad vos tutandos aduersus opes iam [*vobis*] oppositas. Quapropter magnam declaratis amentiam, nisi, nobis semotis, aliquid aliud his prudentius adhuc decernatis. Nam ad verecundiam, quæ in fœdis, ac apertis periculis homines plerunque perdit, nequaquam iam vos conuertetis. Multos enim, quamuis adhuc manifestè cernerent [*mala,*] in quæ ferebantur, tamen ea, quæ turpitudo vocatur, vi nominis animos allicientis, verbo superatos, [*& specioſis, ac fallacibus nominum lenociniis captos, ad se sic*] attraxit, vt re ipsa [*illi*] sua sponte in grauissimas calamitates inciderint, & dedecus turpius propter [*suam*] stultitiam [*potius,*] quàm [*propter*] fortunam acceperint. Quod vos, si rectè consultaueritis, cauebitis. Nec indecorũ censebitis potentissimæ ciuitati cedere, quæ commodis conditionibus [*vos ad deditionem faciendam prouocat,*] vt socij sitis, & vestrum [*agrum*] retinentes, tributum pendatis, néve belli, & incolumitatis optione [*vobis*] data, contentionis studio deteriora sequamini. Nam qui paribus quidem non cedunt, erga superiores verò rectè se gerunt, [*iisq; cedunt,*] & inferioribus se moderatos præbent, ij diutissimè stare, [*& rem felicissimè gerere*] possunt. Considerate igitur nobis etiam semotis, & sæpius vobiscum cogitate vos de patria consultare, quę in hac vna, & ex hac vna cõsultatione vel felix vel infelix est futura. Posthæc Athenienses quidẽ ex colloquio discesserũt. Melij verò cũ [*in curia*] soli remansissent, postquam ipsis eadem, quæ [*antè*] dixerant, visa sunt, hæc [*ipsa*] responderunt. Nobis verò, Athenienses, neque aliud, quàm paulo antè [*visum est, nunc*] videtur: neque breui temporis spatio vrbi, quæ iam per septingentos annos habitatur, libertatem eripie-

piemus: sed tum fortuna, quæ diuinitus eam huc vsque conseruauit, tum humanis auxiliis, & Lacedæmoniorum [*ope*] freti, nostram salutem tueri conabimur. Vos tamen [*his conditionibus*] prouocamus, vt amici quidem [*vtrisq;*] simus, hostes verò neutris, vtque fœderibus initis, quę vtrisque commoda videbuntur, ex agro nostro discedatis. Melij igitur hæc responsa dederunt. Athenienses verò cùm è colloquio iam digrederentur, dixerunt, Enimuerò vos soli [*omnium,*] vt nobis videmini, his [*vestris*] consiliis, res quidem futuras, [*quarum exitus est incertus,*] certiores [*esse*] iudicatis, quàm quæ cernuntur, [*& quæ certæ sunt,*] res verò occultas, [*quarum euentus est incertus,*] quòd [*eas*] cupiatis, vt præsentes iam spectatis. Et quia Lacedæmoniis, & fortunæ, & spei iam plurimum vos ipsos permisistis, & [*his nimium*] confiditis, plurimum etiam labemini, [*grauissimamq; cladem accipietis.*] Atq; Athenienſium quidem legati ad castra redierunt. Ipsorum verò duces, cùm Melij nullo modo morem ipsis gerere vellent, ad bellum continuò se conuertetũt, & [*opus*] inter ciuitates partiti, Melios vallo circundederunt. Posthæc Athenienses præsidio cùm ex suis, tum ex sociorum copiis, & à mari, & à terra, [*illic*] relicto, cum maiore copiarum parte domum redierunt. Sub idem tempus Argiui irruptione in [*agrum*] Phliasium facta, & à Phliasiis, & à suis exulibus per insidias excepti, circiter octoginta perierunt. Et Athenienses, qui Pyli erant, magnam Lacedæmoniorum prædam ceperunt. Lacedæmonij verò, ne sic quidem propterea solutis fœderibus, bellum ipsis fecerunt. Edicto autem permiserunt cuilibet de suis, vt prædam ex Athenienſium finibus ageret. Et Corinthij quidem priuatarum quarundam controuersiarum causa bellum Athenien-

sibus intulerunt. Cæteri verò Peloponnesij quiescebant, [*& ab armis abstinebant.*] Melij quoque munitionis ab Athenienſibus extructæ partem, quæ forum spectabat, ceperunt, [*eam*] aggressi noctu, & [*nonnullos*] viros interfecerunt, & frumentum, aliumque commeatũ pecunia comparatum quàm plurimum potuerunt [*in vrbem*] importarunt, & cùm [*in eam*] se recepissent, quiescebant, [*& ab eruptionibus in hostem faciendis sibi temperabant.*] Et Athenienses postea diligẽtiùs excubias agebant. Et hæc æstas excessit. Insequentis hyemis initio, Lacedæmonij copias in [*agrum*] Argiuum educere statuerant: sed cùm in ipsis finibus sacrificium pro transitu fecissent, nec litare potuissent, [*domum*] reuerterunt. Argiui verò, quòd illi in suum agrum inuadere statuissent, nonnullos, qui in vrbe erant, suspectos habuerunt, & eorum alios quidem comprehenderunt, alij verò ex ipsorum manibus elapsi profugerunt. Sub idem quoque tempus Melij rursus Athenienſium munitionem ab alia parte aggressi, vbi non multi custodes aderant, [*eam partem*] ceperunt. Cùm autem mox, post has res gestas, alius exercitus Athenis veniſſet, cui præerat Philocrates Demeæ [*filius,*] cumque [*Melij*] graui obsidione iam premerentur, quadam etiam proditione à quibusdam ipsorum ciuibus facta, Athenienſibus sese dediderunt, ea conditione, vt ipsi [*Athenienses*] de se [*arbitratu suo*] statuerent. Illi verò, Meliorum quoscunque puberes ceperunt, [*omnes*] interfecerunt, pueros, & fœminas in seruitutem abstraxerunt, & vrbem ipsi incoluerunt, postea quingentis colonis [*eò*] missis.

THV-

THVCYDIDIS, OLORI F. DE BELLO PELOPONNESIACO, Liber sextus.

HAc eadẽ hyeme Athenienses cum maiori apparatu, quã [*erat is, quem*] cum Lachete, & Eurymedonte [*miserant,*] rursus in Siciliam nauigare, eamque, si possent, subigere decreuerũt. nam ipsorum pleriq; ignari erant & magnitudinis illius insulæ, & multitudinis tum Græcorum, tum barbarorum in [*ea*] habitantium. Et [*ignorabant*] se suscipere bellum haud multo minus, quàm [*erat illud,*] quod aduersus Peloponnesios [*susceperant.*] Nam Siciliæ ambitus est non multo minor, quàm octo dierum, naui onerariæ circumuectæ. Quamuis autem tanta sit, [*tamen tantùm*] viginti stadiorũ ad summum maritimo spatio [*à continente*] discluditur, ne sit continens. Sic autem antiquitus habitata fuit, ac tot gentes in vniuersum [*eam*] tenuerunt, [*quot hîc commemorabo.*] Antiquissimi quidem in quadam illius regionis parte feruntur habitasse Cyclopes, atque Læstrygones: quorum ego neque genus, neque [*locum,*] vnde venerint, neque quò abierint, dicere habeo. Sufficiant autem ea, quæ à poëtis dicta sunt, & quæ vnusquisque de ipsis sentit. Sicani verò post ipsos primi sedes [*hîc*] posuisse putantur, & (vt ipsi quidem prædicant) vel priores, [*& ante Cyclopes, & Læstrygonas hîc habitauerunt,*] quòd essent

indigenæ. Sed (vt veritas comperitur) cùm Iberi essent, & à Sicano Iberiæ flumine, [*cuius erant accolæ,*] à Ligybus expulsi, [*in Siciliam iuerunt.*] Et hæc insula tunc ab ipsis Sicania vocabatur, cùm prius Trinacria nominaretur. Et nunc etiam Siciliæ partes ad occasum vergentes incolunt. Ilio autem capto quidam Troiani, qui Achæos effugerant, nauibus ad Siciliam appulerunt: sedibusque positis in Sicanorum finibus, vniuersi vocati sunt Elymi, & vrbes ipsorum erant, Eryx, & Egesta. His autem accolæ accesserunt & nonnulli Phocenses, ex eorum numero, qui à Troia tunc in Libyam tempestate delati primùm, deinde ex Libya in Siciliam transmisere. Siculi verò ex Italia (illic enim habitabant) in Siciliam traiecerunt, fugientes Opicos, vt & credibile est, & famâ fertur, ratibus, obseruato freto, quũ ventus secundus flabat: fortasse etiam aliqua alia ratione [*eò*] nauigantes. Sunt autem nunc etiam in Italia Siculi, & illa regio à quodam Italo Arcadum Rege, qui nomen hoc habebat, sic, Italia, cognominata fuit. Cùm autem ingentes [*Siculorum*] copiæ in Siciliam traiecissent, & Sicanos prœlio vicissent, in meridionales, & occidentales insulæ partes amandarunt, & autores fuerunt, vt hæc insula pro Sicania vocaretur Sicilia, & feraciſſimas quasque illius agri partes, postquàm [*eò*] traiecerunt, retinentes incoluerũt, annis propè trecentis ante Græcorum in Siciliam aduentum. Et nunc quoque tenent mediterraneas eius insulæ partes, & eas, quæ ad Aquilonem vergunt. Phœnices præterea per eandem passim habitauerunt, occupatis ad mare promontoriis, & paruis insulis adiacẽtibus vt cum Siculis negotiarentur. At postquàm permulti Græcorum cum nauibus [*eò*] traiecerunt, relictis plerisque [*insulæ partibus,*] Motyam, & Solœntem, &

Panor-

Panormum, oppida Elymis finitima, in vnum coeuntes incoluerunt, tum societate Elymorum freti, tum quòd Carthago perexiguo traiectu illinc à Sicilia distaret. Tot igitur numero barbari, atq; hoc modo Siciliam habitauerunt. Græcorum autẽ primi Chalcidenses, ex Eubœa nauigantes cum Theucle coloniæ duce, Naxum condiderunt, & Apollinis Archegetæ [*id est, ducis, cuius auspiciis, ductuq; eò peruenissent,*] aram, quæ nunc extra vrbem extat, extruxerunt: supra quam rerum diuinarum curatores, quoties è Sicilia soluũt, primùm sacrificium faciunt. Insequenti anno Archias Heraclidarum [*vnus*] Corintho [*profectus,*] Syracusas condidit, Siculis ex insula [*Ortygia*] prius expulsis, in qua nunc vrbs interior, mari non amplius circuncirca alluitur. Postea verò & [*vrbs*] ea, quæ est extra [*hanc insulam,*] muro [*alteri vrbi*] adiuncta, populo frequens facta est. Theucles autem, & Chalcidenses Naxo profecti, anno quinto post Syracusas conditas, Leontinos, eiectis bello Siculis, condiderunt, & post ipsos, Catanam. Ipsi verò Catanæi Euarchũ coloniæ deducendæ ducem crearunt. Per idem verò tempus & Lamis coloniam Megaris ducens, in Siciliam peruenit, & super Pantacium flumen, locum quendam nomine Trotilum condidit, [*& colonos in eo collocauit,*] & illinc postea [*digressus,*] cùm apud Leontinos aliquandiu Rempub. vnâ cum Chalcidensibus administrasset, & ab ipsis [*Leontinis*] eiectus fuisset, & Thapsum condidisset, ipse quidem obiit, cæteri verò Thapso expulsi, duce Hyblone Rege Siculo, qui regionem prodiderat, Megara, quæ Hyblæa vocabantur, condiderunt. Et cùm [*hanc vrbem*] ducentos, & quadraginta quinque annos habitassent, à Gelone Syracusanorum Rege ex vrbe, & agro expulsi fuerũt. Sed antequàm

expellerentur,anno centesimo post vrbem ab ipsis conditam, Selinuntem Pammilo[*illuc*] misso condiderunt.Hic autem è Megaris ipsorum metropoli [*eò*] profectus,[*vrbem illam*] cum cæteris [*eiusdem coloniæ socijs*] condidit. Gelam verò Antiphemus è Rhodo, & Entimus ex Creta [*profecti,*] suam vterque coloniam ducentes, communiter condiderũt, anno quadragesimoquinto post Syracusas habitari cœptas.Atq; huic quidem vrbi à Gela flumine nomen impositum fuit:locus verò, vbi nunc vrbs est sita, & qui primus muro munitus fuit, Lindij vocatur. Iura autem Dorica ipsis constituta fuerunt. Anno autem propemodum centesimo octauo ab vrbe sua condita Geloi Acragantem condiderunt, vrbemque ab Acragante fluuio nominarunt,& coloniæ deducendæ, & collocandæ duces sibi delegerunt Aristonoum,& Pystilum,suaque Iura[*nouæ vrbis incolis*] dederunt. Zancle verò initiò quidem à latronibus, qui è Cumis vrbe Chalcidica in agro Opico sita, venerãt,condita fuit. Postea verò multitudo,quæ ex Chalcide,&ex reliqua Eubœa venerat,agrum in varias portiones diuisum communiter possedit. Eiusque coloniæ illuc deductæ, ibiq; collocatæ duces fuerunt Perieres, atque Cratæmenes, quorum alter è Cumis, alter è Chalcide [*venerat.*]Hæc autem vrbs primò quidẽ à Siculis Zancle vocata fuit, quòd locus ille speciem falcis habeat, falcem autem Siculi Zanclon appellant. Postea verò ipsi quidem à Samiis,& aliis Ionibus, qui Medos fugientes, ad Siciliam appulerant, expulsi fuerunt.Anaxilas verò Rheginorum tyrannus,non multo pòst Samiis[*illinc*] eiectis, vrbem hominibus, quos cum ipsis miscuit, frequentem reddidit, & nomine mutato Messenen à sua antiqua patria nominauit, [*cùm antè Zancle vocaretur.*] Post Zancle

clen autem [*conditam*]Himera ab Euclide,& Simo, & Sacone[*coloniæ ducibus*] condita fuit. Et Chalcidenſes plerique in iſtam coloniam venerunt, & cum ipſis habitauerunt &Syracuſani exules,à contraria factione ſuperati, qui Myletidæ vocantur. Et lingua quidem [*iſtorum*] eſt medium quoddam genus ex Chalcidica, & Dorica mixtum, leges verò Chalcidenſes victoriam obtinuerunt. Acræ verò, & Caſmenæ à Syracuſanis conditæ fuerunt. Et Acræ quidem, ſeptuaginta annis poſt Syracuſas [*conditas,*] Caſmenæ verò, viginti circiter [*annis*] poſt Acras [*conditas.*] Et Camarina primùm à Syracuſanis condita fuit, fermè centum & triginta quinque annis poſt Syracuſas conditas. Ipſius verò conditores, [*& coloniæ illuc deductæ, ibiq; collocatæ duces*] fuerunt Daſcon,& Menecolus. Cùm autem Camarinæi à Syracuſanis propter defectionem [*ab ipſis factam,*] bello ex ſuis ſedibus expulſi fuiſſent, non multo pòſt Hippocrates Gelæ tyrannus, cùm pro Syracuſanorum captiuorum redemptione Camarinæum agrum accepiſſet ipſe coloniæ dux fuit, eamque in vrbe Camarina collocauit. Et rurſus, cùm à Gelone ſuis ſedibus expulſi fuiſſent, ab eodem Gelone tertiò in eadẽ vrbe collocati fuerunt. Tot igitur gentes partim Græcæ, partim barbaræ Siciliam incolebant. Quamuis autem hæc inſula tanta eſſet, [*ac tot populis referta,*] huic tamen Athenienſes impetu quodam animi bellum inferre ſtatuerunt,cupientes quidem, quæ veriſſima erat cauſa, totius imperio potiri, ſimul verò quodam honeſto prætextu, [*Chalcidenſibus,*] ſuis cognatis, priſtinisque ſociis opem ferre volentes. Ipſos autem potiſſimùm [*ad hoc*] impulerunt Egeſtæorum legati, qui [*illic*] aderant, & alacrius auxilium implorabant. Cùm enim Selinuntiis eſſent finitimi,

bellum [*aduersus eos*] susceperant, propter quasdam res quæ ad nuptias spectabant, & [*propter*] agrum controuersum. Et Selinuntij accitis Syracusanis sociis, ipsos bello terrâ, mariq; premebant. Quamobrem Egestæi Athenienſibus in memoriam reducebant societatem [*cum ipsis factam*] Lachetis, & superioris Leontinorum belli tempore, [*quum Lachetem ad opem Leontinis aduersus Syracusanos ferendam in Siciliam miserunt,*] & ipsos orabant, vt sibi missa classe succurrerent. & cùm alia multa dicebant, tum verò (quod caput erat) si Syracusani impune ferrent, quòd Leontinos suis sedibus expulissent, & cæteris ipsorum [*Athenienſium*] sociis præterea corruptis, [*ac attritis,*] ipsi omnem Siciliæ potentiam, [*ac opes*] in suam potestatem redigerent, periculum esse, ne fortè aliquando cum magno apparatu Dorienses Dorienſibus, propter cognationem, simul etiam quòd essent [*Peloponnesiorum*] coloni, Peloponnesiis, à quibus [*in coloniam*] essent emissi, auxilium ferentes, ipsorum etiam [*Athenienſium*] imperium vnâ demolirentur. Prudentium autem esse, cũ reliquis adhuc sociis obsistere Syracusanis, præsertim cùm ipsi [*Egestæi*] satis pecuniæ ad bellum essent collaturi. Quæ cùm audirent sæpenumero Atheniẽses in concionibus tum ex Egestæorum, tum ex illorum, qui ipsis patrocinabantur, ore, decreuerunt, legatis primùm Egestã missis, explorare an tantum pecuniæ, quantum iactabant, in ærario, & in templis haberent, & simul cognoscere quo in statu esset bellũ, quod cum Selinuntiis gerebant. Et legati quidem Athenienſiũ in Siciliam missi fuerunt. Lacedæmonij verò, eorumque socij, præter Corinthios, cum exercitu in [*agrum*] Argiuum profecti, non magnã agri partem vastarunt, & frumenta absportarunt imposita quibusdam

busdam plaustris, quæ secum adduxerant, & Argiuos exules Orneis collocarunt, & paucos ex reliquo exercitu [*præsidij causa*] apud ipsos reliquerũt. Initisque fœderibus ad certum tempus, vt [*per id*] Orneatæ, & Argiui, alteri ab alterorum agro vastando abstinerẽt, cum reliquis copiis domum redierunt. Cùm autem non multo pòst Athenienses cum triginta nauibus, & sexcentis grauis armaturę militibus venissent, Argiui cum Athenienſibus, omni [*suorum, qui per ætatem arma ferre poterant,*] exercitu educto, vnum quidem diem Orneas oppugnauerunt: sed cùm illi noctu procul [*ab Orneis*] castra haberent, qui Orneis erant, [*illinc*] effugerunt. Quod vbi sensere postero die Argiui, Orneis solo æquatis, [*domum*] redierunt, & mox Athenienses etiam cum classe domum reuerterunt. Iidem, cùm Methonen Macedoniæ finitimam equites mari transportassent, partim ex suis, partim ex Macedonibus apud se exulantibus, Perdiccæ [*regionem*] maleficiis infestabant. Lacedæmonij verò missis [*nuntiis*] ad Chalcidenses, qui erant in Thracia, qui decem dierum inducias cum Athenienſibus habebant, [*eos suis auxiliis*] Perdiccam in bello [*contra Athenienses*] adiuuare iubebant. At illi [*hoc facere*] noluerunt. Atq; hæc hyems exiit. Et huius belli, quod Thucydides conscripsit, decimus sextus annus excessit. Insequenti æstate, vere statim ineunte, Athenienſium legati ex Sicilia redierunt, & Egestæi cum ipsis, ferentes sexaginta talenta argenti non signati, menstruum sexaginta nauium stipendium, quæ vt mitterentur erant oraturi. Athenienses autem aduocata concione, auditisque & Egestæis, & suis legatis, cùm alia dicentibus ad persuadendum apposita, & falsa, tum verò de pecunia renuntiantibus, multam & in templis, & in ærario paratam

esse, decreuerunt sexaginta naues in Sicillam esse mittendas, & duces summa potestate præditos, Alcibiadem Clinię, & Niciam Nicerati, & Lamachum Xenophanis [*filium*,] qui opem quidem Egestæis contra Selinuntios ferrent: sed & Leontinos in suis [*pristinis*] sedibus collocarét, si quod temporis spatium [*ad hoc peragendum*] ipsis in bello supereſſet, atque res cæteras in Sicilia perinde gererent, ac Reipub. Athenienſium maximè expedire iudicarent. Quinto post hæc die concio rursus aduocata fuit, [*vt in ea consultaretur*] qua ratione oporteret quàm celerrimè classem apparare, & decernere, si qua re ducibus ad hanc expeditionem opus esset. Nicias autem, cùm se quidem ducem electum audisset: sed [*suam*] ciuitatem non rectè decreuisse, [*neq; bonum consilium cepisse*] duceret, sed exigua, & speciosa de causa, Siciliæ totius imperium, rem arduam affectare, [*in mediam concionem*] progressus, [*Athenienses à proposito, susceptoq; consilio*] reuocare voluit, atque Athenienſibus hæc suasit.

NICIAE CONCIO.

Hæc quidem concio de nostræ classis apparatu est coacta, quónam modo in Siciliam nauigare oporteat. Mihi verò de hoc ipso rursus consultandum videtur, vtrum satius sit classem emittere néne, nec tam breui consultatione, de rebus magnis fide viris alienigenis habita, bellum suscipiendum, quod ad nos nihil pertineat. Atqui ego quidem ex huiusmodi re, [*& imperio, quod mihi defertur,*] honorem consequor, & meo ipsius corpori minimè omnium timeo. quanquam existimo pariter [*illum quoque*] bonum esse ciuem, qui & sibi ipsi, & suis fortunis prospicit, [*ita vt temerè sese periculis non obiiciat.*]

iiciat.] Nam huiusmodi [*vir, qui suam rem priuatam saluam cupit, idem*] & Rempub. [*quæ ex priuatorum rebus constat,*] sua opera saluam esse volet. Verùm, vt nec vnquam antè propter honores mihi delatos quicquam aliter, quàm sentiebam, dixi, sic ne nunc quidem alia dicam, quàm quæ optima esse sentio. Quamuis autem apud vestra ingenia parum ponderis, [*ac autoritatis*] oratio mea sit habitura, si [*vobis*] suadeam, vt & res præsentes, [*quas nunc possidetis,*] conseruetis, néve rebus iis, quæ sunt certæ, de iis, quæ incertæ, dubiæque sunt, periclitemini: quòd tamen neque tempestiuè festinetis, neque facilè obtineri possint ea, ad quæ contenditis, hæc docebo. Etenim dico vos, multis hostibus hîc relictis, alios etiam, [*præter istos,*] illuc traiicientes cupere huc attrahere. Sed fortasse putatis fœdera, quæ [*cum Lacedæmoniis*] inistis, aliquid firmitudinis habitura, quæ, si vos ab armis quidem abstineatis, nomine duntaxat erunt fœdera (sic enim quidam ex nostris, atque ex aduersariis re transacta, ea fecerunt) sed si quis iustus exercitus noster aliquam cladem accipiat, hostes celeriter nos inuadent. Nam primùm quidem propter clades, [*quas à nobis acceperunt,*] vi necessitatis coacti, cum maiore, quàm nos, dedecore, compositionem, [*pacemq; nobiscum*] fecerunt. Deinde verò in hac ipsa cõpositione, [*& fœderibus*] multas cõtrouersias habemus. Præterea sunt etiam qui ne has quidem [*istorum fœderum*] pactiones admittere voluerunt, iique non infirmissimi: sed [*eorum*] alij quidem palàm bellum gerunt, alij verò, quòd Lacedæmonij adhuc quiescant, [*nec ruptis fœderibus arma nobis inferant,*] ipsi quoque decem dierum induciis, [*quas ipsis suorum negotiorum conficiendorum causa concessimus, in officio*] adhuc continentur, [*& à nobis bello petendis abstinent.*] Sed fortasse, si no-

ſtras opes diſtractas acceperint (id, quod nunc vi-
gemus) vel libentiſſimè nos adorientur vnà cum
Sicilienſibus, quorum ſocietatem ſibi adiunctam
antea plurimi æſtimaſſent. Quamobrem hæc no-
bis ſunt perpendenda, neque committendum, vt
ſuſpenſis [*ac incertis*] noſtræ Reipub. rebus, pericula
ſubeamus, & aliud imperiũ affectemus, priuſquàm
id, quod habemus, ſtabilierimus. Si quidem Chalci-
denſes, qui ſunt in Thracia, quamuis tot annos à
nobis iam defecerint, tamen in noſtram poteſta-
tem nondum ſunt redacti & alij nonnulli in variis
continentis partibus, dubiè [*nobis*] parent. Nos verò
nunc Egeſtæis ſociis, vt iniuriam paſſis, præcipitan-
ter ſuccurrimus. A quibus autem propter defectio-
nem iampridem à nobis factam violamur, illos ve-
rò vlciſci adhuc cunctamur. Atqui hos quidem
[*Chalcidenſes*] ſi [*eos*] in noſtram poteſtatem redege-
rimus, facile retinere poterimus. His verò [*Siculis,*]
quamuis eos ſubegerimus, quia tamen longo [*lo-
corum interuallo à nobis*] diſtant, ſimul etiam quia
permulti ſunt, ægrè poterimus imperare. Amentia
verò fuerit bellum illis inferre, quos, ſi viceris, in
poteſtate tua retinere nequeas, & niſi rem feliciter
geſſeris, [*eosq; ſubegeris,*] eandem illos inuadendi fa-
cultatem, quam prius [*habebas, in poſterum*] non ſis
habiturus. Sicilienſes enim, vt nunc ſaltem [*ſe*]
habent, mihi videntur [*parum formidabiles,*] mul-
toque minus nobis formidabiles fore, ſi Syra-
cuſani ipſis [*ſubactis*] imperent. qua re potiſſimùm
Egeſtæi nos territant. Nunc enim fortaſſe ſingu-
li [*Sicilienſium populi*] facilè veniant, vt Lacedæ-
moniorum gratiam ſibi concilient, at illo mo-
do, [*ſi videlicet à Syracuſanis ſubacti fuerint,*] veriſi-
mile non eſt fore vt imperium [*recens partum, nec
dum ſtabilitum,*] imperio [*Reipub. quæ floret opibus,*]
bellum

bellum inferat. Quo enim modo cum Peloponnesiis [*ipsi*] nostrum [*imperium nobis eripuerint,*] verisimile est ab iisdem [*Peloponnesiis*] ipsorum etiam [*imperium*] eodem [*modo*] euersum iri? Porrò Græci, qui illic sunt, primùm quidem maximè nos extimescent, si [*eo*] non transmiserimus, deinde verò, si ostentatis nostris opibus, statim [*illinc*] discesserimus. sed si quam cladem acceperimus, [*illi*] celerrimè [*nobis*] contemptis, vnâ cum illis [*Græcis,*] qui hîc sunt, [*nos*] adorientur. Quæ enim à nobis õgissimè distant, & quæ opinionis, [*quam homines de ipsorum virtute conceperunt,*] nullum specimen dederunt, omnes [*hæc*] admirationi esse scimus. Id, quod nunc vobis, Athenienses, erga Lacedæmonios, eorumque socios accidit, qui, quoniam præter [*vestram*] opinionem ipsos superastis, [*in illis rebus, bellicis scilicet,*] in quibus [*ipsos*] antea formidabatis, iam [*illis*] contemptis, Siciliam etiam, [*ac ipsius imperium*] affectatis. Atqui propter aduersariorũ casus, [*ac infelicitatem*] animos extollere nõ oportet: sed animos cohibendo, confidere. neq; [*oportet*] existimare Lacedæmonios aliud quicquã [*facere,*] quã propter [*acceptæ cladis*] ignominiam speculari quanam ratione vel nunc quoque, si possint, labefactatis nobis, suam ignominiam deleant. Quo autem studiosiùs, & quo diutius virtutis laudem sese exercentes venantur, [*eo etiam magis existimandum est eos id agere, atq; moliri.*] Quare non de Egestæis, viris barbaris, qui sunt in Sicilia, nobis est certamen, si sapimus: sed [*hac de re,*] vt ciuitatem, quæ per oligarchiam, [*id est paucorum dominatum, nostræ Reipub. quæ populari statu regitur,*] insidiatur, celeriter caueamus. Debemus autem meminisse nos nuper è graui morbo, belloque paululum

esse recreatos, ita vt & pecuniæ vi, & hominum numero aucti simus: & æquum esse hæc pro nobis [*ipsis*] hîc impendi, non autem pro istis viris exulibus, qui [*nostrum*] auxilium implorant, quibus & pulchrè mentiri conducit, & aliorum periculo (cùm ipsi nihil nisi verba tantùm afferant) aut re feliciter gesta, meritam gratiam [*nobis*] non habere, aut aliqua clade accepta, amicos in perniciem secum trahere. Quod si quis lubens, creatus imperator, vos ad hanc naualem expeditionem hortatur, suarum tantùm rerum rationem habens, præsertim si propter iuniorem ætatem imperio gerendo sit adhuc impar, vt propter sumptus quidé, quos in alendos equos facit, [*ab omnibus*] suspiciatur, propter magnitudinem verò sumptuum, aliquem fructum ex hoc imperio percipiat; ne huic quidem permittatis, vt Reipub. periculo priuatim fiat illustris. Existimate verò huiusmodi [*ciues*] rem quidem publicam lædere, rem verò priuatam absumere. Præterea hoc [*belli administrandi*] negotiũ arduum esse, nec de quo adolescens consultare. quodq; facilè tractare possit. Quos cùm ego nunc hîc eidem viro aduocatos assidere videam, metuo, & vicissim ipse quoque seniores hortor, ne, si quis [*ipsorum,*] alicui horum assidet, [*à sententia liberè dicenda,*] pudore deterreatur, ne videatur ignauus esse: nisi bellum suo suffragio comprobarit. Ac [*eosdem hortor*] ne eodem morbo laborent, quo ipsi [*adolescentes,*] vt absentes perditè ament, (cùm sciant cupiditate quidem, res pauciſſimas, prouidentia verò, plurimas feliciter geri,) sed pro patria, quæ maximum omnium superiorum periculum iam subit, sententias [*aliorum sententiis*] contrarias ferant, ac decernant, vt Sicilienses quidem iisdem finibus vtentes, quibus nunc [*vtuntur,*] de quibus

non

non est quòd apud vos querantur, [*quasi non satis ampli sint,*] Ionico [*videlicet*] sinu, si quis nauigando terram legat, & Siculo, si quis per altum ferantur, sua possidentes, res item suas inter se componant. Item [*hortor*] vt Egestæis seperatim respondeamus, vt, quandoquidem sine Athenienſibus primum bellum ipsi sua sponte contra Selinuntios susceperunt, [*id*] etiam ipsi sua sponte deponant. Nec posthac societatem (quemadmodum consueuimus) cum iis faciamus, quibus calamitate quidem pressis auxilium feramus, sed si [*nos*] ipsi auxilio indigeamus, [*auxilium ab ipsis*] impetraturi non simus. Tu verò Prytani, [*Senatus præses,*] (si modò hoc ad munus, [*officiumq;*] tuum pertinere ducis, curare ne quid Respub. detrimenti capiat, & [*si*] bonus ciuis esse vis) hæc [*quæ dico,*] de consilij sententia confirma, & Athenienses [*de his*] iterum sententias roga, persuasum habens, si [*plebiscitum rescindere, & rem ad suffragia reuocare, atque*] sententias iterum rogare reformidas, si leges quidem soluantur, in tanta testium frequentia, tibi rem istã crimini datum non iri: sed te ciuitatis, quæ malum consilium ceperit, medicum fore, atque id demum esse, rectè magistratu fungi, si patriam quàm plurimis beneficiis affeceris, aut saltem opera dedita nullum detrimentum [*ei*] attuleris. Atque Nicias quidem hæc verba fecit. Athenienſium verò plerique, qui [*post Niciam in medium*] processerunt, hanc expeditionem suscipiendam censebant, nec ea rescindenda, quæ decreta essent. Nonnulli etiam contradicebant, [*eamq; dissuadebant.*] Hanc autem expeditionem summo studio vrgebat Alcibiades Cliniæ [*filius,*] quòd Niciæ aduersari cuperet, tum quòd ei aliis etiam in rebus ad Reipub. administrationem pertinentibus aduersarius esset,

tum quòd [*Nicias*] sui mentionem criminosè fecisset, tum etiam præcipuè quòd imperator esse cuperet, & se, si imperium gereret, Siciliam, atque Carthaginem capturum [*& in Athenienſis populi poteſtatem redacturum*] speraret. simul etiam, se si rem feliciter gessisset, rem priuatam & pecunia, & gloria amplificaturum. Cùm enim autoritate inter [*suos*] ciues emineret, maiora appetebat, quàm ferre possent eius facultates, cùm in alendis equis, tum in aliis sumptibus [*faciendis.*] Quod etiam postea Rempub. Athenienſium potissimùm euertit. Multi enim metuentes eum propter corporis cultum, victusque lautitiam, qua præter modum, & præter patrium institutum vtebatur, [*metuentes*] etiam animi [*magnitudinem*] in singulis rebus, quascunque gerendas suscepisset, ab eo, vt tyrannidem affectante, prorsus alienati sunt. Quamuis autem publicè res bellicas præclarissimè administrasset, priuatim tamen singuli studiis eius infensi, aliisque [*rerum bellicarum administratione*] commissa, non multo pòst Rempub. euerterunt. Tunc igitur [*Alcibiades in medium*] progessus, hæc Athenienſibus suasit:

ALCIBIADIS CONCIO.

Ego verò Athenienses, aio & imperium ad me magis, quàm ad [*vllos*] alios pertinere (hinc enim me dicendi initium facere est necesse, quia Nicias me perstrinxit) & simul me dignum [*hoc*] esse censeo. Nam ea, propter quæ sum celebris, maioribus quidem meis, & mihi [*ipsi*] gloriam; patriæ verò, vtilitatem etiam afferunt. Græci enim propter apparatus splendorem, quo ego ad ludos Olympiacos adij, nostram Rempub. vel longè potentiorē, quàm

quàm sit re ipsa, esse iudicarunt, cùm ipsam prius debellatam esse crederent: quia septem currus [*in stadium*] demisi, quos nullus priuatus vnquam ante [*in curule certamen misit,*] & victor extiti, & secunda, & quarta præmia tuli, & cętera apparaui pro victoriæ dignitate. Hæc enim & legitimum habent honorem, & ex iis, quæ [*in huiusmodi magnificis apparatibus*] fiunt, simul etiam [*nostræ Reipub.*] potentia suspicione, [*& coniectura*] cognoscitur. Reliquus etiam meus domesticus splendor in publicis sumptibus, aliisve rebus, mihi quidem apud [*meos*] ciues inuidiam naturâ parit: sed apud exteras gentes & ipse potentiæ opinionem parit. Neque verò incommodum est hoc hominis propositum, quisquis suis sumptibus non solùm de se ipso: sed etiã de sua patria bene meretur. Neque etiam iniquum est, si quis propter se ipsum, [*ac propter suas virtutes, de se ipso*] magnificè sentiens, cæteris par esse nolit. siquidem & is, qui premitur aduersa fortuna, nullum habet suæ calamitatis socium. sed quemadmodum, quũ calamitatibus premimur, [*ab aliis*] ne salutamur quidem: [*sed ab omnibus contemnimur:*] sic etiam quilibet [*de illis*] à fortunatis, [*beatisq;*] viris se [*vicissim*] contemni patiatur aut idem [*aliis*] tribuens, idem [*ab illis*] repetat. [*id est, petat vt sibi vicissim idem ab illis tribuatur.*] Scio autem huiusmodi [*homines, qui propter suas virtutes, ac dignitatem magnificè de se sentiunt,*] & [*alios,*] quotquot in alicuius [*rei*] splendore [*cæteris*] antecellunt, quandiu quidem viuunt, inuidia premi, præcipuè quidem à paribus: deinde verò & ab aliis, quibuscum versantur, [*ac viuunt.*] Posteris verò summã admirationem relinquere, ita vt eorum nonnulli ius cognationis sibi vendicent, licet nulla cognatione cum illis sint coniuncti, [*& se cognatos illorum esse*

glorientur, ac prædicent, quamuis reuera non sint illorum cognati,] & patriæ, vnde sunt oriundi, gloriationem, non quasi de alienigenis, aut iis, qui flagitiosè vixerint: sed vt de suis, & qui res præclaras gesserint. Quarum rerum cùm ego sim desiderio captus, & propter has res priuaras sim celebris, videte [*iam*] an deterius vllo alio Rempub. administrem. Cùm enim potentissimarum Peloponnesi ciuitatum amicitiam, [*atque societatem*] sine magno aut periculo, aut sumptu vobis conciliarim, Lacedæmonios vno die de summa rerum suarum ad Mantineam decernere coëgi. Quo ex prœlio licet victores discesserint, tamen ne nunc quidem suis rebus planè confidunt. Hæc autem mea iuuentus, & amentia, quæ præter naturam [*in me*] videtur esse, apud potentissimas Peloponnesiorum ciuitates verbis decentibus vtens, & familiariter cum ipsis agens, hęc transegit, & animi impetu fidem faciens, [*atque factis verba confirmans*] effecit, vt ne nunc quidem hæc [*meæ iuuentutis amentia vobis*] sit extimescenda. Verùm quandiu cum hac [*meæ iuuentutis amentia*] ego floreo, & Nicias [*in rebus gerendis*] felix videtur esse, vtriusque nostrum commodo liberè, [*ac abundè*] vtamini: neque sententiam de expeditione in Siciliam facienda reuocetis, quasi aduersus magnam potentiam sit futura. Nam [*illius insulæ*] vrbes varia aduenarum colluuie sunt frequentes, & suum statum facilè mutant, & [*peregrinos aduenientes, facilè*] recipiunt. Atque hac ipsa de causa nullus [*ipsorum*] tanquam pro sua patria, aut armis ad [*suum*] corpus protegendum [*necessariis*] est instructus, aut in ipsa regione vsitatis apparatibus [*ad hostium vim propulsandam est instructus.*] Quicquid autem vnus quisque sperat se vel dicendo, ac persuadendo impetraturum, vel seditione à se excitata ex ærario rapturu-

pturum, &, nisi rem feliciter gesserit, se solum esse versurum, hoc [*sibi*] comparat. Neque verisimile est huiusmodi turbam aut vnanimi consensu verba [*rectè monentium*] audire, aut communiter ad res gerendas se conuertere. Celeriter autem singuli [*Siciliæ populi,*] si quid dicatur, quod ipsis sit gratum, se [*nobis*] dedent; præsertim si seditione laborant, quemadmodum audimus. Quinetiam neque [*tot*] grauis armaturæ milites illis [*sunt,*] quot inflatiùs [*ab ipsis*] prædicantur, neq; etiam cæteros Græcos tot esse constat, quot singuli se ipsos esse iactabant. Sed Græcia, quæ plurimum ipsos [*barbaros falsa suæ multitudinis prædicatione*] iam fefellit, vix [*tandem*] in hoc bello iustum militum grauiter armatorum numerum habere cœpit. Rerum igitur illarum status, quantum ego sentio ex iis, quæ audiui, talis est, quinetiam longè faciliot erit. Nam & barbaros multos habebimus, qui propter odium, quo Syracusanos prosequuntur, nobiscum ipsos inuadent, neque [*res, quas illic geremus,*] res istas domesticas impedient, si vos rectè consultaritis. Nam maiores nostri, quamuis hos ipsos hostes, quibus [*hîc*] nunc relictis, [*Nicias, eiusq; fautores,*] nos [*in Siciliam*] nauigaturos prædicant, & præterea Medos hostes haberent, tamen imperium, [*quod iam obtinent,*] comparauerunt, nulla alia re, quàm magnitudine classis, qua pollebant. Et pro præsenti rerum statu Peloponnesij nunquam antè minus spei de nobis superandis habuerunt, quòd si etiam valde firmi, [*magnisq; viribus præditi*] sint, irruptionē quidem in agrum nostrum facere possunt, quamuis hanc naualem expeditionem non suscipiamus, sed classe nihil nobis nocere queant. nam reliqua nostra classis, [*quæ domi remanebit,*] est [*illorum classi*] par, [*& facilè ipsi resistere poterit.*] Quid igitur ratio-

ni consentaneum afferemus, cur aut nos ipsi desidia quadam [*hanc expeditionem*] recusemus, aut tergiuersantes, sociis, qui illic sunt, non succurramus? quibus (quandoquidem vel iureiurando interposito fœdus, ac societatem cum illis fecimus) opem ferre oportet, nec obiicere, [*auxilium ipsis non esse mittendum,*] quòd ne ipsi quidem nobis [*auxilium vicissim mittere possint.*] Neque enim ipsos [*nobis socios*] adiunximus, vt huc vicissim opem [*nobis*] ferāt: sed vt illis hostibus, quos illic habemus, negotium facessentes, eos impediant, ne contra [*nos*] huc veniant. Sic enim imperium parauimus, & nos, & quotquot alij rerum potiti sunt, impigrè succurrendo semper iis, qui nostrum auxilium imploraruntsiue barbari, siue Græci essent. Nam si omnes quiescant, [*& periculorum metu otio indulgeant,*] aut delectum habeant [*illorum,*] quibus auxilium sit ferendum, exiguam quandam [*agri alieni portionem*] ipsi [*nostro imperio*] adiungētes, de hoc ipsò [*imperio*] magis periclitabimur. Quilibet enim eum, qui præpotens est, non solùm contra [*se*] venientem propulsare solet: sed etiam anteuertere, ne contra [*se aliquando*] veniat. Neque nobis licet imperium arbitratu nostro moderari: sed necesse est, quando in hoc [*loco*] constituti sumus, [*& imperium habemus,*] aliis quidem, [*qui nobis iam non parent,*] insidiari, [*vt illos in nostram potestatem redigamus,*] alios verò, [*qui nobis parent,*] non missos facere: [*sed eos coërcere, ne defectionem à nobis faciant:*] quòd periculum [*nobis*] ipsis immineat, ne aliorum imperio pareamus, nisi [*nos*] ipsi aliis imperemus. Neque eodem modo nobis, quo cæteris, ratio quietis est habenda, nisi etiam mutato vitæ genere, studiis iisdem, quæ cæteri [*sequuntur,*] operam detis. Considerantes igitur fore vt has [*res*] magis augeamus,

mus, [*imperiumq; nostrum propagemus,*] si ad illas [*res, & ad opem sociis ferendam*] proficiscamur, hanc nauale m expeditionem susc ipiamus, vt Peloponnesiorum spiritus deprimamus, si contemptis [*ipsis,*] neque præsenti quiete, [*qua fruimur,*] contenti, in Siciliam etiam traiicere videamur. Simul etiam aut Græciæ totius (vt credibile videtur) imperium obtinebimus, rebus illis in nostram potestatem redactis, aut saltem malo Syracusanos afficiemus. vnde cùm [*nos*] ipsi, tum etiam socij [*nostri*] vtilitatem percipient. Tutò autẽ & manendi, si quis se nobis dedat, & abeundi, [*si nullus se dedere velit,*] facultatem naues [*nobis*] præbebunt. Nam & apud vniuersos Sicilienses marum [*maris*] impetium obtinebimus. Neque verò Niciæ oratio, quæ quietem [*vobis*] suadet, & dissidium inter iuuenes, & senes excitat, vos [*ab hac expeditione suscipienda*] auertat. Sed solita modestia, quemadmodum & maiores nostri [*res*] ipsas [*imperiumq; nostrum*] in hunc [*amplitudinis, ac potentiæ*] statum extulerunt, dum [*maximo consensu*] iuniores vnâ cum senioribus [*de Repub.*] consultarent, nunc etiam eadem ratione Rempub. amplificare conemini: & existimetis iuuentutem, ac senectutem alteram sine altera nihil posse. Sed si infimus, & medius, & summus [*ciuitatis*] ordo [*concordia*] sit simul permixtus, [*omnisq; ciuium fortuna consentiat, hunc omnium ordinum consensum,*] maximas vires habere. Et Rempub. si quiescat, [*otioq; præter decorum indulgeat,*] ipsam suis ipsius opibus attritum iri, vt quælibet alia, [*quæ otio facilè corrumpuntur, ac pereunt,*] & futurum, vt [*rerum*] omnium disciplina in ipsa consenescat: sed si bella gerat, [*maiorem rei militaris*] peritiam sibi semper adiuncturam, & vsum adepturam, quo non verbis: at factis potius [*hostem*] propulsare possit. In summa vo-

biſcum ita ſentio, ciuitatem negotioſam, ſi negotium cum otio commutet, meo iudicio confeſtim euerti: & illos homines tutiſſimè degere vitam, qui præſentibus, [*ac patriis*] inſtitutis, legibusq;, quamuis ſint deteriores, in ciuitatibus minimè diſcordes viuunt. Atque Alcibiades quidem hæc dixit. Athenienſes verò, cùm audiſſent & illum, & Egeſtæos, & Leontinos exules, qui [*in medium*] prodierant, & orabant, & [*fœderis*] iuſiurandum in memoriam [*Athenienſibus*] reuocantes, precibus ſupplicibus [*ab ipſis*] petebant, vt opem ſibi ferrent, longè maiore, quàm antè, ſtudio ad hanc expeditionem ſuſcipiendam ferebantur. Nicias verò, cùm animaduertiſſet fore, vt non amplius iiſdem rationibus [*allatis, quas prius attulerat, ipſos à propoſito, ſuſceptoque conſilio*] reuocaret: ſed apparatus magnitudine, ſi magnum [*apparatum ipſis*] imperaret, fortaſſe [*ipſos*] de ſententia deduceret, [*rurſus in mediam concionem*] progreſſus, hunc in modum apud ipſos eſt loquutus.

NICIAE CONCIO.

Quoniam vos ad hanc militiam obeundam, Athenienſes, prorſus animatos video, vtinam hæc eum exitum habeant, quem cupimus. In præſentia tamen meam ſententiam [*vobis*] exponam. Etenim aduerſus ciuitates, quantum ego audiendo didici, magnas ituri ſumus, quæ aliarum imperio non parent, ita vt aliæ aliis ſubiectæ ſint, neque mutationem deſiderant, qua aliqua ipſarum ex dura ſeruitute in meliorem rerum ſtatum tranſeat, & quas veriſimile eſt ſuam libertatem cum noſtro ſeruitio non eſſe commutaturas, & quæ, vt in vna inſula, ſunt numero multæ, [*eaq;*] Græcæ [*ciuitates.*] Nam præter Naxum, & Catanam (quas propter Leontinorum

norum cognationem ad noſtras partes ſpero tranſituras) ſunt aliæ ſeptem, quæ rebus omnibus ſunt inſtructæ prorſus eodem modo, quo noſter exercitus, præcipuè verò illæ, Selinus, & Syracuſæ, aduerſus quas potiſſimùm tendimus. Nam in [*illis*] ſunt & multi grauis armaturæ milites, & ſagittarij, & iaculatores, & multæ triremes, & hominum multitudo, quæ illas implebit. Habent etiam pecuniam, partim priuatam, partim [*publicam*] quam [*cùm alij, tum*] etiam Selinuntij in templis ſeruant, quinetiam Syracuſanis tributum à nonnullis barbaris penditur. Et (quo nobis præcipuè præſtant) magnam equorum copiam habent, & frumento dominato, nec [*aliunde*] importato vtuntur. Aduerſus igitur talem potentiam non ſolùm naualibus, & infirmis copiis eſt opus: ſed etiam multum equitatum nobiſcum nauigare [*oportet,*] ſi modò aliquid cogitatis, [*incœptiſq; noſtris*] dignum agere volumus, nec à magno [*hoſtium*] equitatu terra [*Sicula*] prohiberi: præſertim ſi ciuitates noſtri metu conſpirent, nec vlli alij, quàm Egeſtæi, amici nobis facti, equitatum, quo [*hoſtibus*] reſiſtamus, viciſſim ſuppeditent. Turpe enim eſt nos vi repulſos diſcedere, aut poſtea nouas copias accerſere, quòd primò conſilium prudens non inierimus. Sed [*oportet nos*] ex hoc ipſo loco cum firmiſſimo apparatu bellum [*illis*] inferre, & illud ſcire, nos ab [*agri*] noſtri finibus procul eſſe nauigaturos, neq; copias [*hinc*] eduCturos eodem modo, [*quo conſueuiſtis*] inter ciuitates, quę ſunt in his regionibus, & quæ veſtro imperio parent, quum iure ſocietatis alicui bellum inferetis, vnde res neceſſarias ex [*agro*] amico facilè poteſtis comportare: ſed in [*agrum*] totum alienum, [*ac inimicum nobis, grauiſſimo cum periculo, nos*] procul à domo profecturos, vnde ne quatuor

quidem hybernorum mensium spatio nuntius [*huc*] facilè venire possit. Ego igitur censeo [*ad hanc expeditionem*] nobi cum ducendos esse multos grauis armaturæ milites, cùm ex nostris ciuibus, tum ex [*nostris*] sociis, tum etiam ex iis, qui nostro imperio parent, & si quem alium aut verbis, aut mercede adductum nobis adiungere possimus. Præterea multos sagittarios, & funditores, vt illorum equitatui resistant. Item [*hostes*] nauium numero longè superandos [*censeo,*] vt res ad victum necessarias [*illuc*] faciliùs importemus. frumentum etiam, triticum inquam, & hordeum tostum, hinc nauibus onerariis [*eò*] conuehendum, & pistores ex pistrinis mercede conductos qui vicissim [*operam pistrino dare*] cogantur, [*adducendos censeo,*] vt, si quo in loco tempestatibus intercepti teneamur, exercitus res ad victum necessarias habeat. Cùm enim hic exercitus futurus sit ingens, [*eum*] non quælibet ciuitas excipere poterit. Cæterasque res pro viribus præparandas, neque nostræ salutis præsidium in aliorum auxilio collocandum [*censeo.*] In primis verò pecuniam quàm plurimā hinc afferendam. nam quæ ab Egestæis prædicatur illic in promptu esse, eam verbo tenus in promptu fore putetis. Nam si nos hinc discedamus cum exercitu, quem non solùm [*hostili*] parem præparauerimus (nisi bellicoso grauis armaturæ robori, quod habent) sed etiam cum eo, qui rebus omnibus longè sit instructior, [*quàm hostilis exercitus,*] tamen & sic vix illas quidem [*hostium res*] in nostram potestatem redigere, has verò [*sociorum, ac amicorum res*] conseruare poterimus. Existimandum autem est [*nostros milites in Siciliam*] proficisci, vt vrbem [*aliquam*] inter alienigenas, ac hostes [*in suam potestatem redigant, &*] sibi vendicent, quos primo die, quo [*ad*

insu-

insulam]appulerint,confestim agro potiri oportet: aut persuasum habere,nisi voti compotes fiant,fore vt omnia habeant hostilia. Quod ego formidãs, & compertum habens oportere nos [*de rebus istis*] sæpius,& rectè consultare,ac multo magis rem feliciter gerere (quod arduum est,quia sumus homines)ad hanc expeditionem proficisci volo, quam minimum memet fortunæ committens: sed [*firmissimo*] apparatu munitus,vt rationi consentaneũ videtur,[*hinc*] discedere [*volo.*] Hæc enim & vniuersæ Reipub. tutissima,& nobis ad militiam profecturis salutaria fore duco. Quòd si quis aliter sentit, huic ego magistratu,[*imperioq;*] cedo. Atq; Nicias quidem hæc dixit,sperans[*se*] vel rerũ multitudine, [*& apparatus magnitudine Athenienses*] de sententia deducturum, vel,si ad hanc expeditionẽ [*ipse*] proficisci cogeretur,sic saltem [*se*] tutò profecturum. Illi verò hanc huius expeditionis cupiditatem ex animis non expulerunt, quamuis tanti apparatus difficultas ipsis proponeretur: sed multo magis [*ad eam suscipiendam*] incitati sunt. Et res ipsi cessit aliter ac sperabat. Nam & [*ipse*] bonum consilium [*Reipub. tunc*] dedisse, & res hoc modo tutissima fore videbatur. Et nauigandi desiderium omnes pariter inuasit. Ac seniores quidem, quòd vel in suam potestatem se redacturos sperarent ea, ad quæ pergerent, vel [*saltem*] exercitum, qui tantus esset, nullam cladem accepturum. Illos verò, qui erant ætate [*integra, ac militari,*] quòd peregrinam regionem visere, & spectare cuperent, & bonam spem animo conciperent, fore vt [*domum*] incolumes, saluique reuerterentur. Ingens verò militum turba [*ad illam expeditionem proficisci cupiebat, sperans se*] & in præsentia pecuniam[*à ducibus*] accepturam, & imperium amplificaturam, vnde

perpetuum stipendium [*sibi*] suppeditaturum [*credebat.*] Quamobrem propter nimiam pluris habendi cupiditatem, si cui fortè [*res ista*] minus placebat, veritus ne [*cæteris*] refragando, Reipub. maleuolus, [*eiusq; commodis aduersarius*] esse videretur, silentium agebat. Tandem verò quidam ex Athenensibus [*in medium*] progressus, & Niciam adhortatus, dixit non oportere amplius [*eum*] tergiuersari, atque cunctari: sed in omnium conspectu iam declarare, quemnam apparatum ab Athenensibus sibi decerni vellet. Ille verò inuitus dixit se cum collegis per otium [*hac de re*] accuratius cõsultaturum. Quantum tamen iudicare poterat, nõ paucioribus, quàm centum triremibus in præsentia nauigandum [*censebat.*] Nauium autem Atticarum milites vehentium numerum [*tantum*] fore quantus [*ipsis Athenensibus*] videretur, aliasque [*præterea*] ex sociis accersendas [*dicebat, quæ reliquas copias veherent.*] Vniuersorum autem grauis armaturæ militum tam Athenensium, quàm sociorum numerum non minorem quidẽ, quàm quinq; millium, sed ampliorem etiam, si possent, [*mittendum censebat.*] Reliquum verò apparatum, pro exercitus magnitudine, & sagittariorum illinc, & ex Creta [*assumptorum*] funditorum, & siquid aliud opportunum esse videretur, [*se, suosq; collegas communiter*] præparaturos, & [*secum*] ducturos [*dicebat.*] Cùm autem Athenienses [*hæc*] audissent, cõfestim ipsis imperatoribus summam imperij potestatem facto decreto dederunt, vt arbitratu suo & de copiarum numero, & de vniuersæ nauigationis ratione transigerent, [*atq; statuerent,*] prout ipsis ex vsu Reipub. Athenensis maximè fore videretur. Post hæc autẽ hic apparatus parari cœpit. Et cùm ad socios mittebant [*nuntios, qui copias, & auxi-*

auxilium illorum accerſerent,] tum etiam ex ſuo ipſorum agro milites conſcribebant. Iam enim ciuitas & à morbo, & ab aſſiduo bello ſe recreauerat, ita vt & ciuium ætate militari præditorũ, poſt [*morbum*] natorum, numero floreret, & pecunia [*ex vectigalibus*] coacta abundaret, propter inducias. Quamobrem omnia facilius ſuppeditabantur. Atque hi quidem in [*hoc*] apparatu [*parando occupati*] erant. Interea verò quotquot lapidea Mercurij ſimulachra Athenis erant (ritu autem patrio multa cùm in priuatarum ædium veſtibulis, tum in templis erant, opus ex lapide quadrato) vna, eademq; nocte pleraque vultu circunciſa fuerunt. Cuius facinoris autores nullus ſciebat: ſed iſti magnis præmiis pro indicio publicè propoſitis quærebantur: præterea [*Athenienſes*] decreuerunt, [*ac edixerunt*] vt, ſi quis aliquod aliud piaculum admiſſum ſciret, quilibet, ſiue ciuis, ſiue peregrinus, ſiue ſeruus, [*hoc*] ſine timore indicaret. hoc autem facinus atrocius eſſe iudicabant. Huius enim expeditionis [*malum*] omen eſſe videbatur, ſimul etiam [*hoc* [per coniurationem factum fuiſſe [*videbatur,*] rerum nouandarum, ſtatusque popularis euertendi cauſa. A quibuſdam igitur inquilinis, & famulis, de Mercurij quidem ſimulachris nihil indicatum eſt: ſed de quibuſdam aliis ſtatuis ab adoleſcentibus per luſum, ac temulentiam iampridem conciſis, ſimul etiam de ſacris arcanis, quæ per contemptionem domi fiebant, [*indicia quædam ad Magiſtratus allata ſunt.*] In quorum numero Alcibiadem etiam ponentes accuſabant. Qui autem Alcibiadi maximè infenſi erant, quòd ipſis impedimento eſſet, quominus in adminiſtranda Repub. principem locum conſtanter obtinerent, hæc [*indicia, & crimina*] excipientes, & exiſtimantes, ſi eum expuliſſent, [*ſe*

Reipub.] principes futuros, [*rem*] exaggerabant, & vociferabantur, hæc ad popularis ſtatus euerſionẽ ſpectare, tum quòd illa myſtica, [*& arcana ſacra domi per Deorum contemptionem*] facta fuiſſent, tum etiam quòd Mercurij ſimulachra conciſa fuiſſent. Et nihil horum [*impiorum facinorum*] ſine illo factum eſſe [*dicebant:*] addentes argumenta, [*quibus probarent hoc facinus ab eo perpetratum*,] reliquã vitæ licentiam, qua in victu, cultuq; corporis præter patrium, & populare inſtitutum vtebatur. Ille verò & in præſentia aduerſus indicia ſe purgabat, & antequàm diſcederet, [*ad cauſam dicendam, &*] ad iudicium ſubeundum paratus erat, ſi quid horum admiſiſſet. (Iam enim quæ ad illum apparatũ ſpectabant, collata, [*& præparata*] erant) & ſi quid horum commiſiſſet, ad pœnas dandas [*erat paratus*:] ſin abſolutus fuiſſet, ad imperium gerendum, [*quod ipſi decretum fuerat.*] Et obteſtabatur ne de ſe abſente crimina reciperent: ſed iam, ſi deliquiſſet, morte mulctarent. Et ſapientius eſſe [*dicebat,*] ne ſe talis criminis reum, priuſquàm cauſam cognouiſſent, tanti exercitus imperatorem mitterent. Sed [*eius*] inimici, veriti ne, ſi iam certaret, [*ac iudicium ſubiret,*] exercitum [*ſibi*] beneuolum haberet, néve plebs eius habens rationem, [*eiq; morem gerens*] animo remiſſiore eſſet, [*ac languidius de ipſius cauſa cognoſceret,*] quòd propter ipſum & Argiui, & ex Mantineis nonnulli ad hanc expeditionem cum eo proficiſcerentur, [*hoc*] diſſuadebant, & [*ab hac iudicij in præſentia faciendi contentione, ſtudioq; populum Ath.*] deterrebant, ſubmiſſis aliis oratoribus, qui dicebant tunc quidem ipſi nauigandum eſſe, neque profectionem retardandam: ſed reuerſum, ad diem dictam iudicium ſubiturum. Volebant enim eum maiore cum inuidia, quam ipſi abſenti

facilius

faciliùs conflaturi erant, reuocatum, & reuersum, iudicio contendere. Quare placuit vt Alcibiades abiret. Postea verò æstate iam media classis portu soluens in Siciliam nauigare cœpit. Plerisque autem sociis, & onerariis nauibus commeatum vecturis, & [*aliis minoribus*] nauigiis, & quicunq; præterea apparatus comitabatur, antè præceptum fuerat, vt Corcyram conuenirent, vt illinc omnes simul Ionium [*mare*] ad Iapygiam promontorium transmitterent. Ipsi autem Athenienses, & si qui sociorum aderant, cùm ad dictam diem in Piræum descendissent, primo diluculo naues implere cœperunt, vt in altum ferrentur, [*& vela facerent.*] cum quibus vnâ descendit omnis (propè dixerim) turba, quæ in vrbe erat, tum ciuium, tum peregrinorum. Et ipsi quidem [*Atticæ*] regionis incolæ, vt suos quique prosequerentur, alij quidem, sodales; alij verò, cognatos; alij verò, filios. Et cum spe pariter ac lamentis [*eos prosequebantur*,] spe quidem, quòd res illas [*Siculas*] in suam potestatem redactum iri sperarent: lamentis verò, quòd dubitarent an vnquam [*amplius suos illuc euntes*] essent visuri: quia secum ipsi reputabant quàm procul ab [*agri*] sui finibus mitterentur. Et in præsentia, cùm alij alios cum periculis iam mutuò relicturi essent, pericula tunc in mentem ipsis magis veniebant, quam quum hanc expeditionem decernebant. veruntamen propter præsentem potentiam, & multitudinem rerum singularum, quas [*in hoc apparatu præparatas*] cernebant, [*harum*] spectaculo animos recolligebant, [*ac recreabantur.*] Peregrini verò, & cætera multitudo ad spectaculum perrexit, vt ad rem visu dignam, ac opinione maiorem. Hic enim [*huius classis*] apparatus, qui primus ex vna ciuitate cum Græcorum copiis profectus, est, sumptuosissi-

mus, atque magnificentissimus fuit omnium, qui ad illam diem [*ex Græcis ciuitatibus emissi fuerunt.*] Nam nauium, & grauis armaturæ militũ numero, & ille [*apparatus,*] qui cùm Pericle in agrum Epidaurium [*missus est,*] & [*alter,*] ille, qui cum Agnone ad Potidæam [*missus est,*] non erat inferior [*hoc apparatu.*] Nam [*in illo*] erant ex ipsis Athenienſibus quatuor millia militum grauiter armatorum, & trecenti equites, & centum triremes, & Lesbiorum, atque Chiorum quinquaginta, præterea multi socij ad eandem expeditionem cum illis proficiscebantur. Sed [*illi, Pericles, & Agnon*] in breuem, [*& exigui temporis*] expeditionem, & cum tenui apparatu profecti sunt. Sed hæc expeditio, quippe quòd diuturna futura esset, vtraq; ratione, vtra opus [*ei*] fuisset, & nauibus, simul & peditatu erat instructa. Et classis quidem magnis trierarchorum, & Reipub. sumptibus erat laboriosè parata. Nam Respub. quidem singulas drachmas singulis nautis quotidie dabat, & naues inanes, sexaginta quidem veloces, quadraginta verò ad grauis armaturæ milites vehendos suppeditarat. Trierarchi verò præstantissimos ministros his [*nauibus assignarant,*] & prẹter publicum stipendium etiam extraordinarium [*de suis priuatis fortunis*] dabant illis nautis, qui thranitæ vocantur, & [*præstantißimis quibusq; suarum nauium*] ministris. Et cæteris etiam in rebus [*suas naues*] signis, & artificiis, [*ac ornamentis*] sumptuosis instruxerant, & [*eorum*] vnus quisque summum studium [*ad hoc*] adhibuerat, vt sua nauis inter cæteras & aliquo decore, & celeritate longè præstaret. Peditatus verò conscriptus fuerat delectu accuratissimè habito, & [*delecti milites,*] magno studio inter se certauerãt armorum, & vestitus elegantia. Contigit autem vt simul & illi inter se certa-

certarent [*de illa re,*] quæ vni cuique fuerat assignata, & apud cæteros Græcos [*hoc*] potentiæ potius, ac magnarum opum ostentatio videretur, quàm aduersus hostem apparatus. Si quis enim rationem iniisset & sumptuum, quos ciuitas publicè & vnus quisque militum priuatim fecerat: [*computando*] tum ea, quæ ciuitas iam antè erogauerat, tum ea, quæ imperatoribus, quos [*ad hanc expeditionem*] mittebat, secum absportanda dederat: tum etiam ea, quæ vnus quisque priuatorum in corporis cultum, & Trierarchus in [*suam*] nauem [*iam*] impenderat, aut quæ præterea in posterum erat impensurus. Præterea ea, quę verisimile erat vnum quenque, præter publicum stipendium, præparasse viatici causa, quippe quòd ad diuturnam militiam iturus esset, item quæcunq; vel miles, vel mercator permutationis, [*aut negotiationis*] gratia secum tulit: [*is profectò*] per multorum talentorum summam ex vrbe [*tunc*] exportatam fuisse comperisset. Hæc igitur expeditio non minus ob admirandam audaciam, & spectaculi splendorem, quàm ob exercitus magnitudinem celebris fuit [*apud eos,*] aduersus quos [*ipsi Athenienses*] proficiscebantur: præterea, quòd hæc nauigatio ab [*agro*] domestico longissimè, & rerum adipiscendarum proposita spe longè maiori, quàm præsentes [*ipsorum*] opes ferrent, tunc suscepta fuisset. Quum autem naues [*viris*] impletæ fuerunt, omniaq; iam imposita, quæ secum erant laturi, tuba silentium indictum est, & ante profectionem, non in singulis nauibus: sed vniuersi per præconis vocem vota solennia nuncuparunt. Et crateras, [*vinumq; quod in illis erat,*] miscentes, in aureis, argenteisque poculis, cùm nauium defensores, tum [*ipsi*] duces libarunt. simul autem vota faciebat & cætera turba, quæ erat in

terra, tam ciuium, quàm aliorum etiam, si quis beneuolus ipsis aderat. Cùm autem pœana cecinissent, & libationes peregissent, è portu soluentes in altum vela fecerunt. Atque primum longa nauium serie, [*non exporrecta acie sed fronte*] nauigantes, iam ad Æginam vsque cursum certatim tenuerunt. Atque hi quidem Corcyram, quò & reliquus sociorum exercitus conueniebat, peruenire properabant. Syracusas verò ex variis quidem locis nuntij de infesto huius classis aduentu afferebantur: sed tamẽ diu nihil horum creditum est. Quin etiam conuocata concione, huiusmodi sententiæ dictæ fuerunt cùm ab aliis (quorum alij quidem, credebant [*vera esse,*] quæ de Athenienſium expeditione [*nuntiabantur,*] alij verò, contraria dicebant, [*neq; nuntios istos veros esse credebant.*]) tum etiam ab Hermocrate Hermonis [*filio,*] qui [*in medium*] progressus, quippe persuasum haberet se planè scire quæ de illis [*rebus ferebantur,*] ipsis hæc dixit, ac suasit.

HERMOCRATIS CONCIO.

Incredibilia quidem, quemadmodum & alij nũnulli, forsitan & ego apud vos de certissimo classis hostilis aduentu dicere videbor. Illud autẽ probè noui eos, qui vel dicunt, vel nuntiant res, quæ fidem superant, non solùm non persuadere: verum etiam amentes videri. Veruntamen, cùm Reipub. periculum impendeat, non [*idcirco*] deterritus, [*à sententia liberè dicenda, nunc*] abstinebo, quia persuasum habeo me aliquid exploratius dicturum, quàm quemuis alium, quòd hoc sciam. Athenienſes enim aduersus nos (id, quod vehementer admiramini) cum ingenti exercitu & nauali, & pedestri veniunt. Hoc quidem prætextu, vt Egestæis sociis auxilium

xilium ferant, & Leotinos in suas sedes restituant: sed re vera, Siciliæ, præcipuè verò nostræ vrbis [*in suam potestatem redigendæ*] cupiditate, existimantes, si hanc [*vrbem*] obtineant, [*se*] cæteras etiam [*Siciliæ partes, vrbesq;*] facilè obtenturos. Quoniam igitur [*Athenienses*] propediem [*huc*] sunt appulsuri, videte qua ratione pro viribus, [*opibusq; vestris*] ipsos honestissimè propulsaturi sitis, & [*cauete*] ne per [*hostium*] contemptionem, [*ab ipsis*] imparati opprimamini, néve, [*rumoribus, ac nuntiis allatis*] fidem non habentes, rerum summam negligatis. Quòd si cui etiam res credibiles [*dicere videbor,*] illorum audaciam, ac potentiam [*is*] ne reformidet. nam nõ magis nos lædere, quàm à nobis lædi poterunt. Quòd autem cum magna classe [*contra nos*] veniunt [*hoc modo nobis*] non inutiles [*erunt.*] Imò verò etiam apud cæteros Siciliẽses [*hoc nobis erit*] longè melius, [*ac vtilius.*] facilius enim [*illorum aduentu*] territi se nobis socios [*ad illos propulsandos*] adiungere volent. Et si fortè vel subegerimus ipsos, vel ea, quæ cupiunt, non adeptos repulerimus (non enim vereor ne consequantur quod expectant) præclarissimi facinoris gloria nobis continget, neque, mihi saltem, [*de felici rerum successu*] desperandũ [*videtur.*] Paucæ enim aut Græcorum, aut barbarorum magnæ classes, procul ab [*agro*] domestico profectæ, rem feliciter gesserunt. Nam neque veniunt numero superiores [*huius loci*] incolis, & vicinis (omnes enim præ metu congregabuntur, [*& hostem conspiratione facta communiter propulsabunt :*]) & si propter inopiam rerum [*ad victum*] necessariarum, in alieno solo rem malè gesserint, quamuis ipsimet magna ex parte sibi cladem inuexerint, tamen nomen, [*& victoriæ gloriam*] illis relinquent, quibus insidiati fuerint. Qua ratione etiam hi ipsi Athenæ-

enſes creuerunt, [*ac imperium ſuum auxerunt,*] quòd Medus præter opinionem [*ſuam*] ſæpius offenderit, [*variasq; clades acceperit,*] dum prædicaret ſe vnam ciuitatem, Athenas videlicet, bello petere. Cui rei ſimile quiddam nobis etiam euenturum non eſt deſperandum. Confidenter igitur & res in hoc ipſo loco præparemus, & [*nuntiis*] ad Siculos miſſis, hos quidem, [*priſtinos amicos, ſociosq;*] magis confirmemus, cum aliis verò [*nouam*] amicitiam, atque ſocietatem inire conemur. Et in reliquas Siciliæ partes legatos mittamus, & hoc periculum commune eſſe demonſtremus, & in Italiam, vt aut [*illius incolæ*] ſocietatem nobiſcum faciant, aut [*ſaltem*] ne recipiant Athenienſes. Exiſtimo autem ſatius eſſe Carthaginem etiam [*legatos*] mittere. Nam ne ipſis quidem [*Carthaginienſibus de communi periculo*] eſt dubitandum: ſed in perpetuo metu degunt, nequando Athenienſes contra ſuam vrbem veniant. Quamobrem fortaſſe exiſtimantes, ſi res iſtas neglexerint, ſe quoque laboraturos, [*& in idem periculum venturos,*] aut clàm, aut palàm, aut quouis alio modo nobis opem ferre volent. Et profectò, ſi [*nobis opem ferre*] velint, [*hoc facere*] poterunt vel maximè omnium, qui nunc [*rerum potiuntur.*] nam maximam auri, argentiq́ue vim poſſident, vnde & bellum, & cætera commodè adminiſtrantur. Lacedæmonem etiam, & Corinthum [*legatos*] mittamus ac oremus, vt celeriter auxilium huc mittant, & bellum illic [*aduerſus Athenienſes*] moueant. Quod autem ego maximè opportunum arbitror, & [*quod*] vos propter ſolitam deſidiã minimè celeriter probabitis, tamen [*à me*] dicetur. Si enim vniuerſi Sicilienſes, ſin minus, quàm plurimi nobiſcũ, omnẽ præſentem claſſem cum duorum menſium cibariis deducere velimus, & Athenienſibus ad Tarentum,

& ad

& ad Iapygiam promontorium occurrere, ipsisq; demonstrare non de Sicilia prius [*ipsis*] certamen fore, quàm de Ionio mari ab ipsis traiiciẽdo, ipsos maximè terrebimus, & cogemus [*ipsos hoc*] considerare, nos quidem ex [*agro*] amico, regionis [*nostræ*] custodes, [*vt hostem ab ea propulsemus*,] proficiscì (Tarentum enim nos excipiet) ipsis verò cum toto [*classis*] apparatu pelagus ingens esse transeundum, & propter nauigationis longitudinem difficile esse ordinem seruare. nobis verò facile fore [*ipsorum classem*] lentè nauigantem, & ordine, [*nec frequentem*] contra [*nos*] venientem inuadere. Quòd si cum ea parte classis, quæ celeritate præstat, nauibus exoneratis, atque confertis [*nos*] adoriantur, & remis vtantur, [*ipsos remigio iam*] defessos aggrediemur. sin [*eos inuadere*] non placuerit, Tarentum etiam nos recipere nobis licebit. Illi verò, si cum exiguo commeatu, tanquam ad nauale prœlium, mare transierint, [*profectò commeatus*] inopia laborabunt in locis desertis, &, aut [*in iis*] manentes obsidebuntur, aut præteruehi conantes, & cæterum apparatum relinquent, & incerti an aliquæ ciuitates [*suam classem*] sint recepturæ, animis cõsternabuntur. Quamobrem egò saltem arbitror eos hac ratiocinatione [*à nobis bello petendis*] deterritos, ne soluturos quidem ex [*insula*] Corcyra: sed aut, dum [*ibi*] consultabunt, & dum mittent qui explorent quot numero simus, & quo in loco, [*ipsorum aduentum*] anni tempestate in hyemen extractum iri, aut [*ipsos*] inopinata re perculsos nauigationem desituros, [*nec vlterius progressuros.*] Præcipuè verò quòd (quantum ego audio (peritissimus [*illorum*] dux [*exercitum*] inuitus ducat, & lubenter occasionem sit arrepturus, si quæ copiæ pares ad resistendum à nobis ostendantur. Illud autem cer-

tò scio rumorem de nostris viribus, vt longè maioribus, [*quàm re vera sint,*] emanaturum. Quales autem sunt ipsi rumores, qui circunferuntur, tales etiam sunt hominum opiniones, & [*homines*] magis horrent eos, qui priores [*ex improuiso hostem*] inuadunt, quàm eos, qui maturè [*hostibus*] aggressuris significant se ad vim [*ipsorum*] propulsandam paratos esse, quòd [*eos*] in pari discrimine futuros putent. Id, quod Athenienſibus nunc accidet. Nos enim vt non repugnaturos inuadunt, meritò [*nos*] contemnentes, quòd ipsos cum Lacedæmoniis coniuncti non profligarimus. Quòd si præter [*suam*] opinionem nos audere viderint, hoc inopinato [*nostro conatu*] magis terrebuntur, quàm vero nostræ potentiæ apparatu. Mihi igitur assentiamini, potissimùm quidem audentes hæc, [[*quæ vobis suadeo,*] sin minus, [*hac saltem in re meam sententiam sequamini,*] vt cæteras res ad bellum necessarias primo quoq; tempore præparetis. Cuilibet autem [*vestrum hoc*] in mentem venire [*oportet,*"] contemptionem quidem [*hostium*] inuadentium, in ipso prœliorum ardore, dum fortiter certatur, demonstrari: illud verò maximam vtilitatem [*nobis*] allaturum, si iam, [*antequàm hostes huc appellant,*] cum metu, tutissimos apparatus præparemus, ita vt eos periculosos existimemus, [*nostrisq; viribus diffidentes, aduersus vim hostilem nos meliùs, tutiusq; muniamus, ne præter expectationem imparati opprimamur.*] Nam hostes & contra [*nos*] veniunt, & in ipso itinere (quòd probè scio) iam sunt, quinetiam propemodum [*iam*] adsunt. Atque Hermocrates quidem hæc dixit. At inter Syracusanos, qui in vrbe erant, ingens altercatio exorta est, quòd alij quidem, Athenienses nullo modo venturos dicerēt, & quæ [*Hermocrates*] dixerat, vera esse negarent. alij verò, dicerent, quid nobis;

bis facient, [*quodnám adeò magnum damnum nobis dabunt*,] quin & ipsi vicissim [*aliud hoc ipsò*] grauius à nobis sint accepturi? Quinetiam alij rem istã prorsus contemnebant, & in risum conuertebant. Pauci verò erant, qui Hermocrati fidem haberent, & futurum [*rerum euentum, ac periculum immmnens*] formidarent. Athenagoras autem, qui populi princeps, & tunc temporis propter popularem facundiam, apud plebem gratiosissimus erat, [*in medium*] progressus hæc ipsis dixit:

ATHENAGORAE CONCIO.

Quisquis non cupit, Athenienses eò dementiæ progredi, vt huc profecti, in nostram potestatem redigantur, is aut timidus est, aut Reipub. non beneuolus. Illorum verò, qui res huiusmodi nuntiãt, magnumque metum vobis incutiunt, audaciam quidem non miror: sed imprudentiam [*miror:*] si sua consilia, [*doloséq;*] non patêre putant. Qui enim priuatim aliquid formidant, Rempub. in magno timore constituere volunt, vt publico metu suum occultent. & nunc isti rumores eò spectant. neque [*enim*] sua sponte, [*casuq; dissem inantur*:] sed ab hominibus componuntur, [*& consultò sparguntur*,] qui semper tales motus moliuntur. Vos verò, si rectè consultaueritis, non ex rerum, quas isti nuntiant, consideratione, deliberabitis de rebus, quas facere decet: sed ex iis, quæ viri prudentes, & multarum rerum periti (quales ego Athenienses esse puto) facerent. Non est enim credibile ipsos Peloponnesiis relictis, belloque nondum illic planè finito, ad alterum bellum [*illo*] non minus vltrò venire. Siquidem ego existimo ipsos putare secum præclarè agi, quòd nos, qui tot, atque tam magnas ciuitates habemus, bellum ipsis non inferamus. Quinetiam

si venerint (vt fertur) existimo Siciliam plus virium habituram ad eos debellandos, quàm Peloponnesum, quo est omnis generis apparatu instructior, [*quàm Peloponnesus:*] nostramque ciuitatem solam, hoc exercitu, qui (vt [*isti*] dicunt) nunc contra [*nos*] venit, atque adeò bis tanto, longè superiorem esse [*duco.*] quippe quòd sciam ipsos nullũ equitatum secũ adducturos, qui [*copias ipsorum*] sequatur, neq; ex hac ipsa regione cõparaturos, nisi perexiguum quendam ab Egestæis, neque grauis armaturæ militum numerum nostro parem, quia nauibus vehentur. Arduum enim fuerit vel solis nauibus expeditis, [*nullasq; copias vehentibus*,] tantum nauigationis cursum huc [*vsq;*] conficere, & cæterum apparatum [*ferre,*] quantum aduersus tantam ciuitatem suppetere oportet, qui [*profectò*] paruus esse non debet. [*Quamobrem*] ab hac [*istorum, qui rumores istos disseminant,*] opinione ego adeò dissentio, vt, si Athenienses aliam vrbem tantam, quantæ sunt Syracusæ, [*in Sicilia*] obtinerent, & contra [*nos illinc*] venirent, & [*vrbem Syracusis*] finitimam incolerent, & [*ex ea prodeuntes, nobis*] bellum facerent, vix totius exercitus internecionem vitare posse videantur. Iam verò multo minus [*hanc vitare poterunt*] si tota Sicilia sit ipsorum hostis. Nam [*illorum exercitus*] in castris, quæ ex nauibus fient, consistet, [*& se continebit,*] & [*illorum milites*] ex paruis tabernaculis, & apparatu necessario, non longè, [*lateq;*] prodeuntes [*vagabuntur,*] à nostris equitibus [*prohibiti.*] In summa ne terra quidem ipsos potituros puto. Adeò nostrum apparatum [*hostili*] præstantiorem duco. Quamobrem Athenienses, quòd hæc, quæ ego dico, cognoscant, res suas (quod probè noui) conseruant, & quidam huius ciuitatis homines, ea, quæ neque sunt, neque futura sunt, comminis-

miniſcuntur, [*& ſpargunt:*] quos ego non nunc primùm: ſed ſemper ſcio, huiuſcemodi rumoribus, quinetiam aliis, qui ſunt iſtis longè maligniores, vel factis, veſtræ multitudini terrore incuſſo, ipſos ciuitatis imperio potiri velle. Vereor autem ne ſæpius [*idem*] conantes, hoc etiam aliquando conſequantur. Nos verò ignaui ſumus tum ad præcauendas iſtorum inſidias, antequàm [*ab ipſis*] opprimamur, tum ad ſumendũ de iſtis ſupplicium, poſtquàm ipſorum inſidias cognouimus. His autem de cauſis noſtra ciuitas rarò quidem quieſcit, ſæpe verò ſeditione laborat, & longè plura certamina contra ſuos ipſius ciues, quàm contra hoſtes ſuſcipit, quinetiam interdum tyrannidem, ac iniquum dominatum [*ſuſtinet, ac pati cogitur.*] Quarum rerum (ſi modò vos meam ſententiam ſequi velitis) ego nullam vnquam noſtra ætate fieri ſinam veſtram quidem multitudinem verbis in meam ſententiam adducens, de illis verò, qui talia machinantur, ſupplicium ſumens, non ſolùm in ipſo facinore deprehenſis (arduum enim fuerit ipſos deprehẽdere) ſed etiam ob ea, quæ volunt quidem [*peragere:*] ſed tamen non poſſunt. Hoſtis enim non ſolùm pro maleficiis: ſed etiam pro conſiliis eſt prius vlciſcendus, [*quàm nos opprimat,*] ſi modò quis illius inſidias ita præcauere poſſit, vt ab eo prior non opprimatur. Paucos verò, contrà, partim quidem, [*vt hoſtes in facinore deprehenſos,*] coarguens, partim verò, obſeruãs, [*& cauens ne detrimentum Reipub. dent,*] partim etiam, [*vt ciues officij ſui monens, ac*] docens. Sic enim potiſſimùm exiſtimo fore, vt [*hos*] à maleficio deterream. Sed agite (quod ſæpe mecum ipſe conſideraui) quidnám vultis adoleſcentes? vtrum rerum potiri, [*& Rempub. adminiſtrare?*] at [*hoc*] non eſt legitimum. Lex enim, [*quæ vetat ne iuniores impe-*

rium, ac magistratus gerant,] lata potius est, quòd [*iuniores imperium, ac magistratus gerere*] nequeãt, quàm vt [*eos*] ignominia afficiat, [*& ab honoribus adipiscendis repellat*,] quum [*per ætatem, præturam gerere, & Rempub. administrare*] possunt. An verò [*vultis*] non pari iure cum plebe viuere? At quo pacto iustum fuerit eosdem [*eiusdem ciuitatis ciues, quos eodem iure præditos esse oportet*,] non iisdem [*honoribus, nec eodem iure*] dignos censeri? [*Sed fortasse*] dixerit quis, popularem statum rem esse neque consultam, neque æquabilem: sed eos, qui magnam pecuniæ vim possident, optimos etiam esse ad optimè imperandum. Ego verò respondeo, primùm quidem, vniuersam Rempub. populi, [*status q. popularis, qui δημοκρατία vocatur,*] nomen obtinuisse: ὀλιγαρχίαν verò, [*& pauros, qui propter suas opes, rerum potiuntur, & Rempub. administrant, Reipub. esse*] partem. Deinde [*verò,*] locupletes quidem, pecuniarum [*priuatarum, quas habent,*] optimos esse custodes, sed [*viros*] prudentes, præstantissimos esse consultores: multitudinem verò, postquàm [*res propositas*] audierit, optimum esse iudicem. Atque hos ciuium diuersos ordines & per partes, & simul vniuersos in statu populari iuris æquabilitate frui. Sed paucorum dominatus pericula quidem multitudini impertit, commodorum verò non solùm maiorem partem habet: verùm etiam vniuersa, [*sua portione cæteris*] erepta, retinet, [*sibiq. vendicat.*] Quas res illi, qui inter vos sunt & potẽtes, & iuuenes, obtinere studeant: quas [*tamen*] in ampla, [*liberaq.*] ciuitate non poterunt [*obtinere.*] Sed nunc etiam omnium estis stultissimi, nisi animaduertitis vos rem perniciosam affectare, aut omnium Græcorũ, quos ego noui, [*estis*] imperitissimi, aut iniustissimi, si, cùm [*hoc*] sciatis, [*hoc tamen*] audetis. Verùm aut [*à me*] edocti, aut

mutata

mutata ſententia, quod ad vniuerſæ Reipub. bonum ſpectat, id augeatis, ſperantes fore, vt illi, qui de vobis boni [*ſunt ciues,*] horum Reipub. commodorum parem, atque [*adeò*] maiorem partem obtineant, quàm [*cætera*] Reipub. multitudo. Quòd ſi alia [*his maiora*] affectaritis, [*ſciatis*] vos in periculum venturos, ne & rebus omnibus priuemini. Quamobrem huiuſmodi nuntios, [*ac rumores*] miſſos faciatis, quia [*veſtra conſilia conatuſq;*] præſenſimus, neque [*vos hæc ad exitum perducere*] ſinemus. Hæc enim ciuitas, vt etiam veniant Athenienſes, ipſos [*tamen*] pro ſua dignitate propulſabit. Sunt autem nobis imperatores, qui hæc videbunt, [*& inquirent vtrum vera ſint, an falſa, quæ nũtiantur.*] Quòd ſi nihil horum verum fuerit (prout ego ſuſpicor) nequaquam veſtris nuntiis exterrita [*ciuitas,*] vobisque ducibus electis, ſua ſponte [*ſibi*] ſeruitutis iugum imponet. Sed ipſa per ſe, [*libereq;*] conſultãs, & de rumoribus, quos vos [*ipſi*] diſſeminatis, quaſi idem valeant ac [*ipſa*] facta, quæſtionem habebit, & præſentem libertatem non propter rumores, quos [*à vobis ſparſos*] audit, amittet: ſed factis ita ſibi cauens, vt non permittat [*vobis ea peragere, quæ cupitis,*] conſeruare conabitur. Atque Athenagoras hæc dixit. Tunc autem vnus è ducibus ſurgens, nullum quidẽ alium ad dicendũ prodire paſſus eſt: ſed ipſe pro preſenti rerũ ſtatu hęc verba fecit: Obtrectationes quidẽ vel ab aliis in alios mutuò proferri, vel ab audientibus admitti, nequaquã eſt prudẽtiæ. ſed potius pro rebus, quæ nuntiantur, [*oportet*] videre, quanã ratione cùm priuatim, tum publicè ex [*noſtræ ciuitatis*] dignitate nos inſtruamus ad eos propulſandos, qui contra [*nos*] veniunt. Et, ſi fortè nihil opus fuerit, nulla iactura fiet, ſi Reſpub. inſtruatur & equis, & armis, & cæteris [*rebus,*] quibus bellum

exultat, [*& quæ ad bellum gerendum sunt necessariæ.*] Nos verò istarum curam geremus, easque recensebimus, simul etiam [*curabimus,*] vt ad ciuitates quoquouersum mittantur, qui & explorent [*hostium aduentum, & consilium,*] & [*agant*] si quid aliud commodum esse videatur. Sunt etiam quæ iam curauimus, & quicquid senserimus, id ad vos referemus. Atque Syracusani quidem, cùm dux iste hæc verba fecisset, ex concilio discesserunt. Athenienses verò, cùm ipsi, tum eorum socij omnes apud Corcyram iam erant. Atque primùm quidem [*ipsorum*] duces copias iterum recensuerunt, & instruxerunt, eo ordine, quo portum capturi, castraque posituri erant. & classe in tres partes distributa, in singulis sortitionem fecerunt, [*singulisq; partibus ducem sortitò præfecerunt,*] ne in altum nauigantes, aquæ, & portuum, & rerum ad victum necessariarum, in diuersoriis, ad quæ appellerent, inopia laborarent, vtque cæteris etiam in [*rebus milites*] aptiùs instructi essent, & à ducibus faciliùs regi possent, in [*singulis illis tribus*] agminibus attributi suo quique duci. Deinde verò præmiserunt & in Italiam, & in Siciliam tres naues, vt explorarent quænam ciuitates se essent recepturæ. ipsisque præceptum fuerat, vt [*classi*] occurrerent, vt [*duces ab ipsis*] certiores facti [*ad illas ciuitates*] appellerent. Posthæc Athenienses, iam cum tanto apparatu è Corcyra soluentes, in Siciliam traiicere cœperunt, cum triremibus numero centum, & triginta quatuor, & duabus Rhodiis nauibus, quæ quinquaginta remis agebantur. Harum autem [*triremium*] erant Atticæ centum, quarum sexaginta quidem [*erant*] veloces, cæteræ verò, [*tardiores erant, quia*] milites vehebant. reliqua verò classis [*erat*] Chiorum, & cæterorum sociorum. Vniuersi autem grauis armaturæ

turæ milites, [*qui in his triremibus, nauibusq; vehebantur*,] erant quinque millia, & centum [*præterea.*] (Atque inter hos, ex ipsis quidem Athenienſibus erant mille, & quingenti legionarij milites, & ſeptingenti famuli, nauium defenſores. Cæteri verò ſocij, qui cum ipſis ad hanc militiam proficiſcebantur, partim quidem, erant ex populis ipſorum imperio ſubiectis; partim verò, ex Argiuis, quingenti, & ex Mantineis, atque mercenariis, ducenti & quinquaginta.) Vniuerſi verò ſagittarij, quadringenti, & octoginta (quorum Cretenſes erant octoginta) & Rhodiorum funditores ſeptingenti, & Megarenſium exulum leuiter armatorum centum viginti. Erat & vna hippagoga, quæ triginta equites vehebat. Primus [*igitur, Athenienſium*] apparatus, qui ad bellum [*Siculis inferendum, in Siciliam tunc*] traiecit, tantus fuit. Hos autem [*ſequebantur*] triginta onerariæ naues, quæ commeatum, & res exercitui neceſſarias vehebant, & quæ piſtores, & lapidum ſtructores, & fabros, omniaq; inſtrumenta, quæ ad munitiones extruendas erant neceſſaria, portabant. Item centum nauigia, quæ naues onerarias vi neceſſitatis coacta comitabantur, multa etiam alia nauigia, & naues onerariæ ſimul nauigantes exercitum vltro negotiationis cauſa ſequebantur. Quæ omnes [*tam minores, quàm maiores naues*] è Corcyra tunc [*ſoluentes,*] ſinum Ioniũ ſimul transmiſerunt. Totiusq; [*claſſis*] apparatus, partim ad promontorium Iapygiam, partim Tarentum appulſus, partim etiam [*alio,*] prout cuique facultas [*ad aliquem locum appellendi*] data eſt, oram Italiæ legentes præteruehebantur, & ciuitates nec ad mercatum ipſos admittebant, nec in vrbem recipiebant: ſed aquæ [*tantùm,*] & ſtationis vſu eos adiuuabant. Tarentum verò, Locriq; ne

his quidem [*rebus eos adiuuare voluerunt*:] donec ad Rhegium, Italiæ promontorium peruenerunt, atque hîc iam congregabantur: & extra vrbé (quia [*Rhegini*] ipsos intra muros non recipiebant) castra fecerunt ad Dianæ templum, vbi etiam [*Rhegini*] mercatum ipsis præbebant. Subductisque nauibus quieuerunt. Et apud Rheginos verba fecerunt, postulantes vt [*ipsi,*] qui Chalcidenses essent, Leontinis, qui [*& ipsi*] Chalcidenses essent, auxilium ferrent. Rhegini verò dixerunt se neutris affuturos: sed quicquid cæteris Italis communiter placeret, id esse facturos. Isti verò animum ad res Siculas conuerterunt considerantes quanám ratione in illis optimè se gererent. Simul etiam præcursorias naues ab Egesta præstolabantur, quia scire cupiebant, an [*illic*] ea esset pecunia, quam [*Egestæorum*] legati Athenis prædicassent. Interea verò Syracusanis cùm ex multis aliis locis, tum etiam ab exploratoribus iam certò nuntiabatur, naues [*hostium*] ad Rhegium esse, & propterea omni studio se præparabant, nec amplius [*de hostium aduentu*] dubitabant. & ad Siculos mittebant quoquo versus, ad hos quidem, præsidia; ad illos verò, legationes. Et in castella, quæ in in regione circuncirca erant, præsidia immittebant. Et quæ intra vrbem erant, an absoluta, [*& integra*] essent, explorabant, recensentes arma, & equos, & cætera constituebant, vt imminenti, & propemodum iam præsenti bello. Illæ verò tres præcursoriæ naues ab Egesta ad Athenienses, ad Rhegium aduenerunt, & renuntiarunt cæteram quidem pecuniam, quam [*Egestæi*] promiserant, non extare: sed tantùm triginta talenta apparere. Confestim autem duces, animos desponere cœperunt, quòd hocipsis initiò præter expectationem incommodè cecidisset, quòdq;

Rhegini

Rhegini [*ipsis restitissent,*] vnâ secum militare recusantes, quibus primis suadere cœperant, [*vt ad istam militiam secum venirent,*] & maximè credibile videbatur, [*eos cum Athenienſibus ad hanc expeditionem ituros,*] quòd essent Leontinorum cognati, & ipsorum semper studioſi [*fuissent.*] Atque Niciæ quidem hæc, prout expectauerat, ab Egestæis cõtigerunt, duobus verò reliquis [*ducibus*] vel maximè præter opinionem. Egestæi enim huiusmodi fraudem excogitarunt tunc, quum primi Athenienſium legati eos adierunt ad explorãda [*ipsorum*] pecunias. Illis enim adductis in Veneris fanum, quod est in Eryce, ostenderunt donaria, phialas, trullas, thuribula, cæteramq; non paucam supellectilem. quæ, quòd essent argentea, longè maiorem solidæ opulentiæ speciem præbebant, [*quam re ipsa valebant,*] quòd essent parui pretij. Quinetiam priuatim exceptis hoſpitio illis, qui triremibus [*ad eos*] aduecti fuerant, cùm ex ipsa Egesta [*omnia*] tum aurea, tum argentea pocula collecta, tum etiam ex vicinis tam Phœnicum, quàm Græcorum vrbibus corrogata, [*& mutuo accepta,*] in conuiuiis vt suam quique domesticam supellectilem exhibuerant. Cùm autem omnes [*conuiuatores*] iisdem [*poculis, vasisq;*] plerunque vterentur, & multa vbique conſpicerentur, ingentem stuporem, [*ac admirationem hæc*] afferebant Athenienſibus, qui triremibus [*ad eos*] aduecti fuerant. Quare Athenas reuersi diuulgarant se magnam pecuniæ vim conſpexisse. Atque illi quidem, qui cùm ipsi decepti fuerant, tum etiam aliis tunc [*hoc*] persuaserant, postquàm hic rumor dimanauit, pecunias illas, [*quæ promissæ fuerant,*] Egestæ non esse, grauiter à militibus accusabantur. Duces autẽ pro præsenti rerum statu consultare cœperunt. Et Niciæ

quidem ſententia [*hæc*] erat, vt cum omnibus copiis aduerſus Selinuntem nauigaretur, cuius rei cauſa potiſſimùm miſſi fuiſſent. Et, ſi quidem Egeſtæi pecunias [*ſtipendij cauſa*] vniuerſo exercitui ſuppeditarent, pro pecuniæ ſumma conſilium caperetur. ſin minus, ab ipſis poſtularetur, vt ſexaginta nauibus, quas [*ipſi*] petiiſſent, cibaria ſuppeditarent, atque [*ſic Athenienſes ibi*] permanerent, donec Selinuntios ipſis [*Egeſtæis*] vel vi, vel pactione reconciliaſſent, & ita cæteras ciuitates obirent, & vbi Athenienſis Reipub. potentiam [*ipſis*] oſtendiſſent, & [*ſuum*] in amicos, ſociosque ſtudium demonſtraſſent, domum redirent, (niſi fortè breui [*temporis ſpatio*,] & ex inopinato aliqua facultas offeretur, qua oblata vel Leontinos iuuare, vel aliquam aliarum ciuitatũ [*ſibi*] adiungere poſſent,) neque ſuas quique facultates Reipub. cauſa conſumentes, [*Rempub.*] in periculum adduceret. Alcibiades verò dicebat non oportere [*ſe*] cum tàntis copiis [*Athenis*] emiſſos, turpiter, ac infecto negotio abire: ſed ad omnes ciuitates, præter Selinuntem, & Syracuſas, legatos mittere, & operam dare, vt & Siculos, partim quidem, ad defectionem à Syracuſanis faciendam ſolicitarent, partim verò, amicos [*ſibi*] facerent, vt & commeatum, & copias haberent [*ab illis ſuppeditatas, quorum amicitiam ſibi conciliaſſent.*] Ac primùm quidem Meſſanenſes [*ad amicitiam ſecum ineundam*] adducendos [*cenſebat.*] (ipſos enim potiſſimùm in traiectu, & opportuno loco, quò ad Siciliam appelli poſſet, ſitos eſſe [*dicebat,*]) & portum, atque ſtationem, quæ copias, [*claſſemq;*] commodiſſimè caperet, [*illic*] fore [*demonſtrabat.*] Ciuitatibus autem in amicitiam adductis, vbi noſſent quos belli ſocios eſſent habituri, ita demum

Syracu-

Syracusas, & Selinuntem aggrediendas [*censebat:*] nisi hi quidem, compositionem, [*pacemq;*] cum Egestæis facerent, illi verò, Leontinos in suas pristinas sedes redire sinerent. Lamachus verò palàm dicebat aduersus Syracusas nauigandum esse, & primo quoque tempore prœlium ad vrbem committendum, dum [*Syracusani*] adhuc imparati essent, & maximè perterriti. Omnem enim exercitum principiò maximũ terrorem [*hostibus*] afferre: sed si moram interponat, antequàm in [*ipsorum*] conspectum veniat, homines ex pauore se colligentes, & [*ipsum*] cernentes, magis contemnare. sed si repentè [*Syracusanos*] inuaserint, dum adhuc metu perculsi [*hostem*] expectarent, [*affirmabat*] se superiores [*illis*] facilimè futuros, omnibusque rebus, terrorem [*illis*] incussuros, tum aspectu (plurimos enim tunc visum iri) tum expectatione cladium, quas essent accepturi, præcipuè verò subito prœlij [*committendi*] periculo. Verisimile autem esse in agris etiam multos extra [*vrbem*] intercipi posse, quòd minimè crederent se venturos. Quòd si isti [*ex agris in vrbem*] se reciperent, exercitum, si victor vrbem obsideret, satis pecuniarum, [*atque satis commeatus*] habiturum. Prętera reliquos Sicilienses sic iã & illorum societatẽ faciliùs deserturos, & ad se transituros, minimeq; cunctaturos, circunspicientes vtri victores essent futuri. Sibi autem [*ab vrbis obsidione*] reuersis, & ad portũ appulsis, nauium stationes obtinẽdas ad Megara, quæ deserta essent, & à Syracusis mari, terraque parum distarent. Lamachus autem, quamuis hæc dixisset, tamen & ipse in Alcibiadis sententiam iuit. Postea verò Alcibiades, cùm sua naui Messanam traiecisset, & de societate [*secum ineunda,*] apud Messanenses verba fecisset, neque [*rem ipsis*] persuadere potuisset: sed

[*illi*] respondissent, in vrbem quidem se nequaquã recepturos [*Athenienſium copias*:] forum tamen rerum venalium [*ipſis*] præbituros, ad Rhegium rediit. Duces autem, cùm ex omni [*nauium*] numero sexaginta naues confestim [*militibus*] impleuissent, & [*commeatus, atq; cæteras ad bellum*] necessarias res assumpsissent, reliquo exercitu cum vno de suis [*collegis*] ad Rhegium relicto, classe præteruecti ad Naxum iuerunt. Cùm autem Naxij [*eos*] in vrbem recepissent, [*illinc*] oram legentes ad Catanam nauigarunt. sed cùm Catanæi ipsos [*in vrbem*] non recepissent, (illic enim aderant quidam, qui Syracusanorum partibus fauebant) in flumen Teriam delati sunt. Cùm autem [*illic*] pernoctassent, postero die Syracusas versus nauigarunt, agmine longo cæteris nauibus instructis. Decem verò naues præmiserunt in magnum [*Syracusarum*] portum, vt & [*illuc*] nauigarent, & explorarent si quid nauium [*à Syracusanis*] deductum esset, vtque [*ad vrbem*] accedentes, ex nauibus per præconis vocem [*ipsis*] significarent Athenienses venire, vt Leontinos in suas pristinas sedes restituerent, propter societatis, atque cognationis ius. Leontinis igitur, quotquot Syracusis essent, [*dicerent,*] vt intrepidè transirent ad Athenienses, vt ad amicos, & [*de ipsis*] bene meritos. Postquàm autem per præconis vocẽ [*hoc ipsis*] denuntiatum est, postquàm etiam vrbis, portuumque situm, omnemque circuncirca regionẽ, vnde ipsis ad bellum [*hostibus*] faciendum prodeundum esset, contemplati sunt, rursus Catanam redierunt. Catanæi verò conuocata concione, copias quidem [*in vrbem*] non receperunt, sed duces ingressos dicere iusserunt siquid vellent. Cùm autem Alcibiades [*apud ipsos*] orationem haberet, & oppidani [*animis, oculisq;*] in illam concionem essent con-

conuersi, milites [*Athenienses*] quandam [*vrbis*] portulam malè obstructam [*nacti,*] clam [*custoditibus*] diruta ædificij materia aperuerunt. Et in vrbem ingressi, [*res sibi necessarias*] mercabantur. Catanæi verò, qui cum Syracusanis sentiebant, cùm exercitũ in vrbe animaduertissent, confestim terrore perculsi, quorum numerus non magnus erat, clàm profugerunt. Cæteri verò decreuerunt societatem cum Athenienſibus faciendam, & reliquum exercitum à Rhegio acciri iusserunt. Postea verò Athenienses ad Rhegium reuersi, iam cum omnibus copiis [*inde*] soluentes Catanam [*appulerunt, &*] postquã [*eò*] peruenerunt, [*ibi*] castra fecerunt. Ad ipsos autem nuntij Camarina afferebantur, si [*illuc*] proficiscerentur, [*Camarinæos*] deditionem facturos, & Syracusanos classem instruere. Primùm igitur cum omnibus copiis aduersus Syracusas profecti sunt. Et cùm nullam classem [*ab illis*] instrui comperissent, rursus Camarinam versus, oram legentes se receperunt, & ad [*Camarinæorum*] littus appulsi, caduceatorem miserunt, [*per quem eos rogarent, vt se reciperent.*] Illi verò eos non receperunt, dicentes se iurisiurandi religione obstrictos esse, vt Athenienses cum vna [*tantùm*] naui [*ad suum littus*] appellentes reciperent, nisi ipsi plures [*ab illis*] accersissent. Quamobrem [*Athenienses*] re infecta discesserunt. Cùm autem exscensum è nauibus in quandam [*agri*] Syracusani partem fecissent, & prædas egissent, & Syracusanorum equites [*ad hostem arcendum*] accurrissent, & nonnullos leuis armaturæ milites [*Athenienses,*] palatos interfecissent, Catanam se receperunt. Illic autem offendunt Salaminiam nauem Athenis missam, tum aduersus Alcibiadem, vt qui ea vehebantur iuberent [*ipsum*] redire [*domum*] ad respondendum criminibus, quorum publicè insimulabatur,

tum aduersus quosdam alios milites, qui cum eo erant. de quibus indicium [*ad Magistratus*] delatum fuerat, [*partim quidem,*] quòd impiè mysteria polluissent, partim verò, quòd Mercurij simulachra violassent. Athenienses enim post classis discessum nihilominus quæstionem habebant de mysteriis pollutis, & de violatis Mercurij simulachris. Quoniam autem non explorabant indices, [*nec vllum indiciorum delectum habebant,*] sed omnes, [*qui aliquod indicium ad eos afferebant,*] suspiciosè admittebant, [*propter tyrannidis affectatæ suspicionem, quæ eos sibi quauis ratione cauere cogebat,*] ob fidem improbis hominibus [*indicia afferentibus*] habitam, [*quosdam*] ex ciuibus, [*viros*] optimos comprehenderunt, & in vincula coniecerunt. Satius esse iudicantes hac de re quæstionem habere, & [*pollutæ religionis autores*] reperire, quàm propter indicis improbitatem, aliquē, licet vir probus esse videretur, accusatum, [*indicta causa, &*] nulla quæstione habita, [*ex iudicio*] euadere. Populus enim, qui famâ acceperat Pisistrati, ac filiorum tyrannidem extremis eius temporibus grauem fuisse, præterea neque à se, neque ab Harmodio: sed à Lacedæmoniis euersam, semper metuebat, & omnia [*in deteriorem partem*] suspiciosè accipiebat. Nam audax illud Aristogitonis, & Harmodij facinus, propter rei cuiusdam ad amores pertinentis casum, [*ab illis*] susceptum fuit. Quā [*rem*] ego fusiùs narrans demonstrabo neque alios, neque ipsos Athenienses de suis tyrannis, aut de re gesta quicquam certi dicere. Cùm enim Pisistratus [*iam*] senex in tyrannide decessisset, nō Hipparchus (vt vulgus arbitratur) sed Hippias, quòd esset natu maximus, obtinuit principatum. Cùm autem Harmodius ætatis flore [*formaq; conspicuus, ac*] insignis esset, Aristogiton, mediæ inter ciues conditionis

vir,

vir, eum adamabat, atque [*in sua potestate*] habebat, [*ita vt eo, arbitratu suo frueretur.*] Hic autem Harmodius ab Hipparcho Pisistrati [*filio*] tentatus, [*& appellatus de stupro,*] non solùm [*ab eo*] non expugnatus est: sed etiam [*rem*] ad Aristogitonem detulit. Hic verò more amatorum ingenti dolore concepto, & Hipparchi potentiam extimescens, ne per vim ipsum [*Harmodium*] ad se pertraheret, protinus pro sua autoritate, [*& opibus, quas habebat,*] tyrannidem per insidias euertere conatur. Interea verò Hipparchus, cùm Harmodium rursus solicitasset, & nihilomagis [*eum ad morem sibi gerendũ*] inducere potuisset, nihil quidem per vim agere decreuerat: sed in aliquo secreto loco, quasi non propterea [*hoc faceret,*] ad eum cõtumelia afficiendũ se accingebat. Nam ne superioribus quidẽ eius dominatus temporibus multitudini grauis, [*ac molestus*] erat: sed citra inuidiam se gesserat. Ac profectò hi tyranni virtutem, & prudentiam diutissimè coluerunt, & prouentuum vicesimam tantum ab Athenienſibus exigentes, & ipsorum vrbem egregiè exornarunt, & bella administrarunt, & in templis sacrificia fecerunt. In cæteris verò [*rebus*] ciuitas legibus antè latis vtebatur, præterquàm quòd [*hi tyranni*] operam prouidè dabant, vt semper aliquis de suo ipsorum numero magistratum gereret. Et cùm alij ex ipsis annuum imperium apud Athenienses obtinuerunt, tum Pisistratus Hippiæ [*filius,*] illius, qui tyrannus fuerat, aui nomen ferens: qui cùm esset Archon, [*& Archontis magistratum gereret,*] aram duodecim Deorum in foro dedicauit, & illam, quę est in Apollinis Pythij templo. Postea verò populus Athenienſis, cùm amplificasset aram, quæ erat in foro, epigramma [*in ea inscriptum*] deleuit. At illud, quod erat in [*Apollinis*] Pythij [*templo,*] nunc et-

iam apparet manifestè, quamuis subobscuris literis sit scriptum, in hæc verba:

In Pythij Phœbi Pisistratus æde locauit
Imperij Hippiades hæc monumenta sui.

Hippiam igitur imperasse, quòd [*inter fratres*] natu maximus esset, asseuerare possum, partim scientia, partim fama, [*quòd rei veritatem indagarim*] accuratiùs quàm alij. verùm & ex hoc ipso, [*quod sum dicturus, ita rem habere*] quiuis cognoscat. Hunc enim solum inter legitimos fratres, liberos suscepisse constat: quemadmodum testatur & ara, & cippus in Athenarum arce erectus cum inscriptione sceleris à tyrannis perpetrati. In quo [*cippo*] nullus Thessali, aut Hipparchi filius est scriptus: sed quinque Hippiæ [*filij,*] quos ille ex Myrrhine Calliæ Hyperochidæ filia susceperat. Nam verisimile videtur, maximũ natu [*inter fratres*] vxorem primum duxisse. Et in primo cippo primus post patrem erat adscriptus idque verisimili de causa, quòd & ab eo natu maximus esset, & tyrannidem obtinuisset. Quinetiam Hippias nunquam ex tempore [*tam*] facilè tyrannidem retenturus fuisse mihi videtur, si Hipparchus in imperio decessisset, & ipse eodem die, [*quo tyrannus interfectus fuisset, res ad imperium pertinentes*] constituere cœpisset. Sed propter pristinum, solitumque ciuium metum, & diligentiam, qua in satellitum præsidio vtebatur, imperium nullo prorsus cum periculo retinuit. neque dubitauit, vt frater natu minor, quòd imperium continenter antea non administrasset. Hipparcho autem contigit, vt propter calamitatem, in quam inciderat, nobilitatus, hãc etiam tyrannidis [*occupatæ*] famam apud posteros sibi præterea conciliarit, [*adeò vt posteri tyrannum eum fuisse crediderint.*] Hic igitur Harmodium, quòd ipsi eum solicitanti morem gerere nolu-

noluisset, vt in animo habebat, contumelia affecit. Nam [*Hipparchi iussu quidam*] ipsius [*Harmodij*] sororem virginem, cui denuntiarant, vt ad canistrum in quadam pompa ferendum veniret, reiecerunt, dicentes se ne principio quidē ei denuntiasse, [*vt ad hoc ministerium veniret,*] quòd [*hoc honore*] digna non esset. Cùm autem Harmodius [*istam contumeliam*] ægrè ferret, propter ipsum & Aristogiton multo magis tunc irritatus est. Quamobrem cęteras quidem res constituerunt cum iis, [*cum quibus coniurauerant &*] qui facinus simul aggressuri erant: sed expectabant magna Panathenæa, [*festa, quæ sic vocantur,*] quo tantùm die extra suspicionem erat, ciues eos, qui pompam prosequebantur, in armis frequentes esse. Oportebat autem ipsos quidem rem aggredi, statim verò illos, [*qui conspirationis erant socij*] simul opem ferre aduersus [*tyranni*] satellites, [*& impressionem in eos facere: quò facilius tyrannus, eiusq; frater opprimi posset.*] Erant autem non multi coniurati, vt res tutiùs gereretur. Sperabant enim illos etiam, qui [*coniurationem*] prius ignorabant, si [*ipsi*] vel quomodocunq; [*hoc facinus*] ausi fuissent, repentè, præsertim cùm arma haberent, lubenter se ipsos in libertatē pariter asserturos. Cùm autem dies festus aduenisset, Hippias quidē extra [*vrbem*] in loco, qui Ceramicus vocatur, cum [*suis*] satellitibus res ad pompam spectātes ornabat, prout singulas procedere oportebat. Harmodius verò, & Aristogiton, cùm pugiones iam haberent, ad facinus [*faciendum*] prodierant. Cùm autem quendam ex coniuratis cum Hippia familiariter colloquentem animaduertissent (aditus enim ad Hippiam omnibus erat facilis) extimuerunt, & existimarunt rem patefactam esse, seque iamiam comprehensum iri. Quamobrem illum, à quo læsi fuerant, & cuius cau-

sa de summa rerũ suarum periclitabantur, primùm vlciſci volebant, ſi poſſent. Atque eo corporis habitu, [*& cum iis armis, quæ habebant,*] impetu portas [*vrbis*] introiuerunt. Et Hipparchum nacti ſunt in eo loco, qui Leocorium vocatur. Confeſtim autem non circunſpectè, [*neque conſiderata periculi magnitudine, in eum*] irruentes, & maxima ira impulſi, hic quidem propter amaſium, ille verò propter contumeliam, qua fuerat affectus, ipſum feriunt, & occidunt. Et Ariſtogiton quidem ſatellites principiò deuitauit. Verùm facto multitudinis concurſu, & poſtea comprehenſus, haud leniter tractatus fuit. Harmodius verò illic eueſtigio occubuit. Cùm autem [*huius cædis*] nuntius ad Hippiam in Ceramicum allatus fuiſſet, non ad id, quod acciderat, [*neque ad locum, in quo frater cæſus iacebat:*] ſed ad pompæ ductores armatos, priuſquàm [*rem*] reſciſcerent (nam procul aberant) confeſtim contendit, vultuque ad [*præſentem*] calamitatem diſſimulandam compoſito, ita vt nullam [*doloris*] ſignificationem daret, eos in locum quendam, quem monſtrauit, ſine armis abire iuſſit. Et illi quidem [*eò*] ſe receperunt, exiſtimantes illum aliquid dicturum. Ille verò ſatellitibus imperauit, vt arma ſubtraherent, & protinus eos delegit, quos inſimulabat, & ſi quis cum pugione deprehenſus eſſet. Nam cum ſcuto, & haſta pompas proſequi conſueuerant. Hoc igitur modo, propter amatoriam indignationem, & coniurationis initium factum eſt, & audax illud facinus, propter repentinum metum ab Harmodio, & Ariſtogitone ſuſceptum eſt. Poſtea verò tyrannis Athenienſibus aſperior fuit. Et Hippias iam ſibi metuẽs vehementius, [*quàm antè,*] multos ciues interfecit, & ſimul ad externa [*auxilia*] reſpicere cœpit, ſiquid præſidij alicunde ſibi paratum cerneret, mutato re-

rum

rum ſtatu. Poſt hæc igitur Æantidæ Hippocli Lampſacenorum tyranni filio Archedicen ſuam filiam, Athenienſis Lampſaceno collocauit, quòd ipſos apud Regem Darium autoritate multum pollere ſciret. Cuius fœminæ monumentum Lampſaci extat, quod habet hoc epigramma,

Hippiæ apud Græcos laudem virtutis adepti
Hic puluis prolem contegit Archedicen,
Quæ Reges habuit, patrem, fratresq́, virumq́,
Et natos, haudq́ eſt facta ſuperba tamen.

Hippias autem cùm tres deinceps annos tyrannidem apud Athenienſes obtinuiſſet, & quarto [*anno*] à Lacedæmoniis, & Alcmæonidis exulibus imperio ſpoliatus fuiſſet, fide publica [*à Lacedæmoniis, & ab Athenienſibus*] impetrata, Sigæum, & [*inde*] Lampſacum ad Æantidem eſt profectus: illinc verò, ad Regem Darium. Vnde poſtea profectus anno viceſimo, iam ſenex, cum Medis ad Marathonem militauit. Quæ reputans populus Athenienſis, & memoria repetens quæcunque de illis fama acceperat, tunc ſæuus erat, & ſuſpicioſus in eos, qui [*de violatis Mercurij ſimulacris, &*] de myſteriis, [*ac religione polluta*] inſimulati fuerant, atque omnia ipſi videbantur & conſilio facta, vt dominatus paucorum, vel regum à coniuratis cõſtitueretur. Et cùm ipſe [*populus*] ob hanc rẽ iraſceretur, multos, eoſq; claros, [*& autoritate præditos*] viros in carcerẽ iam cõiecerat. nec dũ ſedatus eſſe videbatur: ſed in dies magis, ac magis in ſæuitia proficiebat, & lõgè plures, [*quã antè*] cõprehendebat. Interea verò quidam ex iis, qui cũ aliis, in vinculis erat, cuidã qui in carcere, & qui maximè affinis crimini eſſe videbatur, perſuaſit, vt rẽ indicaret, ſiue vera, ſiue non vera eſſet, (nam vtrinque ſunt coniecturę. Nihil enim certi de illius facinoris autoribus aut tunc, aut poſtea

à quoquam afferri potuit.) Perſuaſit autem dicens oportere ipſum, quamuis [*hoc facinus*] non perpetraſſet, [*tamen*] impetrata impunitate, cùm ſe ipſum ſeruare, tum etiam ciuitatem præſenti ſuſpicione liberare. Salutem enim ipſi certiorem fore dicebat, ſi impunitate impetrata [*rem*] faſſus fuiſſet, quàm ſi negans, iudicium ſubiiſſet. Quamobrẽ hic & contra ſe, & contra alios indicium profeſſus eſt de [*violatis*] Mercurij ſimulachris. Populus verò Athenienſis lubenter cognita (vt ipſe putabat) [*rei*] veritate, cùm priùs indigniſſimè ferret, ſi eos, qui ſuæ multitudini inſidiabantur, cognoſcere non poſſet, confeſtim dimiſit & ipſum indicem, & cęteros, qui cum ipſo erant, & quos ille non accuſaſſet. Illorum verò, qui [*tunc ab iſto*] delati fuerunt, conſtituris iudiciis, [*& cauſa cognita*] alios quidem occidit, quotquot comprehenſi fuerant: alios verò fuga dilapſos, morte damnauit, & per præconis vocem præmia propoſuit ei, qui [*damnatos*] interfeciſſet. Interea verò non conſtabat vtrum ij, qui capitali ſupplicio fuerant affecti, [*iure, an*] iniuria ſupplicio affecti fuiſſent. Reliqua tamen ciuitas in præſentia commodum [*ex hac re*] manifeſtè percepit. De Alcibiade verò, inſtigantibus inimicis [*iiſdem,*] qui vel priuſquàm ille diſcederet, [*ipſum accuſare*] aggreſſi fuerant, Athenienſes [*delationem*] iratis animis accipiebant. Poſtquàm autem de [*violatis*] Mercurij ſimulachris rem compertã ſe habere exiſtimarunt, tunc verò multo magis etiam myſteria, de quibus [*pollutis*] accuſabatur, ab illo polluta fuiſſe videbantur, eodem conſilio, & cum coniuratis, aduerſus ſtatum popularem. Nam quidã non magnus Lacedæmoniorũ exercitus per hoc ipſum tempus, quo [*Athenienſes in vrbe*] propter iſtas res perturbabantur, ad Iſthmũ vſq; progreſſus eſt, neſcio

scio quid aduersus Bœotos moliens. Videbatur igitur illo solicitante, non autem Bœotorũ causa, ex composito veniſſe, &, nisi ipsi per indicium homines illos maturè comprehendiſſent [*eiusq; conatum anteuertiſſent*,] futurum fuisse, vt ciuitas proderetur. Vnde etiam vnam quandam noctẽ apud Theſei templum, quod est in vrbe, sub armis pernoctarunt. Quinetiam Alcibiadis hospites, qui Argis erant, per idem tempus in suspicionem venerunt, fore vt populum aggrederentur. Argiuorum autem obsides, qui collocati fuerant in insulis, Athenienses tunc Argiuo populo his de causis interficiendos tradiderunt. Deniq; suspiciones Alcibiadem vndique circunstabant. Quamobrem [*Athenienses*,] quòd eum adductum ad iudicium, morte mulctare vellent, ita demum mittunt Salaminiam nauem in Siciliam cum ad illum [*reuocandum*,] tum ad alios, de quibus indicia delata fuerant. Mandatum autem fuerat [*illis, qui naui Salaminia vehebantur*,] vt ipsi [*Alcibiadi*] præciperent, vt [*ipsos*] sequeretur: non tamen [*ipsum*] comprehenderent, cauentes ne sui milites, qui erant in Sicilia, tumultum aliquem excitarent, néve hostes [*hoc animaduerso animos sumerent, castra aggrederentur, & cladem aliquam Athenienſibus afferrent*,] præcipuè verò cupientes Mantineos, & Argiuos [*in illa expeditione*] permanere, quod existimarent illos illius operâ inductos ad hanc militiæ societatem. Hic igitur habens suam nauem, itemque ij, qui vnâ insimulati fuerant, ex Sicilia cum naui Salaminia, tanquam Athenas ituri, discesserunt. Et cum in Thuriis fuerunt, [*illos*] non amplius sunt sequuti: sed ex naui egressi euanuerunt, post criminationem ad iudicium profici non ausi. Qui verò naui Salaminia vehebantur, aliquandiu quidem Alcibiadem, eiuſ-

que ſocios quæſiuerunt: ſed cùm nuſquam apparerent, nauigationis curſum conficere perrexerunt. Alcibiades verò, cùm iam exul eſſet, non multo pòſt ex [*agro*] Thurio in Peloponneſum nauigio vectus tranſmiſit. Athenienſes verò illum, & eos, qui cum illo erant, deſerto iudicio, capite condémarunt. Poſtea verò cæteri Athenienſium duces, qui erant in Sicilia, cùm exercitum in duas partes diuiſiſſent, & vterque ſuam partem ſortitò accepiſſet, cum omnibus copiis Selinuntem, ac Egeſtam verſus nauigarunt; partim quidem, quòd ſcire vellent an Egeſtæi pecunias [*exercitui promiſſas*] daturi eſſent, partim verò etiam, vt Selinuntiorum res explorarent, & controuerſias cognoſcerent, quæ [*Selinuntiis*] cum Egeſtæis intercedebant. Siciliæ autem oram à ſiniſtra legentes, ab ea parte, quæ ad ſinum Tyrrhenum vergit, Himeram appulerunt, quæ ſola, in hac Siciliæ parte, eſt Græca ciuitas. Cùm autem [*Himeræi*] ipſos non recepiſſent, præteruecti ſunt. Et dum præterueherentur, cepérunt Hyccara, oppidum Sicanicum quidem: ſed Egeſtæis hoſtile. Erat autem maritimum. cùm autem [*oppidanos*] in ſeruitutem abſtraxiſſent, oppidum Egeſtæis tradiderunt. Ipſorum enim equitatus [*Athenienſibus*] adfuerat. Ipſi verò rurſus cum peditatu quidem per Siculorum agrum iter fecérunt, donec Catanam peruenerunt. Naues verò, quæ captiuos vehebant, circumuectæ ſunt. Nicias autem ex Hyccaris Egeſtam confeſtim præterue-ctus, cùm de cæteris rebus [*cum Egeſtæis*] egiſſet, & triginta talenta [*ab illis*] accepiſſet, ad exercitum rediit, & captiuos vendidit, & ex ipſis confecta ſunt centum, & viginti talenta. Illinc autem [*Nicias, eiusq; collega cum copiis*] circumuecti ad ſocios Siculos iuerunt, ac imperarunt, vt exercitum mitterent.

terent. Et cum dimidia sui exercitus parte aduersus Hyblam in agro Geleatino sitam, quæ hostis erat, profecti sunt, nec expugnarunt. Et æstas excessit. Insequenti hyeme statim Athenienses sese præparare cœperunt ad inuadendas Syracusas. Syracusani verò & ipsi vicissim, vt aduersus illos iturí [*se præparabant.*] Quòd enim ad primum [*ipsorum*] pauorem, & expectationem Athenienses non protinus ipsos inuasissent, quotidie, temporisque progressu magis, ac magis se ipsos colligebant, item quòd, dum illam Siciliæ oram præterueherentur, valde procul ab ipsis profisci visi fuissent, & ad Hyblam profecti, eam tentassent, nec expugnassent, multo magis [*eos*] contempserunt. Quare duces rogabant (vt vulgus confidens facere solet) vt se Catanam versus ducerent, quandoquidem illi contra se non venirent. Quinetiam equites Syracusani, qui ad speculandum assiduè vsque ad Athenienſium castra prouehebantur, cùm alia probra per contumeliam [*in eos*] ingerebant tũ verò illud [*percontabantur,*] an potius ad se cùm in alieno [*agro*] habitandum venissent, quàm ad Leontinos in propria sede collocandos. Quæ cùm cognoscerent Athenienſium duces, & vellent ipsos [*Syracusanos*] cum vniuerso populo ab vrbe quàm longissimè abducere, ipsi verò interea sub noctem cum classe præterueĉti, locum castris idoneum occupare, hoste nullum negotium sibi facessente. sciebant enim futurum, vt non pariter [*locum castris idoneũ occupare*] possent, si [*aut*] ex nauibus aduersus [*hostes iam*] præparatos descenderent, aut itinere terrestri euntes [*ab illis*] animaduerterentur. Suæ enim leui armaturæ, & multitudini, quòd nullus equitatus adhuc ipsis adesset, Syracusanorum equitatum, qui magnus erat, magna detrimenta daturum. Ita ve-

rò, [*vt ipsi facere statuerant, existimabant se*] locum capturos, vnde ab [*hostium*] equitatu nullum memoratu dignum damnum essent accepturi. Ipsos autem [*Athenienſium duces*] de [*occupando*] loco ad Olympieum sito, quem etiam occuparunt, Syracusanorum exules, qui ipsos sequebantur, admonuerunt. Duces igitur, vt voti compotes fierent, huiusmodi commentum machinati sunt. Mittunt quendam fidei sibi probatæ virum, & Syracusanorum ducibus non minus amicum, vt ipsi opinabãtur, [*ad quos mittebatur.*] Erat autem Catanæus. Et à quibusdam Catanæis [*missum*] se venire dicebat, quorum illi nomina cognoscebant, & quos suæ factionis studiosos in vrbe adhuc superesse sciebãt. Hic autem dicebat Athenienses in vrbe procul à castris pernoctare, &, si illi certa die, primo diluculo ad exercitum cum vniuerso populo venire vellent, se quidem excluſuros eos, qui essent apud se, & naues incensuros, illos verò, si vallum adorti fuissent, exercitum [*Athenienſem*] facilè capturos, [*ac deleturos.*] Permultos autem Catanæorum ad rem gerendam adiutores fore, & iam paratos esse, à quibus ipse [*missus*] veniret. Syracusanorum autem duces (cùm alioqui & cæteris in rebus essent cosidentiores, & in animo haberent vel sine his [*nuntiis*] aduersus Catanam cum apparatu proficiſci) longè inconsideratissimè fidem huic homini habuerunt; statimque constituta die, ad quam [*ad Catanam*] adesſent, ipsum remiserunt. Ipsi verò (iam enim Selinuntij, & alij nonnulli ex sociis aderant) Syracusanis edixerunt, vt cuncti nullo delectu ad exeundum se expedirent. Cùm autem res omnes ad iam expeditionem necessarias iam præparassent, & dies aduentaret, ad quam se venturos constituerant, iter ingressi, vt Catanam versus proficiſce-

ficiscerentur, ad Symæthum flumen, in agro Leontino castra posuerunt. Athenienses verò, cùm intellexissent ipsos aduentare, assumptis omnibus copiis & suorum, & Siculorum, quotquot ipsis [*aderant,*] & si quis alius ad ipsos accesserat, eisque in naues, & nauigia impositis, sub noctem Syracusas versus contenderunt. Et Athenienses, simul ac dies illuxit, egressi sunt in locū, qui erat iuxta Olympieum, ibi castrametaturi, & Syracusanorū equites, qui primi ad Catanam accesserant, & qui cognouerant totum [*Athenienſium*] exercitum classe vectum discessisse, reuersi [*rem*] peditatui significarunt. Tunc verò cuncti regressi, ad suppetias vrbi ferendas accurrerunt. Interea verò Athenienses, quòd ipsis [*Syracusanis*] longum iter esset [*conficiendum,*] per otium, [*& nullo hoste opus impediente,*] castra posuerunt in opportuno loco, & in quo prœlij initium erant facturi quotiescunque vellent, & vel in ipso prœlio, vel ante prœlium ab equitatu Syracusanorum minimè infestari poterant. nam ab vna quidem parte munitiones, ædificia, arbores, & stagnum [*hostes*] prohibebant. ab altera verò, loca prærupta; cæsisque vicinis arboribus, & ad mare delatis, iuxta naues, & Dasconem [*Siciliæ locum, vbi classis Athenienſium castra posuerat,*] vallum fixerunt, [*vallóq; naues munuerunt.*] ab ea verò parte, quæ aditu hostibus erat facillima, munitionem ex saxis electis, ligniſque constructam celeriter erexerunt, & Anapi pontem soluerunt. Dum autem hæ munitiones fierent, ex vrbe quidē nullus egressus [*earum opus*] impediuit: sed primi Syracusanorum equites ad opem [*suis rebus*] ferendam procurrerunt, deinde verò mox & vniuersus peditatus conuenit. Et primùm quidem ad Athenienſium

castra propius accesserunt, deinde verò cùm [*illi*] contra ipsos non prodirent, regressi, ac via Helorina transmissa, castra posuerunt. Insequenti verò die Athenienses, eorumque socij vt ad prœlium se præparārũt, & aciem hoc modo instruxerunt. Dextrum quidem cornu tenebant Argiui, & Mantinei; Athenienses verò medium [*agmen*;] alterum verò [*cornu*] cæteri socij [*tenebant.*] Et dimidium quidem ipsorum exercitus sic erat instructum, vt in fronte octoni milites starent, [*quos reliqui longo ordine sequebantur:*] dimidium verò, quod erat ad tentoria, & ipsum octonis militibus erat instructum, ita tamen vt agminis longitudo latitudine longè superaret. Quibus præceptum fuerat, vt qua parte [*reliquus*] exercitus laboraret, diligentissimè obseruantes, [*ad eam*] se conferrent. Atque intra hos, qui in subsidiis collocati fuerant, lixas posuerunt. Syracusani verò [*suos*] grauis armaturæ milites, qui erant Syracusani ex omni totius populi ordine, atque ætate collecti, & socios, quotquot aderant, sic instruxerunt, vt deni seni [*in aciem fronte*] starent. Auxilium autem ipsis tulerunt in primis quidem Selinuntij, mox verò & Geloi equites, vniuersi ad ducentos. Et Camarinæorum equites ad viginti, & sagittarij circiter quinquaginta. Equites autem in dextro [*cornu*] collocarunt, non pauciores, quàm mille & ducẽtos. Iuxta autem ipsos, & velites. Cùm autem Athenienses prœlium priores inituri essent, Nicias & singulas gentes, vt quanque adibat, & vniuersas his verbis [*ad rem strenuè gerendam*] adhortabatur: Longa adhortatione, viri, quid opus est [*nos*] vti, qui ad idem certamen [*committendum*] adsumus? Hic enim apparatus ad confidentiam vobis præbendam magis valere mihi videtur, quàm verba præclarè facta, quæ copia-

copiarum firmitate careant. Vbi enim sumus Argiui, & Mantinei, & Athenienses, & præcipui inter insularũ incolas, quomodo non oportet quemlibet [*de nobis*] cum talibus, totque sociis magnam de victoria spem habere? præsertim aduersus homines, qui copias ex omni totius populi ordine, ac ætate raptim, & nullo delectu habito collectas ad nostram vim propulsandam ducunt: non autem [*aduersus viros*] delectos, quales nos sumus. Præterea [*aduersus*] Sicilienses, qui nos quidem contemnunt: sed tamen impetum nostrum non sustinebunt, quòd plus audaciæ, quàm peritiæ [*rerum bellicarum*] habeant. Illud etiam in mentem vnicuique veniat, nos & procul à nostræ patriæ finibus abesse, & in nullo amico solo, nisi quod [*vos*] ipsi pugnando quæsieritis. Atque ego vos admoneo contrà, ac hostes (quod probè scio) se ipsos adhortantur. Illi enim [*se ipsos ad rem fortiter gerendam adhortantur,*] quòd pro patria certamen [*ipsis*] sit futurum: at ego [*vos admoneo*] non in patrio solo, [*prælium à nobis cum hoste commissum iri,*] vnde oportet [*nos*] victoria potitos [*domum*] reuerti, aut [*certè nisi victoria potiamur, existimare nos in patriam*] non facilè reuerti [*posse.*] Nam permulti equites nobis instabunt. Vestræ igitur ipsorum dignitatis memores, hostes alacriter inuadatis, & præsentem necessitatem, atque difficultatẽ, quàm aduersarios, terribiliorem esse ducatis. Nicias autem his [*suos*] adhortatus, copias confestim aduersus [*hostem*] duxit. Syracusani verò tunc quidem non expectabant sibi iam dimicandum esse. quin etiam ipsorum nonnulli in vrbem, quæ vicina erat abierant Qui tamen festinabundi ad suos adiuuandos accurrentes, tardiùs illi quidem perueniebant, verumtamen vt singuli ad aliquos exercitus ordi-

nes accedebant, in iis seſe collocabant. Nam nec in isto prœlio, nec in aliis, aut alacritate, aut audacia [*hostibus*] inferiores fuerunt. Sed virtute quidem [*illis*] non fuerunt inferiores, quatenus [*rei militaris*] scientia suppetebat. Eius verò defectu, alacritatem etiam inuiti amittebant. Veruntamen, quòd non opinarentur Athenienses priores contra se venturos, quodque celeriter [*hostem inuadentem*] propulsare cogerentur, sumptis armis, confestim obuiam [*ipsi*] prodierunt. Ac primùm quidem vtriusque exercitus velites, qui lapides manu iaculabantur, & funditores, & sagittarij ante vtranque aciem pugnabant: & alij alios in fugam vicissim vertebant, vt verisimile est fieri inter leuis armaturæ milites. Deinde verò vates protulerunt, [*atq; mactarunt*] hostias more receptas, [*quæ ante conflictum de more mactari solent,*] & tubicines classicum canentes, ad congressum milites accendebant. Illi verò [*in hostem*] tendebant, Syracusani quidem, pro patria pugnaturi, & vnus quisque & in præsentia pro sua salute, & in posterum, [*pro sua*] libertate. Ex hostibus verò, Athenienses quidem, pro alieno [*agro pugnaturi,*] vt [*eum*] proprium haberent, [*& in suam potestatem redactum possiderent,*] néve domesticum [*agrum, patriaq; suæ fines*] victi detrimento afficerent. Argiui verò, & qui ex sociis liberi erant, vt & illos [*Athenienses*] adiuuarent in quærendis [*rebus*] illis, quarum causa [*illuc*] venerant, vtque suam quique patriam victores reuiserent. Socij verò, qui aliorum imperio parebant, præcipuè quidem animum alacrem habebant propter præsentem salutem, de qua, nisi vicissent desperabant. Deinde verò, secundo loco [*ad prælium committendum erant alacres,*] vt si quam etiam aliam [*gentem*] vnâ cum Athenienſibus subegissent, i-

ipsis

psis [*Athenienſibus*] facilius parerent, [*& illorum imperio minus premerentur, quòd eos in aliis populis, ac regionibus in ipſorum ditionem redigendis adiuuiſſent.*] Cùm autem [*poſt velitationes hinc, inde factus,*] ad pugnam, manusque ventum eſſet, ad multas horas alteri alteris reſtiterunt. Interea verò contigit vt & aliquot tonitrua, & fulgura, & ingens pluuia ſimul exiſteret. Quamobrem illis quidem, qui tunc primùm pugnabant, & qui in bellis minimè verſati fuerant, hoc etiam maiorem terrorem incuſſit. Illis verò, qui [*rerum bellicarum*] peritiores erant, ea, quæ fiebant, propter anni tempus fieri videbantur; ſed illud ipſis maiorem terrorem incutiebat, quod aduerſarij non vincerentur: [*at in prælio tandiu committendo perſeuerarent, neq; loco cederent.*] Cùm autem primi [*omnium*] Argiui læuum Syracuſanorum cornu [*loco*] pepuliſſent. & poſt ipſos [*Argiuos,*] Athenienſes [*agmen*] ſibi oppoſitum [*impreſſione facta reiecisſent,*] tunc & reliquus Syracuſanorum exercitus perruptus eſt, & fugere cœpit. Sed [*eum fugientem*] Athenienſes non longè perſequuti ſunt: (nam Syracuſanorum equites, qui permulti, iiſque inuicti erant, [*quòd ab hoſte ſuperati non fuiſſent, ipſos perſequentes*] prohibebant. Et impreſſione facta in grauem ipſorum armaturam, ſi quos longius inſequentes animaduertiſſent, [*eos*] reprimebant) ſed conferti, quoad tutò potuere, perſequuti, retro ſe receperunt, & trophęum ſtatuerũt. Syracuſani verò, in via Helorina congregati, pro præſenti rerum ſtatu, & facultate, acie inſtructa, præſidium tamen è ſuorum numero ad Olympieum miſerunt, veriti ne Athenienſes pecunias, quę illic erant, amouerent. cæteri verò in vrbem redierunt Athenienſes verò ad templum quidem non iuerunt: ſed congeſtis ſuorum cadaueribus, ac

pyræ impositis, ibi pernoctarunt. Postero verò die Syracusanis quidem sua cadauera, fide publica ipsis data, reddiderunt. (Ipsorum verò [*Syracusanorum,*] & sociorum, ad ducentos & sexaginta [*in eo prælio*] ceciderunt) suorum verò ossa collegerunt. Ipsorum verò [*Athenienſium,*] & sociorum obierunt ad quinquaginta. Et cum hostium spoliis Catanam nauigarunt. Erat enim hyems, & bellū illinc nondum administrari posse videbatur, priusquàm & Athenis equites accerserent, & [*alios*] ex sociis, qui regionem illam incolebant, cogerent, ne prorsus equitatu superarentur. simul etiam vt illinc pecunias colligerent, vtque [*aliæ*] Athenis afferrentur. Quinetiam vt aliquas ciuitates sibi adiungerent, quas post pugnam sibi facilius obtéperaturas esse sperabant. Item vt cùm alia, tum etiam commeatum & cætera, quibus [*ad bellum administrandum*] opus esset, præpararent, quòd ineunte vere Syracusas aggredi statuissent. Atque hi quidem hoc consilio Naxum, & Catanam nauigarunt, vt [*illic*] hybernarent. Syracusani verò, suis mortuis sepultis, concionem coëgerunt. Tunc autem in mediā ipsorum multitudinem progressus Hermocrates Hermonis [*filius,*] vir cùm cæteris in rebus prudentia nulli secundus, tum etiam rerum bellicarum peritia, vsuque potens, & fortitudine insignis, [*ipsos*] confirmabat, neque propter id, quod acciderat, animum despondere sinebat. Non ipsorum animum superatum fuisse [*dicebat:*] sed ordinum confusionem, [*& disciplinæ militaris imperitiam ipsis*] nocuisse. neque tamen [*ipsos*] adeò [*ab hoste*] superatos fuisse, vt verisimile erat, [*ipsos ab eo superatum iri,*] præsertim quòd [*ipsi Syracusani, homines*] idiotæ [*& rerum bellicarum imperiti, &*] propemodum artifices, [*qui sedentariam artem exercebant,*]

cum

cum iis pugnassent, qui [*rei militaris*] peritia primi Græcorum censebantur. Quinetiam ipsam ducum multitudinem, & imperatorum turbam (erant enim ipsis quindecim duces) & confusam multorum manum, quæ nullius imperio parebat, multum [*ipsis*] offeciſſe [*dicebat.*] Quòd si pauci, iiq; [*rerum bellicarum*] periti imperatores essent, atque per eam hyemem grauis armaturæ milites præpararent, & subministrarent quibus deessent arma, vt quàm maximus esset militum grauiter armatorum numerus, & in cæteris [*rei bellicæ*] studiis [*eos sese exercere*] cogerent, affirmabat ipsos (vt credibile videbatur) aduersariis superiores futuros, quòd fortitudo quidem ipsis iam adesset, ordinis verò conseruatio in rebus gerendis esset accessura. Hæc enim ambo progressus esse factura, hanc quidem [*ordinis conseruationem*,] cum periculis exultam; animi verò præsentiam, coniunctam cum fiducia scientiæ [*rei militaris,*] ipsam se ipsa confidentiorem, [*atq; firmiorem*] fore. Imperatores verò, & paucos, & cum summa potestate creandos, & religioso iureiurando promittendum ipsis, fore, vt [*Syracusanus populus ipsos suis copiis*] imperare sinat, pro ea [*rerum bellicarum*] scientia, qua præditi fuerint. Sic enim & ea, quæ sunt celanda, faciliùs celatum iri, & cætera rectè, atque ordine, & sine vlla tergiuersatione præparatum iri. Syracusani verò, cùm eum audissent, omnia in eius sententiam decreuerunt, ipsumque imperatorem crearunt, & Heraclidem Lysimachi, & Sicanũ Execestii [*filium.*] Hos tres [*inquam, imperatores crearunt.*] Quinetiam Corinthum, & Lacedæmonem legatos miserunt, vt [*illinc*] auxilia sibi mitterentur, vtque Lacedæmoniis persuaderent, vt bellum aduersus Athenienses fortius, ex professo, [*palamq;*] pro se

administrarent, vt ipsos [*Athenienses*] vel à Sicilia abducerent, vel [*iidem*] ad exercitum, qui in Sicilia erat, aliud auxilium [*contra Syracusanos*] mittere minus possent. Classis autem Athenienſium, quæ ad Catanam erat, Messanam versus continuò nauigauit, quòd eam per proditionem captum iri sperarent. Sed quæ struebantur, non successerunt. Alcibiades enim, cùm iam [*Athenas*] reuocatus, imperium deposuisset, sciens se exulem fore, Syracusanorum amicis, qui Messanæ erant, futuram [*vrbis*] proditionem, cuius erat conscius, indicauit. Illi verò, qui hæc volebant, [*& qui Syracusanorum partibus fauebant,*] & homines [*ab Alcibiade proditionis accusatos*] interfecerũt prius, [*quàm Athenienses ad vrbem accederent,*] & tunc, cùm ob seditionem ortam in armis essent, obtinuerunt ne Athenienses [*in vrbem*] reciperentur. Athenienses verò statiuis [*illic*] tredecim circiter dies habitis, cùm tempestate iactarentur, neque commeatum, [*neq; res exercitui necessarias*] haberent, neque quicquam [*eorum, quæ sperabant, ipsis*] succederet, Naxũ reuersi, & classe vallo munita, illic hybernarunt. & triremem Athenas miserunt pecuniarum, & equitatus gratia, vt [*hæc*] primo vere statim adessent. Per eam hyemem Syracusani quoque murum excitauerunt prope vrbem, à tota illa parte, quæ Epipolas spectat, Temenitem [*locum sic appellatum, eo muri ambitu*] complexi, ne, si fortè cladem aliquam accepissent, propter angustiorem vrbis ambitum facilè circumuallarentur. Et præsidium Megara miserunt, & alterum in Olympieo collocarunt. Quinetiam quacunque ex parte exscensus [*è nauibus in terram*] fieri poterat, mare vallo præclusum muniuerunt. Et cùm scirent Athenienses apud Naxum hybernare, cum frequentibus co-

piis

piis ex omni totius populi ordine collectis, expeditionem aduersus Catanam susceperunt. Et ipsorum [*Catanæorum*] agrum vastarunt, & Athenienſium tabernaculis, castrisque incensis, domum redierunt. Præterea cùm intellexissent Athenienses Camarinæos legatos misisse pro iure societatis [*cum Camarinæis*] initæ, quo tempore Laches in Siciliam [*ab Athenienſibus cum classe missus*] iuit, si quo pacto ipsos sibi adiungere possent, ipsi quoque vicissim legatos [*eò*] miserunt. Catanæi enim ipsis erant suspecti, ne non alacriter ea ipsis misissent, quæ ad superiorem pugnam miserant, & ne dein eps opem ferre recusarēt, quia videbant Athenienses in prœlio rem feliciter gessisse, sed veteris amicitiæ iure adducti se ipsis adiungerent. Cùm igitur Syracusis quidem, Hermocrates, aliique Camarinam peruenissent; ab Athenienſibus verò, Euphemus cum aliis [*collegis eò missi fuissent,*] Hermocrates, coacto Camarinæorum concilio, maiorem inuidiam Athenienſibus conflare volens, hanc habuit orationem:

HERMOCRATIS CONCIO.

Non ideo legati ad vos sumus, viri Camarinæi, quòd vereamur ne præsentibus Athenienſium copiis terreamini: sed potius [*metuentes*] ne, priusquã aliquid à nobis quoque dictum audieritis, illi verbis, quæ sunt facturi, vobis [*rem*] perſuadeãt, [*vobisq; fucum faciant.*] Veniunt enim in Siciliam, eo quidem prætextu, quem audistis, eo verò animo, quo omnes [*iam eos venire*] ſuspicantur. Nam non Leontinos in suas sedes restituere: sed potiùs nos ex nostris sedibus expellere velle mihi videntur. Nec enim rationi consentaneum videtur, eos, illas quidem vrbes, quæ illic sunt, [*in Græciæ regionibus Atticæ vicinis,*] euertere: eas verò, quæ hîc sunt, [*con-*

dere. &] ciuium in priſtinas ſedes reductorum nu-
m ro frequentes reddere, [*atque componere, & paca-
re.*] Et de Leontinis quidem, qui ſunt Chalcidenſes,
propter cognationis ius ſolicitos eſſe, Chalciden-
ſes verò, qui ſunt in Eubœa (quorum iſti ſunt colo-
ni) ſeruitute premere. Sed eadem ratione, [*ac artifi-
cio*] & res illas [*iam*] occuparunt, & res iſtas nunc
[*occupare*] conantur. Cùm enim & Ioues, cæteriſque
ſocij, quotquot ipſorum [*Athenienſium*] erant co-
loni, imperium ad eos vltrò detuliſſent, vt Medum
vlciſcerentur, [*eorum*] alios quidem, deſertæ militiæ
crimen [*ipſis*] inferentes, alios verò, quòd inter ſe
bellum geretēt, [*accuſantes*] alios etiam, prout ſin-
gulis aliquod ſpecioſum, [*atq; probabile*] crimen ob-
iicere poterant, [*criminantes*] in ſeruitutem rede-
gerunt. Ergo neque iſti [*Athenienſes*] pro Græcorum
libertate [*conſeruanda,*] neque [*cæteri*] Græci pro ſua
ipſorum [*libertate retinenda,*] Medi reſtiterunt. Sed
hi quidem, vt [*Græcos*] in ſuam non utem in illius
[*Medi*] poteſtatem redigerent: illi verò, vt domi-
num mutarent, [*& alium haberent*] non inſipien-
tiorem: ſed aſtutiorem. Quanquam non propter-
ea nun [*huc*] venimus, vt accuſationē in Athenien-
ſium ciuitatem, licet abundè criminum copia ſup-
petat aduerſus eam, apud [*vos*] inſtituamus, qui pro-
bè noſtis omnes eius iniurias, [*quibus vniuerſos Græ-
cos affecit:*] ſed multo magis, vt nos ipſos accuſe-
mus, qui, cùm habeamus exempla Græcorum, qui
illic ſunt, quomodo in ſeruitutem [*ab ipſis*] redacti
fuerint, quòd ſibi ipſis opem non tulerint, [*neq; con-
tumacibus opibus, armisq; vim illorum a ſe propulſarint,*] &
nunc illis præſentia ſophiſmata, [*& ficta commenta*]
aduerſus nos, cum Leontinorum cognatorum in
ſuam ciuitatem reſtitutiones, & Egeſtæorum ſo-
ciorum ſuppetias, [*quas ſe ipſis ferre ſimulant,*] noli-
mus,

mus conspirantes, [*& in vnum animis, viribusq; coeuntes*] alacriter ipsis ostendere nos non esse Iones, neque Hellespontios, neq; insularum incolas, qui dominum aut Medum, aut quemlibet alium semper commutantes, seruiunt. Sed Dorienses liberos ex libera Peloponneso [*profectos,*] Siciliam incolere. An expectamus donec oppidatim singuli capiamur? cùm sciamus nos hac vna ratione capi posse, & animaduertamus eos ad hanc artem animos appellere, vt alios quidé de nobis oratione [*sua*] dissocient, alios verò spe [*suæ*] societatis [*oblata*] ad mutuum bellum concitent, alios verò, prout possunt, singulis aliquid blandi dicentes, detrimento afficiant? Et existimamus, si vicinus, [*qui in hac ipsa insula cum cæteris eius incolis habitat, &*] qui remotior est [*ab aliis, qui eandem regionem incolunt*] prius perierit, calamitatem ad quemlibet alium de nobis non peruenturam: sed potius, pro vno quoq; nostrum illum, qui in calamitatem incideiit, solum infelicem fore, [*ita vt in eo solo, qui fuerit oppressus, calamitas subsistat, nec vlterius progrediatur?*] Quòd si cui forte in mentem venit, Syracusanum quidem, at non se ipsum Atheniensium esse hostem, & durum [*sibi*] putat esse pro mea [*patria*] periclitari, is cogitet se non magis pro mea, sed pariter, atque simul pro sua ipsius in mea pugnaturum: & eo tutiùs, [*ac facilius hoc facturum,*] quòd me non prius euerso: sed me socium habens, nec ope destitutus, sit pugnaturus. Item [*cogitet*] Atheniensem nolle Syracusanorum inimicitias vlcisci: sed hoc meo prętextu, [*quo simulat se mihi vt hosti bellum inferre,*] vestram amicitiam [*sibi conciliatam*] non minus confirmare velle. Verùm si quis inuidet [*nobis,*] aut etiam [*nos*] metuit (qui enim sunt potentiores, vtroq; hoc incommodo premuntur) & propterea Syracusas da-

mno quidem affici cupit, vt ſimus modeſtiores: ſuperſtites tamen eſſe, [*nec funditus euerti,*] propter ſuam ipſius incolumitatem, [*vt ipſe tutiùs degat,*] is non humanarum virium ſpem cõcipit. Fieri enim non poteſt vt idem [*homo*] ſimul, & pariter ſuæ voluntatis, atque fortunæ ſit arbiter, [*ita vt arbitratu ſuo æquè de fortuna, atq; de ſua ipſius voluntate ſtatuat.*] Quare ſi fruſtretur opinione, ob ſua ipſius mala deploratus, [*ſuoq; damno doctus,*] fortaſſe meis etiam bonis aliquando rurſus [*vt prius*] inuidere cupiet. Sed hoc impoſſibile fuerit ei, qui [*nos*] deſeruerit, & qui eadem non de verbis: ſed de rebus pericula [*nobiſcum*] ſuſcipere recuſauerit. Qui enim nos tuebitur, is nomine quidem noſtram potentiam, [*atque ciuitatem conſeruabit:*] ſed re ipſa ſuã ipſius ſalutem tuebitur. Et ſanè, Camarinæi, decebat vos præcipuè, qui [*nobis*] eſtis finitimi, & qui ſecundo loco, [*poſt nos, belli fortunam*] eſtis periclitaturi, iſta [*pericula nobis omnibus impendentia*] proſpicere, neque ſegniter, quemadmodum nunc [*feciſtis, aduerſus hoſtes*] auxilium nobis ferre: ſed potius [*vos*] ipſos, [*veſtra ſponte*] ad nos venire, & nos palàm hortari, ne animo ſuccumberemus, & nobis eadem nunc etiam proponere, quæ nobis propoſuiſſetis, ope noſtra indigentes, eamque implorantes, ſi Athenienſes [*veſtrum agrum*] Camarinæum prius inuaſiſſent. Sed neque vos adhuc, neque cæteri has cogitationes ſuſcepiſtis. Fortaſſe verò propter [*veſtram*] ignauiam, cùm erga nos, tum etiam erga illos, qui [*nos*] inuadunt, æquitatem colétis, vobis cum Athenienſibus ſocietatem eſſe dicentes: quam profectò non aduerſus amicos contraxiſtis: ſed aduerſus hoſtes, ſi quis contra vos veniret: vtq; Athenienſibus ſuccurreretis, quoties ab aliis [*iniuriam acciperent,*] non autem quoties ipſi (vt nunc) iniuriam aliis facerét.

Nam

Nam ne Rhegini quidem, qui sunt Chalcidenses, vnâ [*cum Athenienſibus*] Leontinos, qui sunt Chalcidenses, in suas sedes restituere volunt. Et sanè indignum est, si illi quidem hoc [*Athenienſium*] factum, quod honestę petitionis specie velatur, suspectum habentes, præter id, quod rationi consentaneum videtur, sapiunt, [*& à societate cum Athenienſibus inenda ſibi temperant.*] vos verò, qui occasionem rationi consentaneam habetis, illos quidem, qui naturâ sunt hostes, iuuare vultis, illos verò, qui vel multò magis naturâ sunt cognati, vnâ cum inimicissimis funditus perdere. Atqui [*hoc*] minimè æquum [*est*] Sed [*potius æquum est vos nobis*] opem ferre, nec ipsorum apparatum formidare. Nec enim si coniungamur omnes, est formidabilis: sed si (quod isti facere studẽt) contrà disiungamur. Si quidem, quamuis contra nos solos venerint, & prælio superiores discesserint, tamen non peregerunt quæcunque cupiebant: sed celeriter abierunt. Quamobrem si omnes in vnum coëamus non decet nos animos deiicere: sed belli societatem alacriter inire. Præsertim cùm auxilium [*nobis*] ex Peloponneso sit venturum, [*vnde venient homines,*] qui sunt istis in re bellica longè præstantiores. Neque existimandum est illud studium [*esse ſtudium,*] quòd nobis quidem æquum, vobis verò tutum sit, quòd videlicet neutris opem ferre velitis, quia vtrorumque socij estis. Neque enim vt verbis, quibus vestram causam tuemini, [*sic etiam*] re ipsa, [*hæc vestra auxilij recuſatio*] est æqua. Nam si propter vos, qui [*nobis*] auxilium ferre recusatis, is, qui oppugnatus fuerit euertatur, & is, qui [*eum*] expugnauerit, victor euadat, quid aliud [*feceritis*] nisi quòd his quidem, propter eandem [*vestram*] absentiam, nullum auxilium tuleritis, vt seruari possent;

illos verò, ne mali essent, non prohibueritis, [*neq; vim, ac improbitatem ipsorum refrænaritis?*] Atqui honestius [*est*,] illis, qui iniuriam patiuntur, & qui præterea sunt [*vestri*] cognati [*vos*] adiunctos, & communi Siciliæ commodum tueri, & Athenienses, qui iam sunt [*vobis*] amici, non sinere peccare. Sed, vt rem totam paucis comprehensam expediamus, [*nos*] Syracusani dicimus, nullius esse negotij planè docere aut vos, aut alios, de rebus illis, quas vos ipsi non minus, [*quàm quiuis alius*] cognoscitis. Precamur verò, simul & testificamur, nisi [*vobis*] persuaserimus, [*vt nobis opem feratis*,] nos insidiis appeti ab Ionibus perpetuis hostibus, & à vobis prodi, Dorienses à Doriensibus. Et si Athenienses nos subegerint, vestris quidem consiliis, [*culpaq;*] victores euasuros, sed suo ipsorum nomine honorem habituros, [*omnemq; victoriæ laudem, & gloriam ipsos solos adepturos:*] & pro victoriæ præmio nullum alium, quàm illum ipsum, qui victoriam [*ipsis*] subministrarit, accepturos. Quòd si contra victoria penes nos fuerit, vos ipsos, vt [*nostrorum*] periculorum autores, pœnas [*nobis*] daturos. Quare [*rem*] considerate, atque iam nunc eligite aut seruitutem quæ nullum in præsentia periculum habet, aut [*nostram societatem,*] vt, si nobiscum viceritis, ne turpiter istos Dominos habeatis, vtque nostras inimicitias non breues futuras deuitetis. Atq; Hermocrates quidem hæc dixit: Euphemus verò Athenienſium legatus, post ipsum hæc verba fecit.

EVPHEMI CONCIO.

Veneramus quidem, [*Camarinæi,*] vt pristinam societatem renouaremus, [*quæ nobis vobiscum intercedit:*] sed quoniam Syracusanus [*nos*] incessit, necessarium est etiam de imperio [*nostro*] verba facere, vt [*hoc*] à nobis iure obtineri demonstremus. Maximum igitur [*huius rei*] testimonium ipse perhi-

bet

bet [*qui*] dixit Iones Dorienſium hoſtes ſemper extitiſſe. Et [*profectò res*] ita ſe habet. Nos enim, qui ſumus Iones, rationem iniimus, qua Peloponneſiis, qui ſunt Dorienſes, & plures, [*quàm nos,*] & iidem accolæ, minimè obediremus. Et poſt Medicum bellum, parata claſſe, Lacedæmoniorum imperio, & principatu liberati ſumus, quia non magis decebat illos nobis, quàm etiam nos ipſos illis imperare, niſi quatenus tunc temporis [*nobis*] potentiores erant. Nos etiam [*Græcorum,*] qui Regis imperio prius parebant, duces creati, [*res, imperiumq; noſtrum*] adminiſtramus, exiſtimantes ſic [*nos*] in Pelopõneſiorum poteſtatem minimè venturos eſſe, ſi potentiam habeamus, qua vim [*ipſorum*] propulſemus. Atque (vt verè dicam) [*imperium obtinemus,*] non iniuria in noſtram poteſtatem redactis Ionibus, ac inſularum incolis, quos Syracuſani à nobis in ſeruitutem redactos aiunt, quamuis [*noſtri*] cognati eſſent. Nam aduerſus nos, metropolin ſuam, [*ac antiquam patriam,*] cum Medo venerant, nec auſi ſunt defectionem [*à Medo*] facere, & res domeſticas profligare, quemadmodũ nos, qui [*noſtram*] vrbem [*olim*] deſeruimus, [*vt ſeruitutem, quam barbari nobis imponere cupiebant, hoc modo vitaremus:*] ſed & ipſi ſeruitutem [*pati,*] & nobis idem [*ſeruitutis iugum*] imponere volebant. Quamobrem hoc imperio potimur, ſimul quòd [*eo*] digni ſimus, tum quia maximum nauium numerum [*pro Græcorum ſalute tutanda*] ſuppeditauimus, tum quia [*maximum*] ſine tergiuerſatione ſtudium erga Græcos [*contulimus,*] tum etiam quia iſti idem [*ſtudium*] alacriter Medo præſtantes, incommoda nobis afferebant. Simul etiam potentiam aduerſus Peloponneſios [*nobis comparare*] cupientes. nec alterius auſpicia ſequimur, quia vel ſoli barbarum profligauimus, vel pro

libertate iſtorum potius, quàm cæterorũ omnium [*Græcorum,*] & noſtra ipſorũ, pericula ſuſcepimus. Non eſt autem cuiquam inuidendum, ſi ſalutem ſuam quærat, [*ſibiq; parare ſtudeat.*] Et nunc etiam cùm noſtræ incolumitatis, [*præſidiiq; paradi gratia,*] huc venerimus, hæc [*ipſa, quæ Syracuſani nobis inuidioſè obiiciunt,*] vobis etiam conducere videmus. Demonſtramus autem [*hæc ipſa, quæ nobis expediunt, vobis etiam expedire, quod affirmamus nixi coniecturis, quas ducimus*] tum ex iis, quæ iſti criminantur, tum [*ex iis, quæ*] vos [*ipſi*] potiſſimùm cum vehementiore metu ſuſpicamini. Quia compertũ habemus, eos, qui cum vehementi metu aliquid ſuſpicantur, protinus quidem orationis illecebris capi: poſtea verò, quum ad rem gerendam veniunt, facere, quæ conducunt, [*ita vt ſuorum commodorum, ac ſalutis rationem habeant.*] Etenim & illic nos impetium propter metum obtinere diximus, & propter eundem [*metum, nos huc iam*] veniſſe, vt res, quæ hìc ſunt, cum amicis tutò conſtituamus, non autem vt in ſeruitutem [*vos*] redigamus, imò potius, vt impediamus, ne [*hoc vobis*] accidat. Neque verò quiſpiam opinetur nos de vobis, vt de viris nulla neceſſitudine nobiſcum coniũctis eſſe ſolicitos, illud compertum habens, vobis ſaluis, & vires habentibus ad reſiſtẽdum Syracuſanis, nos minoribus incommodis affectum iri, quia iſti [*Syracuſani*] minus copiarum ad Pelopõneſios mittent. Et ob iſtam cauſam maxima neceſſitudine iam nobiſcũ eſtis coniuncti. Quamobrem etiam æquum eſt Leontinos à nobis in ſuas ſedes reſtitui, non [*vt imperio noſtro*] ſubiectos, quemadmodum ſunt ipſorum cognati, qui in Eubœa habitant: ſed vt potentiſſimos: vt ex ſuo [*agro,*] quia ſunt finitimi [*Syracuſanis,*] ipſis pro nobis ſint infeſti. Quod enim attinet ad res illas,

[*& ad*

[*& ad bellum domesticum,*] vel nos ipsi [*soli*] satis vitium habemus ad hostes propulsandum. & Chalcidensis, [*qui est in Eubœa,*] (quem [*Syracusanus iste*] dicit à nobis præter id, quod rationi cõsentaneum videtur, subactum esse, & tamen nos iam simulare, nos huc venisse, vt eos, qui hîc sunt, in libertatem asseramus) vtilis est nobis, quòd nullo bellico apparatu sit instructus, & pecuniam tantùm pendat. Res verò istæ, & Leontini, & cæteri amici [*nobis vtiles sunt,*] in summa libertate degentes, [*ita vt quàm maximè sui iuris sint, suisq; legibus quàm liberrimè vtantur.*] Vito autem tyrannidem, aut ciuitati principatum obtinenti, nihil, quod vtile sit, à ratione est alienum, nihil etiam [*ei est necessarium, ac*] amicum, nisi [*idem sit ei*] fidum. Pro singulis autem rebus, [*quæ gerentur,*] oportet vel inimicum, vel amicum opportunè fieri. Atq; hoc nobis hîc est commodum, non vt amicos maleficiis afficiamus: sed vt propter amicorum potentiam inimici reddantur infirmi. [*ne nobis nocere possint.*] Non est autem de nostra fide dubitandum. Nam sociis, qui illic sunt, prout singuli [*nobis sunt*] vtiles, [*ita*] imperamus, Chiis quidem, & Methymnæis, vt classem [*nobis*] præbeant, at [*cæteris in rebus*] liberi viuant. plerisque verò [*sic imperamus,*] vt tributum [*ab ipsis*] seueriùs exigamus. Quinetiam aliis permittimus, vt summa cum libertate nobis in bello ferant auxilium. quamuis sint insularum incolæ, & qui facilè [*ab hoste*] subigi possunt, quia sunt in locis circa Peloponnesum opportunis. Quamobrẽ consentaneum est res etiam, quæ hîc sunt, [*à nobis*] constitui, prout [*nobis*] conducit, idq; propter metum, quem [*vobis*] significamus, quo Syracusanos metuimus, [*ne vobis periculum creent, & in suam potestatem vos redigant.*] Nam imperium in vos affectant,

& istis suspicionibus, quas cõtra nos spargunt; vos ad societatem secum ineundam solicitare volunt, vt [*vel*] per vim, vel propter solitudinem [*vestram, quod nostris auxiliis eritis nudati,*] si nos re infecta abierimus, ipsi [*totius*] Siciliæ principatum obtineant. Necesse est autem, [*hoc ita contingere, quemadmodum dicimus,*] si cum ipsis vos coniungatis. Nam neque nos tantas copias in vnum contrahere, atque [*huc*] facilè trãsportare posthac poterimus, neque isti [*Syracusani*] nobis absentibus erunt infirmi contra vos. Cui autem hæc non videntur [*ita se habere, vt dicimus, is male sentit. quòd enim hæc vera sint,*] ipsa res arguit. Priùs enim nos accersistis, nullum alium metum [*nobis*] incutientes, nisi quòd, si per nostram negligentiam vos in Syracusanorum potestatem venire sineremus, nos quoque pericula subiremus. Quamobrem non est æquum vos nunc eidem rationi fidem habere nolle, quam tamen nobis etiam oratione [*vestra*] persuadere volebatis. neque [*æquum est nos apud vos*] in suspicionem venire, quòd cum maioribus copiis aduersus istorũ potentiam [*huc*] venerimus, imò potius [*æquum est vos Syracusanis*] istis nullam habere fidem, [*nec ipsis vllo modo confidere.*] Nos enim ne consistere quidem [*hic*] possumus, nisi vobiscum. Quòd si etiam perfidi effecti, [*res istas*] subigeremus, [*eas tamen*] retinere non possemus, propter nauigationis longitudinẽ, & difficultatem custodiendi vrbes magnas, & quæ mediterraneis copiis indigent, [*nituntur, & conseruantur.*] At isti non castris [*prope vestram vrbem positis:*] sed in vrbe vobis finitima, [*vestrisq; ceruicibus hostiliter imminente*] habitantes, cuius populus est maior his nostris copiis, quæ [*iam hic*] adsunt, assiduè [*vobis*] insidiantur, & quamlibet occasionem [*sibi oblatam*] nacti, non omittent: [*sed eam arripient,*

pient, & vos inuadent.] Id, quod cùm erga alios, tum etiam erga Leontinos iam declararunt. Et [*tamen*] nunc audent aduersus eos, qui hæ [*ipsorum consilia, & conatus*] impediunt, & qui ad hunc vsque diem Siciliam sustinent, [*& tuentes cauent,*] ne in ipsorum potestatẽ redigatur, vos vt stupidos, [*ac amentes*] adhortari, [*& ad societatem secum aduersus eos ineundam solicitare.*] Nos verò cõtrà ad salutem longè certiorem [*vos*] adhortamur, orantes ne [*salutem*] vtrisque nostrum ope mutua paratam, [*certamq;*] prodatis: sed existimetis, istis quidem, vel sine sociorum auxiliis, propter [*populi*] multitudinem, viam aduersus vos semper expeditam esse, [*ita vt vos, quotiescunque ipsis placuerit, inuadere facilè possint.*] vobis verò non semper futuram facultatem cum tot auxiliaribus copiis [*eos*] propulsandi. Quas, si vel ob suspicionem, vel etiam accepta clade, infecto negotio discedere sinatis, optabitis profectò aliquando vel minimam ipsarum partem videre, quum eius ad vos aduentus nihil amplius [*vobis*] prodesse poterit. Sed neque vos, Camarinæi, criminationibus istorum [*ad nos deferendum*] adducamini, neque cæteri [*verbis istorum moueantur, & à societate nobiscum ineunda deterreantur.*] Iam autem vobis declarauimus omnem veritatem [*rerum,*] de quibus [*vobis*] sumus suspecti, & nunc etiam [*iisdem*] in vestram memoriam per capita reuocatis, postulabimus vt [*oratione nostra*] flectamini, [*nostrisq; postulatis assentiamini.*] Dicimus enim nos illis quidem, qui illic sunt, [*& qui regiones vrbi nostræ vicinas incolunt,*] imperare, ne alterius imperio pareamus; hos verò, qui hîc sunt, in libertatem asserere [*velle,*] ne ab ipsis [*in Syracusanorum potestatem redactis*] lædamur. multa autem nos facere cogi, quia sunt etiam multa, quæ nobis sunt ca-

uenda. Socios verò & nunc, & prius [*huc*] veniſſe non noſtra ſponte: ſed accerſitos, vt opem ferremus illis de vobis, qui hîc iniuria afficiũtur. Quare vos neque tanquam facti iudices rerum, quæ a nobis geruntur, neque tanquam cenſores (quod factu iam eſt difficile) [*nos à bello veſtra cauſa ſuſcepto*] deterrere conemini: ſed quatenus aliqua noſtræ curioſitatis, ac ingenij pars, qua tot res gerendas aggredimur, vobis quoque prodeſſe poteſt, ea recepta vtamini, & exiſtimetis hæc non omnibus æquè nocere: [*& non ſolum non nocere:*] ſed etiam longè pluribus Græcis prodeſſe: [*quàm obeſſe.* Quilibet enim in qualibet regione, vel in ea, in qua non imperamus, & is, qui ſibi ab iniuria timet, & is, qui [*alteri*] inſidiatur; quòd in promptu ſit ſpes, illi quidem, fore, vt auxilium à nobis viciſſim impetret, huic verò, fore, vt, ſi venerimus, metu periculi non vacet, ambo coguntur: hic quidem, inuitus ab iniuria [*alteri*] facienda ſibi temperare; ille verò, nemine negotium ipſi faceſſente ſalutem conſequi. Hoc igitur ſalutis præſidium, quod omnibus, qui [*eò*] indigent, eſt commune, & quod vobis nunc præſtò eſt, ne reiiciatis: ſed idem facientes, quod cæteri mortales facere ſolent, nobiſcum [*iuncti,*] Syracuſanis, pro eo, quòd ipſorum inſidias ſemper cauetis, vos etiam nunc tandem eodem modo, [*quo illi vobis inſidias tendunt,*] inſidias tendere viciſſim incipiatis. Atque Euphemus quidem hæc dixit. Camarinæi verò ſic animis erant affecti. Athenienſibus quidem erant beneuoli, niſi quatenus eos ad ſubigendam Siciliam veniſſe ſuſpicabantur; Syracuſanis verò, propter agri finitimi controuerſias ſemper erant inimici. Cùm tamen Syracuſanos, quòd eſſent vicini, non minus formidarent: [*ſed propter hanc vicinitatem multo*

magis

magis metuerent,] ne vel sine suis auxiliis superiores euaderent, & antè paucos illos equites ipsis miserant: & in posterum Syracusanis quidem potius, [*quàm Athenienſibus*,] re ipsa, quàm [*tamen*] parcissimè possent, operam suam nauare decreuerunt. In præsentia verò, ne Athenienſibus minus [*benevoli esse*] viderentur, præsertim quòd ex prœlio [*cum Syracusanis commisso*] victores discessissent, verbis responsum par vtrisque dare [*statuerunt.*] Cùm autem sic [*inter se*] consultassent, [*vtrorumque legatis*] responderunt, quoniam bellum gerebatur inter illos, qui vtrique sibi erant socij, videri sibi æquum esse, in præsentia neutris opem ferre. Atq; vtrorumque legati [*sic*] abierunt. Et Syracusani quidem res suas ad bellum apparabant. Athenienses verò, qui apud Naxum statiua habebant, id apud Siculos agebant, vt quàm plurimi ad se transirent, [*suamq; societatem sequerentur.*] Et Siculorum quidem, illorum præcipuè, qui campestria loca incolebant, & qui Syracusanorum imperio parebant, plerique [*ab Athenienſium societate*] recessserunt, [*nec eam sequi voluerunt.*] Illorum vero, qui loca mediterranea tenebant, [*ciuitates,*] quæ liberæ erant, & quæ prius semper domicilia, [*id est, parua oppida, libera, suiq; iuris fuerant,*] exceptis paucis [*populis,*] sese confestim Athenienſibus adiunxerũt, & commeatum ad [*illorum*] exercitum comportarunt. Sunt etiam qui pecuniam [*ad eos attulerunt.*] Athenienses verò bellum illis inferentes, qui suam societatem sequi recusabant, partim quidem [*ad deditionem faciendam*] compulerunt, partim verò à Syracusanis præsidia mittentibus, & opem ferentibus arcebant, [*ita vt auxilia ab illis missa, ad ipsos peruenire non possent.*] Idem per hyemem Naxo Catanam statione mutata se contulerunt, & castra, quæ à Syra-

cusanis incensa fuerant rursus excitarunt, & [*illic*] hyemarũt. Triremem autem amicitiæ conciliandæ causa Carthaginẽ miserunt, si quod auxilium [*illinc*] impetrare possent. Miserunt etiam in Hetruriam, quia nonnullæ ciuitates vltro se belli socias fore spoponderant. Nuntios etiam ad Siculos circummiserunt, miserunt & Egestam, ac imperarunt, vt sibi quàm plurimos equites mitterent. Et lateres, & ferrum, & cætera, quæ ad [*vrbis*] circumuallationem erant necessaria, præparauerunt, vt vere statim ineunte bellum inituri. Syracusanorum verò legati, qui Corinthum, & Lacedæmonem missi fuerant, dum [*oram Italiæ*] præterueherentur, Italis persuadere sunt conati, ne paterentur ea, quæ ab Atheniẽsibus fierent, quòd & in illorum perniciem hæc [*ab ipsis*] pariter struerentur. Cùm autem Corinthum peruenissent, [*apud Corinthios*] verba fecerunt, postulantes vt pro cognationis iure sibi auxilium ferrent. Corinthij verò confestim & ipsi [*omnium*] primi decreuerunt omni studio [*Syracusanis*] succurrendum, & cum ipsis legatos Lacedæmonem miserunt, vt illos quoque [*Lacedæmonios*] & ad bellum apertius illic gerendum aduersus Athenienses, & ad aliquod auxilium in Siciliam mittendum inducerent. Et cùm Corinthij legati Lacedæmonem venerunt, tum etiam Alcibiades cum exilij sociis tunc statim oneraria naui aduectus primùm ex agro Thurio ad Cyllenen agri Elei, mox deinde Lacedæmonem, ab ipsis Lacedæmoniis accitus, data publica fide profectus. Illos enim metuebat propter res ad Mantineam gestas. Contigit autem vt in Lacedæmoniorum concione & Corinthij, & Syracusani, & Alcibiades eadem rogantes Lacedæmoniis persuaderent, [*quæ ab ipsis petebant.*] Cùm autem Ephori, & [*cæteri Lacedæmoniorum*]

rum] Magistratus in animo haberent legatos mittere Syracusas, vt impedirent ne cum Athenienſibus paciſcerentur, nec tamen ad opem [*Syracuſanis*] ferendam animo eſſent prompto, [*tunc*] Alcibiades in medium progreſſus Lacedæmonios huiuſmodi verbis [*& ad auxilium Syracuſanis mittendum, & ad bellum Athenienſibus fortiter inferendum*] exacuit, & excitauit:

ALCIBIADIS CONCIO.

Neceſſe eſt me de mea criminatione, [*& calumnia, qua premor,*] apud vos primùm verba facere, ne propter ſuſpiciones de me conceptas, publicam cauſam alieniore animo audiatis. Quamuis mei maiores publicum veſtræ ciuitatis hoſpitium ob quoddam crimen vobis renuntiaſſent, ego tamen ipſe rurſus [*hoc*] inſtaurans, vos colebam, [*& multis, variisq; officijs proſequebar,*] cùm aliis [*in rebus,*] tum verò in clade, quam ad Pylum accepiſtis. & cùm ego in hoc ſtudio perſeuerarem, vos de cõpoſitione cum Athenienſibus agentes, [*& in gratiam cum illis redeuntes,*] inimicis quidem meis, re per ipſos tentata, [*& reconciliatione per ipſos facta,*] potentiam, mihi verò ignominiam conciliaſtis. Et propterea, cùm in eo, quòd ad Mantineorum, & Argiuorum partes tranſierim, tum etiam in cæteris rebus, in quibus ego vobis ſum aduerſatus, à me iure læſi fuiſtis. Quare ſi quis tunc, dum damnum acciperet, immeritò mihi iraſcebatur, nunc [*rem*] cum veritate, [*ac ratione in iudicium adhibita ſpectans, &*] examinans, ſententiam mutet. Aut ſi quis, quòd factionem popularem potius, [*quàm paucorum factionem*] ſectarer, me [*propterea*] deteriorem [*eſſe*] putabat, ne ſic quidem [*iſte*] ſe rectè [*mihi tunc*] infenſum fuiſſe ducat. Semper enim tyrannis fuimus infeſti,

Quicquid enim tyrannis aduersatur, id populus nominatur. Hinc autem factum est, vt popularis imperij tuendi studium in animo nostro permanserit. Præterea, quòd [*nostra*] ciuitas imperio populari regeretur, plerunque necesse [*nobis*] fuit res præsentes sequi, [*& in præsenti rerum statu acquiescere.*] Sed tamen in administranda Repub. conati sumus nos moderatiùs gerere, quàm [*popularis*] intemperantiæ consuetudo ferat. Nam & maiorum, & nostra memoria alij erant, qui plebem ad deteriora concitabant, qui me quoque eiecerunt. Nos verò Reipub. præfuimus, æquum esse censentes, in qua forma ciuitas maxima, atque libertima fuisset, & quam quis accepisset, hanc [*etiam ab eo*] conseruari. Nam cùm [*nos omnes,*] qui aliqua prudentia præditi eramus, popularem statum cognoscebamus, [*& quanta sit eius leuitas, ac improbitas, probè sciebamus,*] tum verò ipse non deteriùs, [*quam vllus alius hoc noueram: imò verò cæteris eo meliùs hoc sciebam,*] quo etiam [*grauiorem iniuriam ab eo accepi, propter quam ipsi liberius conuicium dicere, ipsumq; iure*] obiurgare possem. Sed de minimè dubia [*status popularis*] amentia nihil noui dici posset. Hunc autem [*statum*] immutare, non videbatur nobis esse tutum, quòd vos hostes [*assiduè nostræ Reipub. ceruicibus immineretis, eamq; quodammodo semper*] obsideretis. Quod igitur attinet ad meas criminationes, [*& calumnias, quæ mihi inuidiam apud vos conflauerunt,*] hæc acciderunt, [*quæ dixi, atq; hæc fuit rerum à me contra vos gestarum causa, quæ mihi vestrum odium conciliauit, & quæ me vobis suspectum reddidit.*] Iam verò [*res,*] de quibus & vobis [*est*] consultãdum, & mihi (si quid meliùs, [*quàm vos,*] noui) agendum, cognoscite. In Siciliam eo animo traiecimus, primùm quidem, vt Sicilienses, si possemus, in nostram potestatem redigere-

mus,

mus, mox verò post illos, & Italos. Deinde vt etiam illos, qui Carthaginiēsium imperio parent, atque adeò ipsos [*Carthaginiēses*] tentaremus, [*ac experiremur an eos quoque subigere possemus.*] Quòd si hæc [*nobis*] successissent, aut omnia, aut etiam pleraque, tunc verò Peloponnesum aggredi statueramus, vniuersis Græcorum copiis, quas nobis illinc adiunxissemus, adductis, multisque barbaris mercede conductis, & Iberis, & aliis, qui [*omnium*] barbarorum in illis regionibus habitantium sine controuersia bellicosissimi nunc habentur; ædificatis etiam permultis triremibus, præter nostras (quòd Italia magnam materiæ copiam habeat) quibus Peloponnesum circuncirca obsidentes, & peditatu pariter à terra [*inuadentes, his*] subsidiis, vrbium aliis quidem per vim captis, aliis verò circumuallatis, sperabamus fore, vt [*eam*] facilè debellaremus, postea verò totius etiam Græciæ imperio potiremur. Pecuniam verò, & commeatum, vt res illas, [*quas animo conciperamus,*] commodiùs perageremus, [*illa*] ipsa regionum illarum oppida [*nobis*] adiuncta, præter huius regionis prouentus, [*quibus sine negotio frui potuissemus, nobis*] erāt abundè suppeditatura. Quæ igitur fuerint nostra consilia de classe nunc [*in Siciliam*] profecta, ex homine, qui res ista exploratissimas habet, audistis. Et [*quamuis illinc discesserim, tamen Athenienſium*] duces, quotquot [*illic sunt*] reliqui, æquè [*ac si ego quoque illic essem,*] hæc, si possint, peragent. Quòd autem & res illæ saluæ esse nequeant, nisi [*quamprimum ipsis*] succurratis, iam discite. Sicilienses enim, sunt illi quidem [*homines rei militaris*] imperiti: sed tamen si frequentes in vnum coëant, nunc etiam superstites esse poterunt. Syracusani verò, quòd & prælio, ad quod maximas copias ex omni totius populi ordine, ac ætate

collectas duxerant, [*ab Athenienſibus*] ſuperati fuerint, & claſſe ſimul [*ab iiſdem*] coërceantur, [*liberoq́ maris vſu prohibeantur,*] Athenienſium [*bellico*] apparatui, qui nunc illic eſt, reſiſtere non poterũt. Quòd ſi hæc vrbs capiatur, reliqua etiam Sicilia, mox & Italia occupabitur. Atque periculum, quod illinc [*vobis impendere*] modò prædixi, non multo pòſt in vos irruet. Quare nemo de Sicilia tãtùm: ſed etiam de Peloponneſo [*ſe*] conſultare putet, niſi hæc, [*quæ ſuadeo,*] celeriter feceritis. Eum autem exercitum in naues impoſitum illuc mittetis, [*qui collectus erit ex iis,*] qui [*eò*] delati, iidem & remiges, & mox milites erunt. Et (quod ipſo exercitu longè vtilius eſſe puto) virum Spartanum imperatorem, vt & illos, qui [*in Sicilia iam*] adſunt, in officio contineat, & illos, [*qui adeſſe*] recuſant, [*ad eò veniendum, & ad officium faciendum*] compellat. Sic enim & qui vobis amici ſunt, maiorem habebunt fiduciam, & qui animo ſunt dubio, minùs timidè [*ad vos*] accedent. Et quod attinet ad huius regionis loſa, oportet [*vos*] ſimul hinc apertiùs [*Athenienſibus*] bellum inferre, vt & Syracuſani, exiſtimantes vos [*de ſua ſalute*] ſolicitos eſſe, magis, [*& alacriùs Athenienſibus*] reſiſtant, & Athenienſes aliud auxilium ſuis [*in Siciliam*] minùs mittant. Deceleam autem, quæ eſt in Attica, oportet munire, quod Athenienſes perpetuò præcipuè formidant, & hoc ſolum [*incommodum*] in bello ſe non expertos eſſe putant. Et ſanè quis ita certiſſimis damnis hoſtes afficiat, ſi quæ maximè ipſos formidare ſenſerit, hæc ipſe planè comperta habens, [*ipſis*] infetat. Veriſimile enim eſt ſingulos ipſorum ſua ipſorum mala, vndè periculum aliquod impẽdeat, optimè cognoſcere, ac formidare. Commoda autem, quæ ex hac munitione extructa [*vos*] ipſi percipietis, & [*quibus*] aduerſa-

rios

rios [*frui*] prohibebitis, vt multa omittam, ea, quæ maxima sunt, summatim dicam. Nam & ea, quibus [*ipsorum*] ager est instructus, pleraque, partim quidem [*à vobis per vim*] capta, partim verò sua sponte in vestram potestatem venient. Et prouentibus, quos percipiunt ex argenti fecturis, quæ sunt in Laurio [*monte,*] & commodis, quæcunque nunc ex agro, iudiciisque capiunt, statim priuabuntur. præcipuè verò [*grauissimum detrimentum capient.*] si à sociis vectigalia non afferantur, qui existimantes bellum à vobis acriter iam administrari, [*vectigalia ad ipsos afferre*] negligent. Quarum rerum vt aliquid maturè & impigrè fiat, in vobis est situm, Lacedæmonij. Nam [*hæc*] fieri posse (existimo autem fore, vt opinione minimè fallar) prorsus confido. Sed (*à vobis*] peto, ne cuiquam vestrum deterior esse videar, si cum infestissimis [*meæ patriæ*] hostibus ego, qui quondam patriæ amans habitus sum, iam contra meam ipsius [*patriam*] acerrimè tendam: néve oratio mea veniat in suspicionem studij, quo exules vti solent, [*vt hac sua animorum alacritate, quam oratione demonstrant, eorum, apud quos verba faciunt, beneuolentiam sibi concilient.*] Exul enim sum propter improbitatem illorum, qui [*vrbe me*] expulerunt: sed non à vestra (si mihi credideritis) vtilitate [*exulo: verum ad vos accessi, vt magnas vtilitates vobis afferam, si meam sententiam sequi velitis.*] Neque verò vos, qui [*nobis*] hostibus aliquando nocuistis, mihi pro hostibus magis estis habendi, quàm qui amicos coëgerunt hostes fieri. Et amorem in patriam retineo, nō quum [*à meis ciuibus*] iniuriam accipio: sed [*hoc in patriam studium tunc retinebam,*] quum in Repub. tutò viuebam. Neque existimo me bellum inferre ei, quæ adhuc patria [*mihi*] sit; imò verò potius eam, quæ [*mihi*] nulla est, recuperare. Atque is

verè est patriæ amans, non qui suam, quam iniustè amisit, non inuadit: sed qui eam, propter illius desideriũ, quauis ratione recuperare conatur. Quamobrem, Lacedæmonij, à vobis peto, vt opera mea & in periculis [*suscipiendis*,] & in omnibus laboribus [*vestræ Reipub. causa subeundis*,] intrepidè vtamini, & sciatis id, quod ab omnibus passim iactatur, si, dũ hostis essem, [*vobis*] vehementer nocui, me etiã si [*vobis*] amicus sim multũ [*vobis*] prodesse posse, idq; [*eo magis*,] quo [*magis*] res quidẽ Atheniensium cognitas habeo: vestras verò coniecturis assequebar. A vobis etiam [*peto*,] vt, cùm nũc de maximi momenti rebus consultari sentiatis, ne expeditionem in Siciliam, atque in Atticam suscipere vos pigeat: vt exiguam manu [*illuc*] vnâ [*cum cæteris militiæ sociis*] profecti, res magnas, quæ illic sunt, conseruetis, & Atheniensium potentiam, & præsentem, & futuram euertatis, & in posterum ipsi tutò [*in vestris sedibus*] habitetis, & vniuersæ Græciæ non inuitæ: sed voluntariæ, & per beneuolentiam, imperium obtineatis. Atque Alcibiades quidem hæc dixit. Lacedæmonij verò, cùm & ipsi iam antè bellum Athenis inferre cogitarent: sed adhuc cunctarentur, & occasionem obseruarent, [*tunc*] multo magis confirmati sunt, postquàm ipse [*Alcibiades ipsos*] hęc singula docuit, quòd existimarent se [*hæc omnia*] audisse ab eo, qui [*hæc ipsa*] planissimè nosset. Quamobrem animum iam appulerunt ad muniendam Deceleam, & ad aliquod auxilium Siculis statim mittendum. Cùm autem Gylippum Cleandridę [*filium*] Syracusanis ducem assignassent, [*ipsisq; præfecissent*,] iussĕrũt [*eum*] cum ipsis, & Corinthiis consultare, operamque dare, vt pro præsenti rerum facultate maximum aliquod auxilium Siculis, idque primo quoque tempore mitteretur. Ille verò Corin-

rinthiis imperauit, vt tunc quidem duas naues Asinen ad se mitterent, reliquas verò præpararent, quascunq; mittere destinassent, vtque, quum tempus adesset, ad nauigandum essent paratæ. His autem constitutis, Lacedæmone discesserunt. Athenienſium etiam triremis, quam duces ad pecunias, & equites [*adducendos*] miserant, [*Athenas*] ex Sicilia peruenit. Athenienses verò, cùm [*postulata suorum ducum*] audissent, & commeatum, & equitatum exercitui mittere decreuerunt. Atque hæc hyems exiit, & huius belli, quod Thucydides conscripsit, decimus septimus annus excessit. Insequentis autem æstatis vere statim ineunte, Athenienses, qui erant in Sicilia, castris è Catana motis, nauigarunt aduersus Megara, quæ sunt in Sicilia, vnde (quemadmodum & prius à me commemoratum est) Syracusani, Gelone tyrannidem obtinente, oppidanis expulsis, agrum ipsi [*occuparunt, quem etiam nunc*] habent. Exscensu autem ex nauibus in terram facto, & agros [*Megarensium*] vastarũt, & ad quandam Syracusanorum munitionem profecti, cùm eam non expugnassent, rursus & itinere pedestri, & nauibus ad Teream fluuium se receperunt, & cùm in [*loca mediterranea, atq;*] campestria ascendissent, [*ea*] vastarunt, & frumentum incenderunt. Et cùm incidissent in nonnullos Syracusanos, quorum numerus non erat magnus, & [*eorum*] aliquot interfeciſſent, & trophæum erexissent, ad classem redierunt. Et Catanam reuersi, & illinc assumptis cibariis [*ad profectionem necessariis,*] cum omnibus copiis aduersus Centoripa Siculorum oppidum iuerunt, eoque per deditionem certis conditionibus factam in suam potestatem redacto, discesserunt, & dum iter facerent, segetes Inessæorum, & Hyblęorum incenderunt. Catanam autem reuersi, offen-

dunt equites ducentos quinquaginta, sine equis: ac cum illorum cultu, quòd ipsam Siciliam equos suppeditaturam putarent, & equestres sagittarios triginta, & trecenta argenti talenta, Athenis aduecta. Eodem vere, Lacedæmonij expeditione aduersus Argos susceptа, progressi quidem sunt ad Cleonas vsque: sed facto terræmotu [*domum*] redierunt. Postea verò Argiui irruptione in agrum Thyreaticum suo finitimum facta, magnam Lacedæmoniorum prædam ceperunt, quæ talentis non minus viginti quinque vendita fuit. Neque multo pòst, eadem æstate, populus Thespiensis impetum fecit in Magistratus: sed rerum non est potitus. Sed cùm Athenienses opem [*ipsi populo suos Magistratus, ac potentiores, & nobiliores viros aggresso*] tulissent, partim quidem comprehensi fuerunt, partim verò Athenas confugerunt. Eadé æstate Syracusani, cùm intellexissent equites ad Athenienses venisse, & iam aduersus se venire statuisse, existimantes, si Athenienses non occupassent Epipolas, locum præruptum, & vrbi imminentem, se non facilè circumuallatum iri, ne si prælio quidem superati fuissent, aditus, qui ad ipsas [*Epipolas*] patebant, [*præsidio*] tueri constituerunt, ne per hos [*aditus in summum illius collis verticem vrbi impendentem*] hostes clàm se ascenderent. nulla enim alia parte ipsos [*illuc ascendere*] posse [*persuasum habebant.*] Nam reliquæ illius collis partes sunt altæ, [*& præruptæ*] & ad vrbem vsque decliues, [*ac vrbi impendentes,*] & introrsus omnino patentes, [*& conspicuæ.*] Et [*locus iste*] à Syracusanis [*ideò*] vocatus est Ἐπιπολαὶ, quòd sit ἐπιπολῆς τοῦ ἄλλου, [*id est, quòd supra cætera loca, campestria scilicet, emineat.*] Atque hi quidem cum vniuersis totius populi copiis, simul ac dies illúxit, in pratum, iuxta Anapum fluuium, egressi

(iam

(iam enim Hermocrates imperator, eiusque collegæ imperium acceperant) exercitum recensuerunt: & prius ex omni grauis armaturæ numero septingentos eximiæ virtutis viros delegerunt, quibus Diomilus Andrius exul præerat. vt & Epipolis essent præsidio, &, si ad aliquid aliud [*peragendum, ipsorum opera*] opus esset, in vnum congregati, celeriter adessent. Postridie autem huius noctis Athenienses exercitum lustrarunt, & iam cum vniuersis copiis è Catana profecti, ad locum nomine Leonem, ab Epipolis sex septémve stadiis distantem clàm ipsis [*Syracusanis*] appulerunt, & peditatum in terram exposuerunt, & cum classe Thapsum subierunt, [*ibiq; stationem habuerunt.*] Est autem peninsula, quæ angusto terræ limite in mare prominet, neque, siue mari, siue terra, multum à Syracusis distat. Nauticus autem Athenienſium exercitus in hac Thapso, angusto [*eius*] terræ limite circumuallato, quieuit. Sed peditatus cursu confestim ad Epipolas contendit, & per Euryelum [*illuc*] ociosus ascendit, [*& occupauit,*] priusquàm Syracusani, qui suas copias in prato recensebant, cognita [*re*] adessent. Accurrerunt autem ad opem [*Epipolis*] ferendam cùm alij, quanta maxima quisque celeritate poterat, tum etiam illi sexcenti, quibus Diomilus præerat. Interiacebat autem inter pratum, & locum, vbi cum hoste manus conseruerunt, spatium non minus quinque, ac viginti stadiorum. Hocigitur modo, perturbatis ordinibus, Syracusani impressione in ipsos facta, & ad Epipolas prœlio victi, in vrbem redierunt: & cùm Diomilus, tum etiam ex aliis, [*qui eum sequebantur, in ea pugna*] circiter trecenti ceciderunt. Postea verò Athenienses, cùm trophæum erexissent, & fide publica interposita Syracusanis

mortuos reddidissent, postridie ad ipsam vrbem descenderunt: sed cùm [*Syracusani*] aduersus eos non prodiissent, regressi, castellum ad Labdalum, in summa Epipolarum crepidine, Megara versus spectans, excitarunt, vt ipsis locus esset, in quo & instrumenta [*bellica, sarcinasq; militares*,] & pecunias reponerent, quotiescunque vel ad pugnandum, vel ad aliquam munitionem extruendā prodirent. Nec multo pòst ad ipsos venerunt cùm Egesta trecenti [*equites*,] & Siculorum, Naxiorum, ac aliorum quorundam, circiter centum. Atheniensium verò fuerunt ducenti, & quinquaginta, qui ab Egestæis, & Catanæis equos acceperunt, reliquos verò emerunt. Vniuersorum autem equitum, qui collecti fuerunt, summa extitit sexcentorum, & quinquaginta. Athenienses igitur, cùm præsidium in Labdalo collocassent, aduersus Sycam iuerunt; vbi considentes, murorum ambitum [*ab ea parte, vbi castra posuerant*,] celeriter ædificarunt. Hac autem ædificationis celeritate terrorem Syracusanis incusserunt. Quamobrem aduersus [*hostem*] progressi, prœlium committere, neque [*rem*] negligere in animo habebant. Sed cùm vtrinq; acies inter se aduersæ iam instruerentur, Syracusanorum duces animaduertentes suum exercitum esse dissipatum, nec in ordinem facilè redigi posse, [*eum*] in vrbem reduxerunt, excepta quadam equitum parte. Isti enim remanserunt, vt impedirent Athenienses, ne lapides [*ad ædificium extruendum*] ferrēt, néve longiùs vagarentur. Sed Athenienſium vna grauis armaturæ cohors, & cum ea omnes equites impressione in Syracusanorum equitatum facta, [*eum*] in fugam verterunt, & nonnullos interfecerunt, huiusque prœlij equestris, [*ex quo victores discesserant*,] trophæum statuerunt. Postridie verò

Athe-

Athenienſium alij quidem. ambitum muri Boreã verſus ſpectantis extruebant, alij verò, lapides, & ligna comportabant, & in loco, qui Trogilus vocatur, ſemper deponebant, qua parte, à magno portu [*vſque*] ad alterum mare, muri ædificatio ipſis erat breuiſſima. Syracuſani verò, potiſſimùm Hermocratis ducis ſuaſu, cum omnibus totius populi viribus cum Athenienſibus pugnare, belliq; fortunam periclitari amplius nolebant: ſed viſum eſt ſatius eſſe murum ſubſtruere, qua parte illi ſuũ erant ducturi, &, ſi [*hoſtem*] anteuertiſſent, [*atque ſuum murum ante ipſius aduentum ſubſtruxiſſent, ipſum à ſe*] diſcluſum iri [*ſperabant.*] Simul etiã, ſi interea [*dum opus facerent, Athenienſes*] contra [*ſe*] veniſſent [*ad opus impediendum, exiſtimabant*] ſe aduerſus [*ipſos*] partem exercitus miſſuros, & aditus maturè præoccupaturos, vallisque munituros. Quòd ſi hoſtes ſuas omnes copias contra ſe cõuertiſſent, [*hoc modo putabant*] illos opus facere ceſſaturos, [*& munitionum aduerſus Syracuſas extruendarum, ac earum circumuallandarum finem facturos.*] Egreſſi igitur, murum ædificare cœperunt, quem initio ab vrbe ſua facto, ſub ambitu muri ab Athenienſibus extructi, tranſuerſum duxerunt, exciſis oleis fani, & ligneis turribus [*in eo*] erectis. Athenienſium enim claſſis in magnum portũ ex Thapſo circumuecta nondum peruenerat: ſed Syracuſani, maris imperium [*in locis vrbi ſuæ vicinis*] adhuc obtinebant. Athenienſes verò [*commeatum, &*] res neceſſarias itinere terreſtri ex Thapſo [*in ſua caſtra*] afferebant. Cùm autem Syracuſani vallum, muriq; ſubſtructionem [*ad hoſtium vim propulſandam*] ſatis firmam eſſe iudicaſſent, nec Athenienſes ad eos impediendos veniſſent, veriti ne [*Syracuſani*] ſe bifariam diuiſos faciliùs oppugnarent, ſimul et-

iam suam circumuallationem, [*qua Syracusas circumuallare cupiebant, absoluere*] properantes: Syracusani quidem, vna cohorte ad [*sui*] ædificij custodiam relicta, in vrbem redierunt. Athenienses verò ipsorum aquæductus fistulas, quæ per cuniculos aquam ad potandum in vrbem ducebant, interciderunt. Et cùm obseruassent Syracusanos, partim quidem meridianis horis intra tentoria se continentes, partim verò etiam in vrbem reuersos, & illos, qui intra vallum erant, negligenter [*id*] custodientes, trecentos ex suis electos, & nonnullos ex leui armatura delectos, & armatos præmiserunt, quibus imperarunt, vt ad subiectam [*hostium*] munitionē cursu repentè curterent. Reliquus verò exercitus bifariam [*est diuisus, eiusq;*] vna quidem pars cum altero duce ad vrbem contendit, si [*fortè Syracusani*] contra [*ipsos ad opem suæ munitioni ferendam*] accurrerent, altera verò, cum altero [*duce contendit*] ad vallum portulæ vicinum. Hi autem trecenti vallum aggressi capiunt, & custodes eo deserto, in exteriorem [*vrbis*] munitionem, quæ erat in Temenite [*loco sic appellato,*] confugiunt. Et qui ipsos persequebantur, vnâ cum ipsis [*illuc*] irruperunt, quamuis autem [*illuc*] ingressi fuissent, per vim tamen à Syracusanis illinc reiecti fuerunt. ibiq; nonnulli Argiui, & Athenienses non multi occisi fuerunt. Vniuersæ autem [*Athenienſium*] copiæ [*illinc*] reuersæ & munitionem [*à Syracusanis sub Athenienſium munitione*] ſubſtructam diruerunt, & vallum reuulserunt, & vallos apud se transportarunt, ac trophæum erexerunt. Postridie verò eius diei Athenienses à [*muri*] ambitu, [*quem iam absoluerant,*] rupem paludi imminentem munire cœperunt, quæ ab hac Epipolarum parte magnū portum versus vergit, & quâ ipsis per [*locum*] planum,

& pa-

& paludem in portum descendentibus breuissimus muri ambitus erat futurus. Interea verò Syracusani egressi, rursus & ipsi vallum [*transuersum*] ducere cœperũt inchoatum ab vrbe, per mediam paludẽ. [*quâ propter cœnum congestum, ac duratum erat firmissima.*] simul etiam fossam prope [*vallum*] duxerunt, ne Athenienſibus murum ad mare vsque producere liceret. Illi verò, postquàm munitionem in [*Epipolarum*] rupe cœptam absoluerunt, Syracusanorum vallum, fossamque rursus aggredi statuerunt. Quare classem quidem ex Thapso in magnum Syracusanorum portum circumuehi iusserunt, ipsi verò sub auroram, cùm ab Epipolis in planum descendissent, & per paludem (quâ cænosa, & maximè solida erat (supra fores, asseresq; substratos transissent, sub ipsum diluculum capiunt & vallum, præter exiguam partẽ, & fossam, [*sed paulo pòst*] & illam partem, quæ reliqua erat, ceperunt. Et [*ibi*] prœlium commissum est, & Athenienses in eo victores extiterunt. Et Syracusani, qui dextrũ cornu tenebant, ad vrbem fugerunt, qui verò in sinistro [*collocati erant*,] ad fluuium [*fuga se receperunt.*] Cùm autem trecenti illi Athenienſium delecti milites transitum ipsis intercludere vellent, ad pontem cursu contenderunt. Quod veriti Syracusani (hîc enim & pleriq; equites ipsis aderant) cum his trecentis manus conserunt, eosq; in fugam vertunt, & impressionem in dextrum Atheniensium cornu faciunt. cùm autem isti [*in hostes*] impetum fecissent, & prima illius cornu cohors perterrita est. Lamachus verò, cùm [*hoc*] animaduertisset, à suo sinistro cornu cum non multis sagittariis, assumptis etiam Argiuis, ad opem [*suis*] ferendam accurrit. Et fossam quandam transgressus, & cum paucis vnâ transgressis desertus occubuit.

& cum eo quinque, aut sex. Hos autem Syracusani maxima celeritate confestim arreptos trans fluuiũ ante [*reliquarum copiarum aduentum*] in locum tutum transportarunt. sed cùm iam & reliquus Athenienſium exercitus aduersus ipsos veniret, abierũt. Interea verò illi de Syracusanis, qui initiò ad vrbẽ confugerant, cùm hæc fieri viderent, & ipsi sumptis animis, ab vrbe rursus aciem aduersus Athenienses sibi oppositos instruxerunt, & quandam suorum partem miserunt ad [*muri*] ambitum, qui Epipolas cingebat, existimantes fore, vt [*eum*] desertum, [*& præsidio nudatum*] caperent. Et [*qui missi sunt,*] ipsorum quidem [*Athenienſium*] exteriorem decem iugerum munitionem ceperunt, ac diripuerunt. Nicias verò impediuit ne ipsum etiam [*muri*] ambitum [*occuparent.*] Casu enim ob infirmam valetudinem in eo relictus fuerat. Is enim machinas, omnemque materiam, quæ ante murum erat obiecta, à [*suis*] ministris incendi iussit, postquàm animaduertit se propter virorum solitudinem, [*ac defensorum inopiam*] nullam [*periculi vitandi, atq;*] salutis conseruandæ facultatem alia ratione habituros. Atque res ita cecidit. Nam Syracusani propter incendium propius accedere non sunt ausi: sed se retro receperunt. Etenim ex locis inferioribus subsidium Athenienſium, qui Syracusanos, qui illic erant, insequuti fuerant, ad [*illius muri*] ambitum iam redibat, & ipsorum classis ex Thapso simul (vt dictum est) in magnum portum nauigabat. Quæ cernentes illi Syracusani, qui in superioribus locis erant, celeriter [*illinc*] abierunt, & reliquus ipsorum exercitus in vrbem [*rediit,*] quòd existimarent non satis virium sibi iam adesse ad impediendum hostem, ne murum ad mare duceret. Postea verò Athenienses trophæum erexe-

runt,

runt: mortuosque Syracusanis interposita fide publica reddiderũt, & Lamachi comites, ipsumq; recepérunt. Cùm autẽ omnis exercitus naualis pariter, & pedestris ipsis iam præstò esset, Syracusanos duplici muro concluserunt, quem ab Epipolis, & prę-ruptis [*earum*] partibus initio ducto ad mare perduxerunt. Commeatus autem ad [*ipsorum*] exercitum vndique ex Italia comportabantur. Ex Siculis etiam multi ad Athenienses accesserunt socij, qui prius circumspiciebant, [*belli euentum expectantes, illorumq; societatẽ sequi cunctantes.*] Ex Hetruria quoque [*venerunt*] tres naues, quæ singulæ quinquaginta remis agebantur. Deniq; cætera sic ipsis succedebant, vt [*magnam victoriæ*] spem ipsis ostenterent. Etenim Syracusani non amplius existimabãt se bello superiores euasuros, quòd ne ex Peloponneso quidem vllum auxiliũ ad ipsos veniret. Quare cùm inter se ipsos, tum etiam cum Nicia de compositione facienda agere cœperunt. Hic enim, defuncto Lamacho, [*totius exercitus*] imperium solus iam habebat. Et nihil quidem transigebatur: sed (vt fieri solet ab hominibus, qui sunt consilij inopes, & qui obsidione arctiùs, quàm antea, premuntur) cùm apud illum multa proponebantur, tum etiam in vrbe lõgè plura [*dicebantur.*] Etenim & quædam mutua suspicio propter præsentia mala inter ipsos erat orta. Quamobrem ipsis etiam ducibus, quorum ductu hæc ipsis acciderant, quasi propter illorum vel infelicitatem, vel proditionem clades accepissent, imperium abrogarunt, & alios, Heraclidem, & Euclem, & Telliam, in illorum locum surrogarunt. Interea verò Gylippus Lacedæmonius, & naues Corinthiacæ Leucadem iam appulerant, eo animo, vt quàm celerrimè in Siciliam ad opem [*Syracusanis*] ferendam traiicerent. Cùm autem

atroces nuntij ipsis afferentur, omnesque in idem mendacium congruentes, Syracusas iam omnino circumuallatas esse, Gylippus Siciliæ quidem [*conseruandæ*] nullam spem amplius habebat: Italiam verò conseruare cupiens, ipse, & Pythen Corinthius, cum duabus Laconicis nauibus, totidemque Corinthiacis, quàm velocissimè transmisso Ionio, Tarentum peruenerunt. Corinthij verò, præter suas decem, duabus Leucadiis, & tribus Ambraciotis instructis [*in Siciliam*] postea nauigare constituerant. Et Gylippus quidem Tarento primùm in agrum Thurium pro legato profectus, ex ciuitatis iure, quo pater ipsius quondam [*à Thuriis*] donatus fuerat, cùm ipsos sibi socios adiungere non potuisset, [*illinc*] soluens, Italiæ oram præteruehebatur, & in sinu Terinæo abreptus à vento (qui hac in parte oppositus Boreæ vehementer spirat) in altum defertur, & rursus acerrima tempestate iactatus, Tarentum appellit. Naues autem, quotquot tempestate quassatæ fuerant, subduxit, & refecit. Nicias verò, cùm eum [*in Siciliam*] venire audisset, nauium, [*quas ille secum ducebat*,] paucitatem contempsit. quod & Thurij fecerunt. Existimauit enim [*ipsos*] prædonum ritu instructos nauigare, atque [*propterea*] nullam custodiam adhuc adhibebat, [*vt ab eo sibi caueret.*] Per eadem huius æstatis tempora Lacedæmonij, cùm ipsi, tum [*ipsorum*] socij irruptionem [*vnâ cum ipsis*] in agrum Argiuum fecerunt, eiusque magnam partem vastarunt. Athenienses autem cum triginta nauibus, quæ fœdera, quæ ipsis cum Lacedæmoniis intercedebant, manifestissimè rupe-runt, Argiuis auxilium tulerunt. Prius enim Pylo [*in agrum vicinum excurrentes,*] & in cæteram Peloponnesum potius, quàm in Laconicam exscendentes,

dentes, cum Argiuis & Mantinæis latrocinia potius exercebant, quàm [*iustum*] bellum gerebant. Quamuis enim Argiui [*ipsos*] sæpe rogassent, vt armata manu vel appellerent solùm ad Laconicam, & minima [*illius*] parte secum vastata discederent, [*illi tamen hoc facere*] noluerunt. Tunc verò Pythodoro, & Læspodio, & Demarato ducibus, exscensu ex nauibus facto in Epidauri Limeræ, & Prasiæ agrum, ac in alia quædam illius regionis loca, eorum agrum vastarunt, & [*hoc modo*] effecerunt, vt Lacedæmonij multo honestiorem sese aduersus Athenienses tuendi occasionem iam haberent. Cùm autem Athenienses ex agro Argiuo [*domum*] cùm classe reuertissent, & Lacedæmonij [*cum suis copijs ex eodem se recepissent,*] Argiui irruptione in agrum Phliasium facta, eius partem vastarunt, & nonnullos Phliasiorum interfecerunt, domumq; redierunt.

FINIS LIB. VI.

THVCYDIDIS, OLORI F. DE BELLO PELOPONNESIACO, Liber septimus.

GYLIPPVS autem, ac Pythen, postquã naues refecerunt, Tarento [*soluentes,*] ad Locros Epizephyrios nauigarunt. Iam autem certiores facti Syracusas nondum vndiq; circumuallatas esse: sed adhuc licere cum exercitu venientibus, per Epipolas introire: consultare cœperunt vtrum à dextro Siciliæ [*latere*] nauigantes, introitum [*in vrbem*] periclitarentur, an verò dextrum [*latus*] sequentes, Himeram primùm peterent, & cùm illis ipsis [*Himeræis,*] tum etiam aliis copiis assumptis, [*ex illorum numero,*] quos [*ad hanc expeditionem secum sequẽ dam*] inducere potuisset, [*Syracusas*] itinere terrestri proficiscerentur. Ipsis autem placuit Himeram proficisci, præsertim quòd quatuor Atticæ naues nondum Rhegium appulerant, quas Nicias, [*quamuis initiò classem hostilem propter nauium paucitatem contemneret,*] tamen [*ad eius aduentum obseruandum*] miserat, cùm eos apud Locros esse intellexisset. Sed [*Gylippus, & Pythen hunc istarum nauium aduentum, atque*] has excubias præuerterunt, ac per fretum [*in Siciliam ortus*] traiecerunt. Et cùm Rhegium, ac [*inde*] Messanam appulissent, Himeram iuerunt, Cùm autem illic essent, Himeræos ad belli societatem, & ad se sequendum, & ad præbẽda suarum nauium nautis, quibus deerant, arma, induxerunt. Naues enim

nim Himeræ subduxerant. Præterea Selinuntios, missis [*ad eos nuntiis,*] ad quendam locum [*ipsis designatum,*] sibi cum omnibus copiis obuiam venire iusserunt. Nonnullas etiam copias non magnas se missuros ad ipsos promiserunt & Geloi, & Siculorum nonnulli, qui lõgè alacriùs, [*quàm antè,*] ad illorum societatem sequendam erant parati, tum quòd Archonides nuper decessisset, qui cùm in ea Siciliæ parte regnaret, nec parum potens esset, Athenienſibus amicus erat: tum etiam quòd Gylippus Lacedæmone alacriter venire videretur. Gylippus autem assumptis è suorum nautarum, ac epibatarum, [*id est, classiariorum militum*] numero, quos armauerat, ad septingentos, & Himeræorum, tam grauis, quàm leuis armaturæ, ex vtrisque promiscuè ad mille, & equitibus centum, & Selinuntiorum aliquot leuiter armatis, & equitibus, paucis etiam Geloorum, & Siculorum, vniuersis ad mille, Syracusas perrexit. Nec nõ Corinthij à Leucade soluentes, cum reliquis nauibus celeritate quanta maxima potuerunt ad opem [*Syracusanis*] ferendam venerunt. Et Gongylus vnus Corinthiorum dux, qui postremus cum vna naui profectus fuerat, primus quidem: sed tamen paulo ante Gylippum, Syracusas appulit. Nactus autem ipsos, [*Syracusanos,*] qui de bello sedando, & compositione facienda concionẽ erant habituri, [*hoc ne facerent,*] impediuit, ac eorum animos confirmauit, quòd dixisset alias etiam naues, & Gylippum Cleandridæ [*filium,*] ducem à Lacedæmoniis missum aduentare. Quamobrem Syracusani animis cõfirmati sunt, & confestim Gylippo cũ omnibus copiis obuiam ituri prodierunt. Iam enim ipsum aduentare audierant. Ille verò, cùm Iegas Siculorum munitionem obiter cepisset, & aciem vt ad prœlium instruxis-

set, ad Epipolas contendit. & cùm per Euryelum ascendisset, quâ & [*ipsi*] Athenienses prius [*ascenderant*,] cum Syracusanis aduersus Athenienſium munitionem perrexit. Fortè autem id temporis [*eo*] venit, quo duplex murus septem, octóve stadiorum longitudine iam ab Athenienſibus ad magnum portum perfectus erat, excepta exigua quadam [*eius*] parte, quæ mare versus spectabat. nam [*Athenienses partem*] istam adhuc ædificabant. Ab altera verò, eaque maiore ambitus [*parte,*] Trogilum versus, ad alterum mare, lapides iam cõportati iacebant, & opus alibi quidem semiperfectum, alibi verò etiam perfectum erat relictum. Eó periculi Syracusæ venerant. Athenienses verò propter repentinum, ac infestum Gylippi, & Syracusanorum aduentum, primùm quidem turbati sunt, aciem tamen instruxerunt, [*vt hosti contra se venienti resisterent.*] Ille verò, iuxta [*ipsos*] agmen sistens, caduceatorem ad ipsos præmittit, qui diceret, si intra quinque dies ex Sicilia discedere vellent, sumptis suis rebus, se paratum esse ad fœdus cum ipsis faciendum. Illi verò, [*hæc*] parui faciebant, nulloq; responso reddito [*caduceatorem*] remiserunt. Postea verò vtrique aciem aciei aduersam vt ad prœlium instruxerunt. Sed Gylippus animaduertens Syracusanos perturbari, nec facilè in suos ordines redigi, copias in locum patentiorem reduxit. Nicias verò Athenienses aduersus [*hostem*] non duxit: sed prope suam munitionem se [*cum suis copiis*] continuit. Gylippus autem, cum animaduertisset ipsos contra se non venientes, exercitum abduxit in verticem nomine Temeniten, ibique castris positis pernoctauit. Postridie verò maiorem [*suarum*] copiarum partẽ acie instructa ad Athenienſium muros duxit, ne aliò ad opem [*suis*] ferendam irent.

Qua-

Quadam autem [*copiarum*] parte ad castellum Labdalum missa, [*id*] cepit, & quotquot in eo nactus est, omnes interfecit. Is enim locus à [*cæteris*] Athenienſibus conſpici non poterat. Eodem die triremis etiam Athenienſium à Syracuſanis capta eſt, dum ad [*magnum*] portum appelleret. Poſtea verò Syracuſani, ſociiſque murum extruere cœperunt, initio ab vrbe facto, eum per Epipolas ſurſum verſus ducentes ad illum [*alterum*] tranſuerſum, [*ac*] ſimplicem [*murum à Syracuſanis iam extructum,*] vt Athenienſes, niſi [*hanc noui muri ædificationem*] impedire poſſent, [*Syracuſas*] circumuallare amplius non poſſent. Athenienſes autem muro ad mare abſoluto, in loca ſuperiora iam ſe receperant: ſed Gylippus (erat enim quædam illius muri ab Athenienſibus extructi pars infirma) noctu copiis aſſumptis, ad illam contendit. Athenienſes verò, (nam extra [*vallum*] ſtationem habebant) cùm [*hoc*] ſenſiſſent, obuiam ei iuerunt. Ille verò, cùm [*hoc*] animaduertiſſet, ſuos celeriter reduxit. Athenienſes autem hoc muro ſublimiùs excitato, ipſi quidē hîc excubias agebant, reliquos verò ſocios in reliquis illius munitionis partibus, vbi ſinguli excubias erant acturi, iam diſpoſuerant. Niciæ verò videbatur muniendus eſſe locus, quem Plemmyrium vocant. (Eſt autem promontorium eregione vrbis, quod in magnum portum prominens, eius fauces coarctat.) Hoc enim munito, commeatus [*in caſtra*] faciliùs importatum iri iudicabat. Breuiore enim interuallo prope Syracuſanorum portum ſe ſtationem habituros, neque, quemadmodum tunc [*facere cogebantur,*] ex intimo portus ſinu, [*atque longiore interuallo,*] ſe ituros contra [*hoſtes,*] ſi quid [*illi*] claſſe molirentur. Quamobrē animum ad bellum maritimum iam magis appellebat, quòd poſt ad-

uentum Gylippi minorem ſpem de rebus terreſtribus ſibi concipiendam eſſe videret. Copiis igitur, & nauibus [*eò*] traductis, tria propugnacula extruxit. In his autem pleraque inſtrumenta repoſita erant, & magna nauigia, nauesque veloces illic in ſtatione iam manebant. Quamobrem etiam tunc primùm maxima claſſiariorum militum iactura facta eſt. nam aquæ penuria laborabant, & procul [*à munitionibus*] aquari cogebantur. Præterea quoties nautæ lignatum prodibant, ab equitatu Syracuſanorum, qui terram obtinebat, [*exceptiplerique*] interficiebantur. Nam tertia equitatus pars à Syracuſanis in oppidulo, quod eſt in Olympyeo, collocata fuerat, propter illos, qui erant in Plemmyrio, ne ad agrum maleficiis infeſtandum [*illinc*] prodirent. Præterea Nicias reliquas etiam Corinthiorum naues aduentare audiebat. Quare viginti naues miſit, vt illarum aduentum obſeruarent, quibus mandatum fuerat, vt circa Locros, & Rhegium, & loca, per quę acceſſus ad Siciliam patebat, ſtationem haberẽt. Gylippus verò ſimul quidem murum, quem per Epipolas ducebat, extruebat, vtens lapidibus, quos Athenienſes in vſum ſuum aggeſſerant, ſimul etiam Syracuſanos, & ſocios in aciem extra munitionem producebat. Et Athenienſes [*viciſſim & ipſi ſuam*] aciem illis oppoſitam inſtruebant. Poſtquàm autem Gylippo tempus opportunum adeſſe viſum eſt, hoſtes prior aggreſſus eſt. Et cùm ad manus veniſſent, pugnarunt in eo ſpatio, quod inter [*vtrorunque*] munitiones erat, vbi nullus erat vſus equitatus Syracuſanorum, atque ſociorum. Cùm autem Syracuſani, ſociique [*in ea pugna ab hoſte*] victi fuiſſent, ſuorumque cadauera fide publica interpoſita ſuſtuliſſent, [*ac recepiſſent,*] & Athenienſes trophæũ erexiſſent, Gylippus conuocatis copiis, non illa-

cum:

rum: sed suam culpam fuisse dixit. Se enim equitatus, ac velitum vsum [*ipsis*] eripuisse, quòd inter [*vtrorunque*] munitiones, in loco nimis angusto aciẽ instruxissent. Nunc autem se rursus [*illos aduersus hostes*] educturum. Quare iubebat illos ita secum cogitare, se quidem bellico apparatu [*hostibus*] inferiores non futuros, animis verò sic esse statuendũ, minimè ferendum fore, nisi ipsi, qui Peloponnesij, & Dorienses essent, Iones, & insularum incolas, & conuenas homines, superatos, ex [*sua*] regione eiicere vellent. Postea verò, cùm tempus opportunum veniisset, eos in hostem rursus eduxit. Nicias verò, & Athenienses, existimantes ipsi quoque, quamuis initium prœlij facere, [*hostemq; prœlio lacessere*] nollent, sibi tamen necessarium esse, non pati murum prope [*suas munitiones ab hostibus*] ædificari. (Iam enim murus, qui ab illis [*Syracusanis*] ædificabatur, propemodum vel vltra extremitatem muri ab Athenienſibus extructi processerat. Qui si processisset, iam duplex commodum ipsis [*Syracusanis*] attulisset, vt & pugnantes, assiduè vincerent, &, [*si mallent,*] prœlio supersederent.) In aciem igitur contra Syracusanos prodierunt. Gylippus verò, grauis armaturæ militibus extra munitiones longiùs, quàm antè, productis, manus cum ipsis [*Athenienſibus*] conseruit. Equitatum verò, & velites à latere Athenienſium, in loco spatioso collocauerat vbi vtrarunque munitionum opera desinebant. Hic autem equitatus in ipso prœlio impressione facta in sinistrum Athenienſium cornu, quod ipsi erat oppositum, [*id*] in fugam vertit. Et propterea reliquus etiam [*illorum*] exercitus à Syracusanis victus, in [*suas*] munitiones præceps est compulsus. Nocte autem insequẽti [*Syracusani victores*] murum prope munitionem Athenienſium ocius ædifi-

carunt ac vltra [*eam*] perduxerunt, ita vt neque ipsi ab illis amplius impediri possent, [*ne murum absoluerent,*] & [*ipsi*] vel omnem in posterum sui circumuallandi facultatem, quamuis [*Athenienſium copiæ ſuas*] vincerent, illis eriperent. Postea verò Corinthiorum, & Ambraciotarum, & Leucadiorum naues, quæ reliquæ erant, numero duodecim, clàm Athenienſium [*nauali*] custodia in [*Syracuſarum portum*] nauigarunt, [*& ad vrbem appulerunt.*] Illis autem præerat Erasinides Corinthius. Et in reliqua [*muri parte*] ædificanda, [*atque*] vsque ad [*alterum*] transuersum murum [*iam à Syracuſanis abſolutum perducenda*] Syracusanos adiuuerunt. Gylippus autem cæteram Siciliam obiuit, vt nauales, pedestresque copias colligeret, simul etiam vt ciuitates ad societatem secum ineundam solicitaret, siqua aut propensa non erat [*ad bellum,*] aut à bello prorsus adhuc [*abhorrens*] abstinebat. Alij quoque Syracusanorum, & Corinthiorum legati Lacedæmonem, & Corinthum missi fuerunt, vt nouus exercitus traiiceretur, quocunque modo [*hoc fieri poſſet,*] siue nauibus onerariis, siue nauigiis, siue quacunque alia ratione [*res commodè*] succedere posse videretur, quòd & Athenienses [*præter eas, quas iam habebant, alias etiam copias*] accerserent. Et Syracusani classem instruebant, [*& militibus, rebusque ad prælium nauale neceſſariis explebant.*] & huius quoque rei periculum faciebant, quòd hanc quoq; rem aggredi, [*huicq; ſedulam operam nauare*] statuissent, & in cæteras res totis viribus incumbebant. Nicias verò, cùm hoc intellexisset, & hostium quidem potentiã, suam verò [*rerum omnium*] penuriam in dies crescere videret, nuntios & ipse Athenas misit, sæpe quidem & aliàs, de singulis [*rebus,*] quæ gerebantur: sed tunc vel maximè, quòd

quòd res suas in maximum discrimen adductas esse, &, nisi primo quoque tempore [*Athenienses*] aut se reuocarent, aut alios non paucos mitterent, nullam salutis spem supereſſe duceret. Veritus autem ne [*nuntij,*] qui mittebantur, vel propter facundiæ, vel propter consilij inopiam, vel etiam aliquid ad populi voluntatem dicentes, vera non renuntiarent, epistolam scripsit, existimans fore, vt hoc modo potissimùm suam sententiam ab ipso nuntio minimè suppressam Athenienses cognoscerent, & de rebus veris deliberarent. Atque illi quidem, quos misit, cum literis, quas ferebant, & cum mandatis, quæ acceperant, quæ ipsos [*coram Athenienſibus*] exponere oportebat, abierunt. Nicias verò res castrenses iam custodiens, voluntariorum periculorum curam gerebat, [*eaq; pericula tantùm vltrò subibat, quæ salutis publicæ causa subeunda iudicabat.*] Eadem autem æstate iam extrema Euetion etiam Athenienſium dux cum Perdicca, multisque Thracibus Amphipoli bellum intulit: sed eam non expugnauit: sed triremibus in Strymonẽ circunductis, ab ipso fluuio [*vrbem*] obsidebat, ex Imeræo, [*vbi belli sedem posuerat,*] proficiscens. Atque hæc æstas excessit. Hyeme autem ineunte, qui à Nicia missi fuerant, Athenas peruenerunt, & omnia mandata, quæ ab illo acceperant, exposuerunt, &, si quis aliquid percontabatur, respondebant: epistolamque reddiderunt. Ciuitatis autem scriba in medium progressus [*eam*] Athenienſibus recitauit, cuius hæc erant verba: Res quidem antè gestas, Athenienses, ex multis aliis [*meis*] epistolis, cognouistis. Iam verò tempus postulat longè magis, [*quàm antè*] vt in quo statu sint res nostræ cognoscatis, & [*pro eo, ac opus est,*] deliberetis. Cùm enim Syracusanos, aduersus quos missi fui-

mus, maiore prœliorũ parte ſuperaſſemus, & munitiones extruxiſſemus, in quibus nunc ſumus, venit Gylippus Lacedæmonius cum exercitu, quẽ ex Peloponneſo duxit, & ex quibuſdam Siciliæ ciuitatibus. Et primo quidem prœlio à nobis ſuperatus eſt. Poſtridie verò ab equitum, velitumque multitudine per vim coacti, in [*noſtras*] munitiones nos recepimus. Nunc igitur nos propter aduerſatiorum multitudinem omiſſa [*vrbis*] circumuallatione, quieſcimus, [*& intra munitiones nos continemus.*] Nec enim omnibus [*noſtris*] copiis vti poſſumus, quòd munitionum cuſtodia magnam grauis armaturæ partem abſumat, [*quia in variis munitionum partibus armatorum præſidia ſunt collocanda, vt eas tueamur.*] Hoſtes verò murum ſimplicem iuxta noſtrum excitauerunt, ita vt eos amplius circumuallare nequeamus, niſi quis hanc munitionem noſtris vicinam, cum magnis copiis adortus expugnet. Contigit etiam vt nos, qui alios obſidere videbamur, ipſi potius, ſaltem quod ad terram attinet, hoc patiamur, [*& ab aliis obſideamur.*] Nec enim propter [*hoſtium*] equitatum procul [*à noſtris munitionibus*] per [*hoſtilem*] regionem progredimur. Præterea legatos in Peloponneſum miſerunt ad alias copias accerſendas. Et Gylippus ad vrbes Siciliæ proficiſcitur, vt earum alias quidem ad belli ſocietatem pelliciat, quotquot nunc quieſcunt, [*& ab armis contra nos ſumendis abſtinent,*] ex aliis verò præterea, pedeſtres, naualesque copias, ſi poſſit, adducat. Nam (vt ego audio) peditatu [*à terra,*] pariter & claſſe à mari noſtras munitiones tentare ſtatuerunt. Neque cuiquam veſtrum [*hoc*] arduum eſſe videatur, quòd etiam à mari [*nos aggredi ſtatuerint.*] Nam noſtra claſſis (quod & illi cognitum habent) initiò quidem & nauium ſiccitate,

tate, & hominum, qui in illis erant, incolumitate florebat. Iam verò & naues [*propter nimiam aquarum humiditatem, quam imbiberunt,*] quòd tandiu iam [*sub dio, &*] in mari manserint, sunt putrefactæ, & viri, qui eas explebant, sunt absumpti. Naues enim [*nobis*] subducere non licet, vt [*eas expurgemus, exsiccemus, atq; quodammodo*] recreemus, quòd hostium naues, quæ nostris sunt numero pares, atque adeò plures, perpetuò suspicionem [*nobis*] afferant, quòd [*iam iam nos*] sint inuasuræ. Constat autem illos [*huius rei*] periculum facere, [*& in rebus nauali bus se exercere, hisq; diligenter operam dare, vt classe quoq; nos aggrediantur.*] Et [*hostis*] inuadendi facultas penes illos est, & suas [*naues*] commodiùs exsiccare possunt. Nec enim stationes aduersus alios habent, [*vt ideo naues in mari paratas semper tenere cogantur, quemadmodum nos, qui Syracusas obsidemus.*] Nobis verò, quamuis magno nauium numero abundaremus, vix tamen hoc [*facere*] liceret, ne dum (vt nunc) excubias cum tota classe agere coactis. Nam si vel modicam custodiæ partem detrahamus, [*& nauium excubias agentium numerum minuamus,*] nullos commeatus habebimus, quos nunc quoque iuxta illorum vrbem [*præterue-cti,*] ægrè [*in castra*] importamus. Homines verò nautici, [*qui naues explebant,*] hac de causa & [*antè*] cum nostra iactura perierunt, & nunc etiam pereunt, quòd nautæ quidem, quia procul à castris lignari, prædari, & aquari coguntur, ab [*hostium*] equitatu excepti cædantur. Seruitia verò, quia castra castris opposita, [*eaq; inter se vicina nunc*] habemus, [*ad hostem*] transfugiant. Peregrinorum quoque [*militum*] illi quidem, qui coacti naues conscenderunt, in vrbes continuò dilabuntur. Illi verò, qui mercedis magnitudine primùm, allecti venerant,

& qui se quæstum potius facturos, quàm pugnaturos arbitrabantur, vbi præter opinionem viderunt & hostium classem, & cæteras res iam [*nobis*] oppositas, [*atq; resistentes*,] partim quidem occasionem nacti ad hostes transfugiunt, partim verò, prout singulis [*abeundi*] facultas offertur, [*abeunt.*] (Sicilia autem est ampla) quidam etiam hîc Hyccarica mancipia mercati, trierarchis persuaserunt, vt illa pro se in naues imponerent, atque hoc modo exactam rei nauticæ disciplinam sustulerunt. Vobis autem, qui [*hoc probè*] nostis, scribo non diuturnum esse classiariæ multitudinis vigorem, paucosque nautas reperiri, qui & nauem agere, & remigium moderari norint. Sed horum omnium [*incommodorum*] hoc est maximum, [*quod etiam me maximè solicitum reddit,*] tum quòd ego Imperator hæc [*mala*] prohibere non possim (nam vestra ingenia, [*Athenienses*] non facilè reguntur, [*ita vt alterius imperio facilè pareant.*]) tum etiam quòd non habeamus vnde nauium supplementum parare possimus (id, quod hosti multis ex locis [*facere*] licet) sed necesse sit supplementum [*illinc*] parari, vnde, quando [*huc*] venimus, & ea, quæ [*nunc*] supersunt, & ea, quæ [*iam*] absumpta sunt, accepimus. Ciuitates enim, quæ nunc [*nobis*] sunt sociæ, Naxus, & Catana, [*copias nobis supplementi causa suppeditare*] nequeunt. Quòd si hoc vnum præterea hostibus accesserit, vt Italiæ oppida, quæ nos alunt, cognito rerum statu, in quo sumus, vobisque nullum auxilium [*ad nos*] mittentibus, se illis adiungant, profectò nobis sine prœlio expugnatis bellum ab ipsis conficietur. His autem ego iucundiora quidem vobis scribere potuissem: sed tamen non vtiliora, quia necesse est vos manifestè cognoscere rerum istarum statum, vt de his consultetis. simul

mul etiam (quòd vestra ingenia probè nota habeã, quia iucundissima quidem audire vultis: postea verò conquerimini, si quid ex his, [*quæ audieritis*,] vobis non contigerit perinde, [*ac optabatis*,]) tutius esse duxi declarare quod verum est. Iam verò hoc quidem persuasum habeatis, & milites, & duces se ita gessisse [*aduersus eos*,] aduersus quos primùm venimus, vt à vobis reprehendi nequeant, [*quasi suum officium strenuè non fecerint.*] Verùm quia [*nunc*] & vniuersa Sicilia [*contra nos*] conspirat, & alius exercitus ex Peloponneso ab ipsis expectatur, decernatis iam aut eos, qui hîc sunt, reuocandos esse, quòd ne aduersus quidem præsentes [*hostes*] satis virium habeant, aut alium & pedestrem, & nauale exercitum [*hoc*] non minorem [*huc*] præterea mittendum, pecuniam etiam non paucam. Mihi verò successorem aliquem, quia ex renibus laborans, [*in imperio*] permanere, [*& imperatoris munera diutius obire*] nequeo. Dignus autem sum, qui veniam à vobis impetrem. Etenim cùm rectè valerem, obeundis imperatoris muneribus, sæpe de vobis bene sum meritus. Quicquid autem facturi estis, id ineunte statim vere, nec vlla procrastinatione vtentes, faciatis. Quia hostes breui [*temporis spatio*] res quidem Siculas comparabunt, [*coprasq; celeriter cogent*,] quæ verò ex Peloponneso [*sunt venturæ*,] tardiùs quidem: sed tamen, nisi animum [*ad eas*] aduertatis, partim quidem (vt & antè) vos latebunt, partim verò, [*vos*] præuertent. Hæc igitur sunt, quæ in Niciæ epistola continebantur. Athenienses verò his auditis, ipsi quidem imperium non abrogarunt: sed, donec alij collegæ delecti [*ad eum*] peruenirent, duos eorum, qui illic cum ipso erant, delectos ipsi adiunxerunt, ne solus infirma valetudine vexaretur. Alium etiam exercitum cen-

fuere mittendum & nauticarum, & pedestrium copiarum, tam ex Athenienſium legionariis militibus, quam ex ſociis. Et Demoſthenem Alciſthenis, Eurymedontem Theuclis [*filium*,] collegas delectos ipſi miſerunt. Atque Eurymedontem quidem ſtatim circa ſolſtitium hybernum in Siciliam miſerunt cum decem nauibus, & cum viginti argenti talentis, quæ ſecum ferebat, ſimul etiam vt illis, qui illic erant, auxilium venturum, ipſosque ciuitati curæ futuros nuntiaret. Demoſthenes verò ad apparandam profectionem remanſit, vt primo ſtatim vere diſcederet, & ad indicendum ſociis delectum, & ad comparandas illinc pecunias, naues, & grauis armaturæ milites. Præterea Athenienſes mittunt circa Peloponneſum viginti naues, vt obſeruarent ne quis Corintho, & ex Peloponneſo traiiceret in Siciliam. Nam Corinthij, poſtquàm legati ad ipſos venerunt, & res in Sicilia meliore cõditione eſſe nuntiauerunt, exiſtimantes & priorem claſſem non intempeſtiuè à ſe miſſam fuiſſe, multo magis animo confirmati ſunt, & cùm ipſi ad grauis armaturæ milites in onerariis nauibus in Siciliam mittendos ſeſe accingebant, tum etiam Lacedæmonij ad [*copias*] eodem modo ex cætera Peloponeſo mittendas [*ſeſe præparabant.*] Et Corinthij viginti quinque naues inſtruxerunt, vt pugnam naualem experirentur aduerſus ſpeculatorias illas, quæ ſtabant ad Naupactum, vtq; Athenienſes, qui Naupacti erant, ſuarũ onerariarum nauium profectionẽ minus impedirẽt, ſe ipſos tuentes aduerſus ſuarum triremium præſidium [*Atticis nauibus*] oppoſitum. Lacedæmonij verò (prout etiam antè ſecum ipſi conſtituerant) expeditionem in Atticam apparabant, inſtigantibus Syracuſanis, atque Corinthiis, poſtquàm audierunt auxilium ab Athenieuſibus

ensibus in Siciliam mitti, vt irruptione [*à Lacedæmoniis in Atticam*] facta, [*hæc auxilij missio*] impediretur. Quinetiam Alcibiades instans, [*illos*] docebat Deceleam muniendam esse, nec bellum remittendum. Præcipuè verò quoddam [*animi*] robur Lacedæmoniis accessit, quòd existimarent Athenienses, qui duplex bellum gerebant, [*vnum*] contra se, & [*alterum contra*] Sicilienses, à se faciliùs debellatum iri. Præterea quòd ipsos priores fœdera fregisse ducerent. Nam in superiore bello à se potius, [*quàm ab Athenienſibus*] peccatum fuisse [*iudicabant,*] quòd Thebani fœderum tempore Platæam inuasissent. Et, cùm in prioribus pactionibus cautum fuisset, ne arma inferrentur [*illis, qui iniuriã alteris fecissent:*] si iudiciũ subire vellent, ipsi ad iudicium, ab Athenienſibus prouocati, venire, [*iudicio stare*] noluissent. Et propterea se meritò aduersa fortuna vsos existimabant, & cùm illam cladem, quam ad Pylum acceperant, tum etiam [*aliam,*] si qua alia ipsis contigerat, animo volutantes religioni vertebant. At postquàm Athenienses cum triginta nauibus [*ex Attica*] profecti, agri Epidaurij partem, & Prasiarum, & alia loca vastarunt, quinetiam [*quia*] Pylo prodeuntes latrocinia exercebant, & quoties aliqua de re orta esset controuersia, de conditionibus, quæ in fœderibus erant dubiæ, ad iudicium à Lacedæmoniis prouocati, [*rem controuersam iudicio*] permittere nolebant: tunc verò Lacedæmonij existimantes suum illud peccatum, quod prius commiserant, idem in Athenienses [*iam*] recidisse, ad bellum animis erãt propensis. Atq; nuntiis ad socios hac hyeme circummissis ferrum [*ipsis*] imperarunt, & cætera instrumenta ad murorum extructionem [*necessaria ipsi interea*] præpararunt. Simul autem & ipsi [*res omnes ad*

expeditionem neceſſarias] parabant, [*atque ſuppeditabant,*] & cæteros Peloponneſios [*ad idem faciendum*] adigebant, vt illis, qui erant in Sicilia, auxilium in onerariis nauibus mitterent. Atque hæc hyems exiit, & huius belli, quod Thucydides conſcripſit, duodeuigeſimus annus exceſſit. Veris autem inſequentis initio ſtatim, Lacedæmonij, ſociiſque irruptionem in Atticam matutrimè fecerunt. Illos verò ducebat Agis Archidami [*filius*] Lacedæmoniorum Rex. Ac primùm quidem agri planitiem circuniacentem vaſtarunt, deinde verò Deceleam munire cœperunt, id opus inter ciuitates partiti. Abeſt autem Decelea ab Athenis circiter centum ac viginti ſtadiis, tantũdem etiam, nec multo plus à Bœotia. Hæc autem munitio, Athenas vſq; conſpicua, in planitie, & illius regionis opportuniſſimis ad maleficia exercenda locis extruebatur. Atq; Peloponneſij quidem, ac ſocij, qui in Attica erant, hanc munitionem extruebant. Qui verò in Peloponneſo erant, grauis armaturæ milites onerariis nauibus [*vectos,*] in Siciliam ſub id tempus miſerunt. Atque Lacedæmonij quidem præſtantiſſimos quoſque ſeruorum, ac libertorum in ciuitatem nuper aſcriptorum, ex vtriſq; promiſcuè ſexcentos grauis armaturæ milites delegerunt, & Ecritum ducem Spartanum, [*illuc miſerunt.*] Bœoti verò, trecentos grauis armaturæ milites, quibus præerant Xenon, & Nicon, Thebani, & Hegeſander Theſpienſis. Iſti igitur inter primos à Tænaro Laconicæ profecti, in altum vela fecerunt. Poſt horum autem diſceſſum, Corinthij non multo pòſt miſerunt quingentos grauis armaturæ milites. partim quidem ex ipſa Corintho, partim verò ex Arcadibus mercede conductis, & Alexandrũ Corinthium, quem ipſis ducem præfecerunt. Sicyonij quoq;

quoque cum Corinthiis ducentos grauis armaturæ milites miserũt, quibus præerat Sargeus Sicyonius. Illæ autem quinque & viginti Corinthiorum naues, quæ per hyemem instructæ fuerant, è regione viginti Atticarum nauium, quæ ad Naupactum stabant, in statione manserunt, donec isti grauis armaturæ milites, qui nauibus onerariis ex Peloponneso vehebantur, transissent. cuius etiam rei causa [*triremes istæ*] prius fuerant instructæ, ne Atheniensis ad onerarias naues potius, quàm ad triremes animum aduerterent. Interea verò, dum Decelea muniretur, veris initio, statim, & ipsi Athenienses circa Peloponnesum triginta naues, duce Charicle Apollodori filio, miserunt. Cui mandatum fuerat, vt & Argos profectus, ex iure societatis Argiuos ad naues militibus armatis explendas hortaretur. Item Demosthenem (quemadmodum statuerant) in Siciliam miserunt, cum sexaginta nauibus Athenienſium, & quinque Chiorum, quæ mille & ducentos legionarios Athenienſium milites armatos ferebant, & ex insularum incolis quàm potuerant vndiq; plurimos contrahere: & ex aliis suæ ditionis sociis, si cunde aliquid ad rem militarem idoneum comparare, [*secumq; ducere*] potuerant. Ipsi autem præceptum fuerat, vt primùm copiis cum Chariclis exercitu cõiunctis, simul oram Laconicam circumuectus infestaret. Et Demosthenes quidem in Æginam profectus, [*ibi*] suarum copiarum reliquias, si quæ erant, & Chariclem, donec Argiuos assumpsisset, opperiebatur. In Sicilia verò, per eadem huius veris tempora, & Gylippus Syracusas rediit, adducens ex ciuitatibus, quibus persuaserat, [*vt auxiliũ Syracusanis mitterent,*] exercitum quàm potuerat vndique maximum. Conuocatis autem Syracusanis, dixit quàm plurimas pos-

ſent naues armandas eſſe, pugnæque naualis periculum eſſe faciendum. Se enim ſperare, [*Syracuſanos,*] ſi hoc [*pugnæ genus*] tentarent, in hoc bello facinus aliquod iſto periculo, [*memoriaq;*] dignum edituros. Quinetiam Hermocrates potiſſimùm, vnà [*cum Gylippo, Syracuſanos*] hortabatur, ne res nauales aduerſus Athenienſes aggredi dubitarent: [*ſed his operam ſedulam nauarent, & exercitati claſſem Athenienſium fortiter inuaderent, belliq; fortunam periclitarentur.*] Dicebat enim ne illos quidem hanc rerum nauticarum peritiam hereditariam, aut perpetuam habere: ſed mediterraneos eſſe magis, quàm Syracuſanos, & à Medis coactos, rebus nauticis operam dare cœpiſſe. Illos autem, qui audax aliquod facinus auderent aduerſus homines audaces, quales eſſent & Athenienſes, ipſis aſperrimos, [*atque maximè formidabiles*] viſum iri [*dicebat,*] Qua enim ratione illi alios terrerent, interdum non propter maiorem potentiam: ſed propter audaciam, quam in illis inuadendis præſtarent, eadem etiam ratione ipſis quoque idem, quod [*ipſorum*] aduerſariis, euenturum, [*& eodem modo ipſos ab aliis territum iri, quo alios ipſi terrere conſueuiſſent.*] Dicebat etiam ſe illud probè ſcire, Syracuſanos, ſi Athenienſium claſſi ex improuiſo obuiam ire auderent, propter huiuſmodi [*repentinum audaciæ facinus,*] illis conſternatis, plus profecturos, quàm Athenienſes propter [*ſuam rei nauticæ*] ſcientiam, Syracuſanorum imperitiæ obfuturos. Hortabatur igitur [*Syracuſanos,*] vt rei nauticæ periculum facerent, nec [*eam tentare*] reformidarent. His autem & Gylippi, & Hermocratis, & ſi cuius alterius, adhortationibus inducti Syracuſani, animum ad nauale prœlium appulerunt, & naues inſtruere cœperunt. Gylippus verò, poſtquàm claſſis inſtructa fuit, omnes pedeſtres

copias

copias sub noctem eduxit, & ipse quidem à terra munitiones in Plemmyrio extructas aggressurus erat. Syracusanorum verò triremes vno, eodemq; tempore, ex composito, [*idem à mari facturæ erant, quæ*] aduersus [*hostem*] ex magno portu quinque, & triginta nauigabant. Ex minore verò (vbi etiam erant ipsorum naualia) quinque, & quadraginta [*veniebant.*] Circumuehebantur autem, eo consilio, vt se coniungerent cum illis [*nauibus,*] quæ intus, [*& in ipso magno portu*] erant, & simul Plemmyrium inuaderent, vt Athenienses vtrinque turbarentur. Sed Athenienses, cùm sexaginta naues aduersus [*hostilem classem*] celeriter instruxissent, [*& militibus armatis impleuissent, harum*] quinque, & viginti nauale prœlium commiserũt cum illis quinque, & triginta Syracusanorum [*nauibus,*] quæ erãt in magno portu. Cũ reliquis verò obuiam iuerunt illis, quæ ex naualibus circumuehebantur. Statim autem ante magni portus ostium confligere cœperunt, & diu alteri alteris restiterunt, quòd hi quidem [*in portum*] per vim ingredi conarentur, illi verò [*illorum introitum*] impedire [*niterentur.*] Interea verò, cùm Athenienses, qui erant in Plemmyrio, ad mare descendissent, & animos ad pugnam nualem intentos haberent, Gylippus prima luce [*illorum*] munitiones repẽtè inuasit. Ac primùm [*quidem è tribus*] maximam cepit, deinde verò & [*reliquas*] duas minores. custodes enim [*illarum,*] cùm maximam [*munitionem*] facilè captam animaduertissent, [*in illis remanere, ac hostis impetum*] sustinere non sunt ausi. Atque ex prima quidem munitione, quæ capta fuit, homines, quotquot & in nauigia, & in quandam onerariam nauem confugerant, ægrè in [*sua*] castra se receperunt. Cum enim Syracusani cum suis nauibus, quas in magno portu ha-

bebant, nauali prœlio superiores essent, vna [*illorum*] velox triremis ipsos insequebatur. Dum autem hæ duæ munitiones caperentur, interea & Syracusani iam [*prœlio nauali*] vincebantur, & qui ex his [*munitionibus*] fugiebant, faciliùs præteruecti sunt, [*& hostis insequentis manus, periculumq; deuitarunt.*] Nam Syracusanorum naues, quæ ante [*magni portus*] ostium pugnabant, cùm Athenienſium naues per vim loco pepulissent, nullo ordine in [*portum*] nauigabant, &, quòd propter cõfusionem inter se colliderentur, victoriam Athenienſibus præbuerunt. Nam [*Athenienses*] & has in fugam verterunt, & illas, à quibus initiò in ipso portu superati fuerant. Atque vndecim quidem Syracusanorum naues depresserunt, & maiorem hominum partem interfecerunt, exceptis illis, qui erant in tribus nauibus, quos viuos ceperunt. Ipsorum verò [*Athenienſium*] tres naues profligatæ fuerũt. Cùm autem Syracusanorum naufragia subduxissent, & trophæum erexissent in parua insula ante Plemmyrium sita, in sua castra redierunt. Atque Syracusani in prœlio quidem nauali rem ita gesserunt: at munitiones in Plemmyrio sitas habebant [*in sua potestate,*] & tria ipsarum trophæa statuerunt. Et è duabus quidem munitionibus posteriùs captis alteram diruerunt, duas verò [*reliquas*] refecerunt, & impoſito præsidio tuebantur. In hac autem istarum munitionum expugnatione multi perierunt, viuique [*multi*] capti fuerunt. Præterea & vniuersa pecunia, quæ ingens erat, capta fuit. Quòd enim Athenienses his munitionibus vt ærario vterentur, multa quidem negotiatorum pecunia, & frumentum inerat, multa etiam trierarcharum [*pecunia, aliaq; res.*] siquidem & quadraginta triremium vela, & cætera [*nauium*] instrumenta illic relicta fuerant.

& tres

& tres triremes subductæ. Hæc autem Plemmyrij expugnatio Athenienſium copias maximè, ac in primis afflixit. Nec enim commeatus [*in caſtra*] tutò amplius importari poterant (nam Syracuſani, qui cum ſuis nauibus illic ſtationem aduerſus [*ipſos*] habebant, [*eos illuc importari*] prohibebant) iamque importabantur prœlio commiſſo, [*& ſine prœlio nihil importari poterat.*] Atque cæteris etiam in rebus [*hæc Plemmyrij expugnatio*] terrorem, animiq; demiſſionem exercitui attulit. Poſtea verò Syracuſani naues duodecim cum Agatharcho Syracuſano ipſarum præfecto miſerunt. Atque harum vna quidem in Peloponneſum iuit, legatos vehens, qui rerum ſuarum ſtatum, & ſpem, quam [*de propulſandis hoſtibus*] concepiſſent, [*Peloponneſijs*] declararent, & [*ipſos*] ad bellum illic [*aduerſus Athenienſes*] multo acriùs, [*quàm antè,*] adminiſtrandum incitarẽt. Cæteræ verò vndecim naues Italiam verſus nauigarunt, quòd audiſſent naues pecunia onuſtas ad Athenienſes curſum tenere. Has autem naues, [*Syracuſanæ*] nactæ, pleraſque corruperunt, & materiam ad ædificandas naues idoneam, quę Athenienſibus erat præparata, in Cauloniatide concremarũt. Poſtea verò ad Locros iuerunt. Et cùm [*illic*] in ſtatione eſſent, vna oneraria nauis ex Peloponneſo, Theſpienſium grauis armaturæ milites vehens, [*illuc*] in appulit. Syracuſani autem his in ſuas naues receptis, domum redire cœperunt. Sed Athenienſes, qui cum viginti nauibus ad Megara ſtationem habebant, cùm ipſos obſeruaſſent, vnam quidẽ [*illorum*] nauem cum ipſis viris interceperunt, cæteras verò [*capere*] non potuerunt: ſed Syracuſas elapſæ ſunt. Quinetiã in ipſo portu leue certamẽ commiſſum eſt pro vallis, quos Syracuſani ante vetera naualia in mari defixerant, vt ipſorũ naues intra [*hos*]

ſtationé haberent, vtq; Athenienſes, ſi contra [*Syracuſanos*] nauigarét, [*ipſis*] nocere non poſſent, cùm [*in ipſos*] impreſſionem facerent. Athenienſes enim cùm ad hos [*vallos*] admouiſſent ingentem naué, quæ decem millia Sarcinarum ferre poterat, & ligneas turres habebat, & pluteis munita erat, vallos ex nauiculis religatos circúagebant, fractosq; conuellebant, & vrinantes educebant quos ſerra ſecabant. Syracuſani verò ex naualibus illos miſſilibus petebant, illi verò viciſſim ex oneraria naui tela [*in ipſos*] iaciebant. Ad extremum autem Athenienſes magnam vallorum partem euulſerunt. Sed omnium vallorum, qui [*in mari*] defixi erant, illi qui [*ſub aquis*] latebant, maximum negotium [*Athenienſibus*] faceſſebant. Nam [*Syracuſani*] nonnullos vallos ſupra aquam non eminentes defixerant. Quare periculoſum erat [*illuc*] accedere, ne quis, re non præuiſa, nauem [*in vallum*] vt in ſcopulum impingeret. Sed hos quoque [*vallos,*] vrinatores mercede [*ſolicitati,*] aquam ſubeuntes, ſerra ſecabant, ſectosque educebant. Syracuſani tamen [*alios*] vallos rurſus defixerunt. Multas etiam alias nocendi rationes alteri aduerſus alteros excogitabant, vt inter vicinos exercitus, & caſtra oppoſita habentes fieri credibile eſt, & leuia prœlia committebant, & nihil intentatum relinquebant. Præterea Syracuſani legatos ex Corinthiis, & Ambraciotis, & Lacedæmoniis [*delectos,*] in [*diuerſas Siciliæ*] ciuitates miſerũt, vt & de Plemmyrio capto, & de nauali pugna, in qua non tam hoſtium viribus, quàm ſua confuſione ſuperati eſſent, nuntios afferrent. Simul etiam vt cæterarum rerum ſtatum declararent, & ſe [*de felici ſucceſſu bonam*] ſpem habere [*ſignificarent,*] vtque [*ciuitates illas*] rogarent, vt coniunctis viribus, claſſe pariter, ac peditatu,

opem

opem [*sibi*] aduersus ipsos [*Athenienses*] ferrent, quòd & Athenienses cum aliis copiis expectarentur, [*quas in Siciliam breui ducturi essent*,] quòd si ipsi præsentem illorum exercitum maturè, prius [*quàm aliæ copiæ venirent,*] profligarent, debellatum iri. Atque illi quidem, qui erant in Sicilia, hæc agebant. Demosthenes verò, postquàm exercitum collegit, cum quo in Siciliam ad opem suis ferendam erat traiecturus, ex Ægina soluens, in Peloponnesum nauigauit, & cum Charicle, & triginta Athenienſium nauibus se coniunxit. Nonnullis etiam Argiuorum militibus in naues assumptis, agrum Laconicum petierunt. Ac primum quidem Epidauri Limeræ agrum in quadam parte vastarũt, deinde [*verò*] appulsi ad agri Laconici oram, quę est è regione Cytherorum, vbi est Apollinis templum, nonnulla illius agri loca vastarunt, & quendam locum Isthmo similem muniuerunt, vt & Lacedęmoniorum seruitia illuc transfugerent, & inde latrones, vt ex Pylo, prædatum irent. Atque Demosthenes quidem, postquàm eum locũ muro complexus muniuit, in Corcyram traiecit, vt assumptis illius regionis sociis, in Siciliam quàm celerrimè nauigaret. Charicles verò [*illic*] permansit, donec [*Demosthenes*] illum locum muniuisset, & præsidio illic relicto, postea & ipse cum triginta nauibus se domum recepit, & Argiui simul [*abierunt.*] Hac eadem æstate, ex Thracibus etiam machærophoris, qui sunt ex Diaco genere, [*quiq; Dij vocãtur,*] mille, ac trecenti peltati Athenas venerunt, quos in Siciliam cum Demosthene nauigare oportuerat. Athenienses verò, quòd seriùs, [*& post Demosthenis discessum*] venissent, ipsos in Thraciam, vnde venerant, remittere statuerunt. Nam eos retinere illius belli causa, quod ex Decelea gerebatur, sumptuo-

sum videbatur. Eorum enim singuli quotidie singulas drachmas accipiebant. Decelea enim, postquàm primùm quidem hac æstate ab vniuersis [*Lacedæmoniorum*] copiis munita est, deinde verò insessa est præsidiis, quæ à ciuitatibus mittebantur, quæ certo temporum spatio alia aliis per vices succedentia agrum [*Atticum*] inuadebant, [*ac infestabant,*] Athenienses magnis detrimentis affecit, & in primis res [*illorum*] afflixit & pecuniarum direptione, & hominũ interitu. Nam antè quidẽ irruptiones, quæ [*ab hostibus in Atticam*] fiebãt, quòd non diuturnæ essent, nõ impediebant [*Athenienses*] ne reliqua anni parte fructus ex agro suo perciperent. Tunc verò, quòd [*hostes agrum Atticum*] continenter obsiderent, & interdum quidem cum magnis copiis [*eum*] inuaderent, interdum verò cogente necessitate par præsidium regionem incursionibus infestaret, & prædas ageret, & Agis Lacedæmoniorum Rex adesset, (qui non negligenter bellum administrabat) Athenienses magnis detrimẽtis afficiebantur. Nam & vniuerso agro [*circum vrbem iacente*] priuati erant, & seruitiorũ amplius, quàm viginti millia ad hostes transierant, horumque magna pars manuarias artes exercebat. Oues etiam omnes amissę erant, & boues. Et equi, quòd ab equitibus tum ad Deceleam excursiones facientibus, tum [*omnem circumcirca*] regionem tutantibus, quotidie agitarentur, partim quidem claudi fiebant, quòd in aspero solo, grauibusque laboribus assiduè vexarentur, partim verò sauciabantur. Et commeatus, qui ex Eubœa cõportabantur, cùm prius ex Oropo, itinere terrestri, per Deceleam citiùs comportarentur, circum Sunium, itinere maritimo, magnis sumptibus [*in vrbem*] importabantur. Et [*cæteris etiam*] omnibus rebus

rebus aduectitiis æquè, [*ac ipsis commeatibus*] ciuitas indigebat, & quæ prius vrbs erat, tunc in castellum commutata fuerat, [*vt non amplius vrbs: at potius quoddam castellum ab hostibus obsessum esse videretur.*] Athenienses enim, quòd interdiu quidem excubias ad murorum pinnas per vices agerent, noctu verò, & vniuersi, præter equites, partim quidem in stationè, vbi arma in promtu habebãt, partim verò, supra muros, æstate pariter, & hyeme, [*excubias*] agerent, ærumnis conficiebantur. Sed illud potissimùm ipsos premebat, quòd duo bella simul sustinerent. Atque eò peruicaciæ progressi sunt, quam nullus credidisset, si prius [*eam*] audisset, quàm ad eam illi deuenissent. Nam [*profectò nullus credidisset*] ipsos à Peloponnesiis munitione circunsessos, tamen ne sic quidem ex Sicilia decedere [*voluisse:*] sed illic eodem modo vicissim obsidere Syracusas, vrbem, ipsam per se Athenis non inferiorem, adeoque Græcorum opinionem fefellisse, quam huius belli initio de ipsorum potentia, & audacia conceperant. Nam alij quidem annum, alij verò biennium, alij etiam triennium, nullus verò diutius eos bellum toleraturos putabat, si Pelopõnesij irruptionem in [*ipsorum*] agrum fecissent. [*Nullus verò credidisset ipsos tandiu bellum toleraturos, & adeò audaces futuros,*] vt anno decimo septimo post primam irruptionem [*in agrum Atticum factam,*] in Siciliam proficiscerentur, hoc bello [*domestico*] iam prorsus attriti, & alterum bellũ præterea susciperent, non leuius priore, quod à Pelopõnesiis illatũ iam sustinebant. Propter quæ [*bella,*] & multa detrimenta, quæ à Decelea tunc accipiebant, simul etiam propter alios magnos sumptus, quos pro variis occasionibus, quæ occurrebant, facere cogebantur, ad maximam pecuniæ inopiam

redacti sunt. Et per id tempus tributi loco vicesimam mercium, quæ mari vehebantur, populis imperio suo subiectis imperarunt, sperantes se maiorem pecuniæ vim hac ratione confecturos. Nam impensæ quidem non quales antè: sed longè maiores fiebant, quo etiam maius bellum existebat. Prouentus verò, [*& vectigalia quotidie*] amittebantur. Thraces igitur, qui ad Demosthenem non satis maturè venerant, propter præsentem inopiam pecuniæ, quam consumere nolebant, statim dimiserunt, eosque deducendi negotium Diitrephi dederunt, eique præceperunt, vt in ipsa præteruectione (nam per Euripum transibant) hostibus etiam, si qua ratione [*Thraces illis nocere*] possent, illorum opera vsus noceret. Hic autem ipsos ad Tanagram eduxit, & prædæ nonnihil raptim egit, & sub vesperum ex Chalcide Eubœæ traiecit Euripũ. Ipsosque in Bœotiam expositos aduersus Mycalessum duxit. Et illam quidem noctem ad Mercurij fanũ clàm [*hostibus*] subsidens transegit. (Hoc autem à Mycalesso distat sexdecim circiter stadia.) Sed prima statim luce vrbem, quæ ampla erat, inuasit. Quòd autem homines custodum præsidio nudatos inuasisset, ac eos, qui non suspicabantur vllos vnquam tantum iter à mari in loca mediterranea facturos, vt se inuaderent, [*eam*] cepit, quòd murus infirmus esset, & partim quidem collapsus, partim verò humiliter ædificatus, simul etiam quòd portæ propter [*incolarum*] securitatẽ essent apertę. Thraces igitur in hanc vrbem irruentes, & priuatas, & sacras ædes diripiebant, & ipsos homines interficiebant, non senili, non iuuenili ætati parcentes: sed omnes, vt in vnum quenque deinceps incidebant, & pueros, & fœminas interficiẽtes; quin etiam præterea iumenta, & quascunque alias animantes

mates vidissent. Nam Thracum gens, (quales esse solent nationes maximè barbaræ) quum fiduciam animo concepit, [*nec vllo modo sibi timet;*] cædis est auidissima. Quare cùm alia perturbatio non exigua tunc extitit [*in hac vrbe,*] tum etiam omne cædis genus. Nam irruentes etiam in puerorum ludum (qui maximus illic erat, & pueri [*in eum*] modò erant ingressi) omnes conciderunt. Atque ista clades vniuersæ ciuitati adeò grauis adeoque inopinata contigit, vt nullam aliam hac grauiorem, & magis inopinatam acceperit. Thebani verò, cùm [*rem*] cognouissent, ad opem [*vrbi*] ferendam accurrerunt, & nacti Thraces iam non longè progressos, & prædam [*ipsis*] eripuerunt, ipsosque perterritos persequi cœperunt ad Euripum vsque, & [*ad*] mare, vbi stabant ipsorum naues, quæ [*ipsos*] vexerant. Et ipsorum plurimos, dum [*naues*] conscenderent, neque natandi peritos, interfecerunt. Qui verò in nauibus erant, cum vidissent ea, quæ in terra gerebantur, naues extra [*Euripi*] pontem, [*marisq; fauces*] in altum eduxerunt. Nam in alio receptu, [*& in cætero itinere, quod antè confecerant, dum ad suas naues sese reciperent,*] Thraces non incompositè aduersus Thebanorum equitatum, qui primus [*ipsos*] inuaserat, procurrētes, & conglobati, ordinem patrio more seruantes, sese defendebant. Et pauci ipsorum propterea perierunt, quædam etiam [*ipsorum*] pars, quæ in vrbe, dum prædaretur, deprehēsa fuerat, interiit. In summa verò, ex mille, & trecentis Thracibus, omnino ducenti, & quinquaginta ceciderunt. Ex Thebanis verò, & aliis, qui ad opem [*Mycalessiis*] ferendam conuenerant, viginti circiter, tam equites, quàm simul grauis armaturæ milites, vnà cum Scirphonda Thebano, vno ex Bœotarchis, [*à Thracibus*] interfecti fuerunt.

Mycalessiorum verò pars quædam absumpta fuit. Atque hic quidem fuit exitus cladis, quam Mycalessus accepit, quæ pro [*ciuitatis*] magnitudine non minus est deploranda, quàm vlla alia, quæ in hoc bello acciderit. Demosthenes verò tunc Corcyra soluens, post illam [*Deceleæ*] munitionem in agro Laconico factam, onerariam nauem in agri Elei Phia, in statione nactus, in qua grauis armaturę milites Corinthij in Siciliam erant traiecturi, ipsam quidem corrupit, viri verò elapsi, & mox aliam [*onerariam nauem*] nacti, [*eò*] transmiserunt. Postea verò Demosthenes in Zacynthum profectus, & [*in*] Cephalleniam, [*illinc*] grauis armaturæ milites assumpsit, & Messeniorum [*partem*] Naupacto accersiuit, atque in oppositam Acarnaniæ cõtinentem traiecit, & Alyziam, & Anactorium, quod ipsi [*Athenienses*] tenebant. Ipsi autem circum hæc loca agitanti occurrit Eurymedon ex Sicilia remeans, qui tunc, hyeme cum pecunia, quam ad exercitum ferebat, [*illuc*] missus fuerat. Hic autem [*ipsi*] nuntiauit cùm alia, [*quæ viderat,*] tum etiam se, dum iam esset in ipso nauigationis cursu, audisse Plemmyrium à Syracusanis receptum. Prętera Conon etiam, qui Naupacto præerat, ad ipsos venit, nuntiaturus, quinque & viginti Corinthiorum naues, quæ in statione sibi oppositæ stabant, neque finito bello [*illinc*] discedere, & prœlium nauale commissuras esse. Ipsos igitur naues [*ad se*] mittere iubebat, quòd cùm suis duodeuiginti [*nauibus*] impares essent ad confligendũ cum hostium quinque, & viginti [*nauibus.*] Demosthenes igitur, & Eurymedon, decem velocissimas ex iis, quas ipsi habebant, cum ipso Conone miserunt ad illas, quæ Naupacti erant. Ipsi verò res ad illam expeditionem necessarias apparabant, copiasque cogebant.

bant. Atq; Eurymedon quidem in Corcyram profectus iussit ipsos [*Corcyræos*] instruere quindecim naues: & grauis armaturæ milites delegit. (nam auersus [*ab instituto nauigationis cursu, quo Athenas petebat, eoq; interrupto, ac represso,*] iam vnà cum Demosthene imperium gerebat, [*bellumq; administrabat,*] quemadmodum etiam delectus fuerat, [*vt in hoc bello Siculo administrando ipsius collega esset.*]) Y Demosthenes verò ex locis, quæ circum Acarnaniam erant, funditores, & iaculatores coëgit. At Syracusanorum legati qui tunc, post Plemmyrium expugnatum, [*varias Siciliæ*] ciuitates, adierant, cùm [*quod petierant, ipsis*] persuasissent, & copias, quas collegerant, [*Syracusas*] essent ducturi, Nicias, qui [*rem*] præsenserat, mittit ad illos Siculos, qui trãsitum tenebant, & cùm ad Centoripas, & Alicycæos, tum etiam ad alios socios, ne patiantur hostes per suos fines iter facere: sed [*eos*] congregati transire prohibeant nec enim eos alia via transire conaturos. Agrigentini enim iter [*ipsis*] per suum agrum dare nolebant. Cùm autem Sicilienses iam iter facerent, Siculi, quemadmodum ab Atheniensibus orabantur, tribus in locis insidias collocarunt, & illos incautos, ac ex improuiso aggressi, ad octingentos ferme occiderunt, omnesque legatos, præter vnum Corinthium. Hic verò eos, qui elapsi sunt ad mille, & quingentos, Syracusas deduxit. Per eosdem dies, Camarinæi etiam, qui opem ipsis [*Syracusanis*] ferebant, quingenti grauis armaturæ milites, & trecenti iaculatores, totidemque sagittarij, [*Syracusas*] peruenerunt. Miserunt & Geloi copias ad quinque naues explendas, & iaculatores quadringentos, & equites ducentos. Iam enim omnis propemodum Sicilia, præter Agrigentinos (isti enim in partibus non erant) cæteri

verò conſpiratione facta, cùm hactenus [*belli euentum*] circunſpicientes expectaſſent, Syracuſanis auxilium aduerſus Athenienſes ferebant. Atque Syracuſani quidem, quòd cladem iſtam apud Siculos accepiſſent, ab Athenienſibus protinus inuadendis abſtinuerunt. Demoſthenes verò, & Eurymedon, cùm exercitus ex Corcyra, & ex continente collectus iam paratus eſſet, cum vniuerſis copiis Ionium [*mare*] traiecerunt, [*& appulerunt*] ad promontorium Iapygiam. Hinc verò profecti, ad Cheradas Iapigiæ inſulas appulerunt. Et paucos quoſdam Iapygũ iaculatores Meſſapiæ gentis, numero centum, & quinquaginta in naues impoſuerunt. Et renouata vetuſta quadam amicitia cum Arta illius loci principe, qui etiam iaculatores iſtos ipſis præbuerat, ad Metapontium Italiæ [*vrbem*] appulerunt. Cùm autem Metapontinos induxiſſent ad ſecum mittendos ex ſocietatis iure trecentos iaculatores, & duas triremes, his in naues receptis, in agrum Thurium præteruecti ſunt, ibiq; deprehenderunt Athenienſium aduerſarios per ſeditionem nuper eiectos. Quoniam autem volebant, omnibus copiis in vnum ibi contractis, recognoſcere ſi quis relictus eſſet, ſimul etiam Thuriis perſuadere, vt quàm alacerrimè ad eandem militiam ſecũ proficiſcerentur, & (quãdo eò fortunæ veniſſent) eoſdem pro hoſtibus, & pro amicis haberent, quos Athenienſes haberent, in agro Thurio ſubſederũt, atque in harum rerum peragendarum curam incubuerunt. Peloponneſij verò & qui in quinque, & viginti nauibus erant, qui onerariarum nauium in Siciliam tendentium cauſa habebant ſtationes oppoſitas nauibus, quæ erant Naupacti, ſub idẽ tempus ſeſe ad nauale prœlium præpararunt, aliiſque nauibus præter eas, quas iam paratas habebant, inſtructis,

ſtructis, adeò vt Atticis paulo pauciores eſſent, ad Erineum Achaiæ [*oppidum*] in agro Rhypico ſitum appulſi ſtationem habuerunt. Quoniam autem locus ille, in quo ſtationem habebant, in lunæ ſpeciẽ curuatus erat, peditatus quidem tum Corinthiorum, tum ſociorum indigenarum, qui ad opem [*ſuis*] ferendam conuenerat, vtrinque in eminentibus promõtoriis diſpoſitus erat. Naues verò medium [*ſpatium*] tenebant obſtructum. Polyanthes autem Corinthius huius claſſis erat præfectus. Athenienſes verò cum tribus, & triginta nauibus, quarum dux erat Diphilus, Naupacto ſoluentes: aduerſus ipſos contenderunt. Et Corinthij principiò quidem quieuêre: poſtea [*verò,*] cùm ipſis ſignum datum fuiſſet, & tempus idoneum adeſſe viſum eſſet, magno cum impetu Athenienſibus obuiam iuerunt, & prœlium committere cœperunt. Et diu alteri alteris reſtiterunt. Et Corinthiorum quidem tres naues profligatæ fuerunt. Athenienſium verò nulla quidem prorſus eſt depreſſa: ſed ſeptem ad nauigandũ inutilès factæ ſunt, quòd Corinthiarum nauium (quæ hac ipſa de cauſa, craſſiora ligna ab vtraque proræ parte aurium inſtar prominentia habebant) aduerſis proris petitæ, & in ipſis frontibus, vbi nullum eſt remigium, perruptæ fuiſſent. Cùm autem prœlium commiſiſſent ancipiti quidem marte, & ita, vt vtrique victoriam ſibi vendicarent, quia tamen Athenienſes naufragiis ſunt potiti, tum quòd ventus in altum ea propuliſſet, tum etiam quòd Corinthij ſuum agmen aduerſus ipſos non amplius ducerent, alteri ab alteris dirempti ſunt, & neutri alteros perſequuti, nec vlli ex alterutris capti. Nam Corinthij, & Peloponneſij facilè euadebant, quia prœlium prope terram committebant. Athenienſium verò nulla nauis eſt

depressa. Cùm autem Athenienses se Naupactum recepissent, Corinthij statim trophæum vt victores erexerunt, quòd plures hostilium nauium ad nauigationem inutiles reddidissent. Se enim propter hoc non superatos putabant, propter quod neutri se victores fuisse [*ducebant.*] Nam & Corinthij se victores fuisse duxissent, nisi longè victi fuissent, & Athenienses existimassent se victos fuisse, nisi longè vicissent. Cùm autem Peloponnesij discessissent, & peditatus dilapsus esset, Athenienses & ipsi tanquam victores trophæum in Achaia statuerunt. Aberant autem ab Etineo, vbi Corinthij suæ classis stationem habebant, viginti ferme stadiis. Atque pugna quidem naualis hunc exitum habuit. Demosthenes verò, & Eurymedon, postquàm Thurij parati fuerunt ad illius militiæ societatem sequendam cum septingentis grauis armaturæ militibus, & trecentis iaculatoribus, classem quidem in oram Crotoniatidem præteruehi iusserunt: ipsi verò peditatum omnem, quem prius ad fluuium Sybarin recensuerant, per agrum Thuriũ duxerunt. Cùm autem ad Hyliam fluuium peruenissent, & Crotoniatæ ad eos præmisissent, qui dicerent præter voluntatem suam fore si per suum agrum [*ipsorum*] exercitus transiret, ad mare descenderunt, & ad Hyliæ ostium pernoctarunt, & naues in eundem locum ipsis obuiam venerunt, [*vt ad ipsos recipiendos, vehendosq; præstò essent.*] Postridie verò, cùm [*eas*] conscendissent, abierunt, & ad vrbes, præterquàm Locrorum, appellebant, donec ad agri Rhegini Petram peruenerunt. Syracusani verò, cùm interea ipsos contra se venire audissent, belli fortunam classe tursus experiri voluerunt, alioque peditatus apparatu, quem hac ipsa de causa collegerant, quòd ipsos, [*ac nouorum hostium aduentum*]

tum] præuertere cuperent. Instruxerunt autem classem cùm aliis rebus ita, vt ex superiore nauali prœlio didicerant se fore meliore conditione, tum etiam nauium proris, quas decuttarunt, & firmiores reddiderunt, & proris imposuerunt crassas epotidas, [*id est, ligna, quæ ex proris vt quædam aures hinc, inde prominent, inter quæ rostrum est collocatum.*] iisq; tigna iunxerunt & intus, & extra, quæ vsque ad nauium latera spatio ferè senûm cubitorum pertingerent, ad maiorem eorum firmitudinem quo modo & Corinthij aduersus naues, quæ ad Naupactũ erant, suarum proris instructis pugnauerant. Existimarunt enim Syracusani aduersus Athenienſiũ naues (quæ non eodem modo aduersus [*Syracusanorum naues*] erant ædificatæ: sed à prora [*partes*] graciles, [*ac infirmas*] habebant, quòd ipsi [*Athenienses*] non tam aduersis proris, quàm nauibus circumactis [*in hostilium nauium latera*] incurrere consueuissent) se non deteriore conditione futuros, & nauale prœlium, quod in magno portu à multis nauibus in non magno [*spatio*] committendum erat, à se facturum [*putarunt.*] Se enim aduersis proris incurrentes, diffracturos ipsorum proras, quòd solidis, crassisque rostris in vacuas, ac infirmas [*ipsarum prorarum partes*] incursuri essent. Atheniensibus verò in angusto loci spatio nullam fore facultatem aut naues ad se circumueniendos circumagendi, aut eas per mediam suam classem educendi, qua artificij parte potissimùm [*illi*] confidebant. Se enim pro viribus hoc quidem præstituros, vt nullam [*ipsis*] per mediam suam classem transeundi facultatem darent, illud verò ab ipsis loci angustiis præstitum iri, quæ [*illos*] impedituræ essent ne naues circumagerent, [*iisque circumactis se circumuenirent, ac impressione vndique in suas naues facta, se profligarent.*] Quod autem prius

gubernatorum inſcitia contigiſſe videbatur, vt aduerſis proris [*cum hoſtibus*] confligerent, [*quaſi propter pugnæ naualis imperitiam ſuas naues circumagere, hoſtiumq; claſſem à latere aggredi neſciuiſſent,*] ſe hoc ipſo potiſſimùm, [*hocq; prælij genere conſultò ſperabãt*] vſuros. Hac enim ratione ſe optima conditione futuros. Athenienſibus enim, ſi [*à ſe*] propellerentur, non fore facultatem retrocedendi aliò, niſi ad terram, idque exiguo [*interuallo à mari diſtantem,*] & in exiguum [*loci ſpatium,*] iuxta ſua ipſorum caſtra. Cætero verò portu ſe potituros: at ipſos [*hoſtes,*] ſicubi premerentur, confertos in exiguũ [*ſpatium,*] & omnes in eundem [*locum*] inter ſe concurrentes perturbatum iri. (Quod etiam in omnibus naualibus prœliis plurimum Athenienſibus obfuit, quòd ipſis in omnem portum, vt Syracuſanis, retrocedere non liceret.) In apertum verò mare nauibus circumactis euadendi facultatem nõ habituros. quòd penes ſe futurum eſſet & à pelago incurſionem [*in illos*] facere, & [*illinc ad ſua caſtra*] retrocedere, præcipuè verò quòd Plemmyrium ipſis infeſtum eſſet futurum, ſimul etiam quòd portus oſtium nõ amplum eſſet. Syracuſani [*igitur*] cùm hæc excogitaſſent, & priſtinæ diſciplinæ, atque virtuti addidiſſent, ſimul etiam cùm ex ſuperiore nauali prœlio maiorem fidentiam iam concepiſſent, pedeſtribus, ſimul & maritimis copiis [*Athenienſes*] aggrediuntur. Et peditatum quidem Gylippus paulo prius ex vrbe eductum admouit ad Athenienſium munitionem, ab ea parte, qua proſpectus in vrbem patebat. Item qui apud Olympieum erant, cùm grauis armaturæ milites, qui illic erant, tum equites, & leuis armatura Syracuſanorum, ad [*eandem*] munitionem ab altera parte acceſſerunt. Poſtea verò confeſtim Syracuſanorum, ſociorumque naues prodi-

prodierunt. Athenienſes verò primùm quidē eos cum ſolo peditatu [*belli fortunam*] tentaturos exiſtimabant, ſed cùm naues quoque ſubitò contra [*ſe*] venientes vidiſſent, perturbati ſunt. Et alij quidem ſupra munitiones, & ante munitiones acie inſtructa ſteterunt aduerſus [*hoſtes*] accedētes. Athenienſium verò alij aduerſus equites, & iaculatores multos, qui partim ex Olympieo, partim ex aliis locis extra [*Olympieum, vrbemq;*] ſitis, magna celeritate veniebant, prodierunt: alij verò naues inſtruebant, ſimul etiam ad littus ad opem [*ſuis*] ferendam accurrebant. Poſtquàm autem inſtructæ fuerunt, quinque, & ſeptuaginta naues aduerſus [*hoſtem*] in altum duxerunt. Syracuſanorum verò [*naues*] erant circiter octoginta. Cùm autem ad multum illius diei ſpatium [*vtrique*] mutuis incurſionibus ſe petiiſſent, & [*alteri ab alteris vicißim*] repulſi fuiſſent, & vtrique virtutis hoſtilis periculum mutuò feciſſent, & neutri aliquo [*præclaro, ac*] memoratu digno facinore edito victoriam ab aduerſariis reportare potuiſſent, (niſi quòd Syracuſani vnam, aut alteram Athenienſium nauem depreſſerunt) [*alteri ab alteris*] dirempti diſceſſerunt. Et peditatus ſimul à munitionibus [*Athenienſium*] abſceſſit. Poſtridie verò Syracuſani quidem quieuerunt, nullo modo declarātes quidnam eſſent acturi. Nicias verò cernens nauale prœlium æquo marte commiſſum fuiſſe, & exiſtimans ipſos rurſus [*idem*] tentaturos, trierarchos ad naues reficiendas adegit, ſi qua damnum aliquod accepiſſet, & onerarias produxit, [*atq; collocauit*] ante ſuum vallū, quod ab ipſis, portus concluſi loco, ante naues in mari defixum fuerat. onerarias verò binûm circiter iugerûm ſpatio [*inter ſe*] diſtantes collocauit, vt, ſi qua nauis [*ab hoſte perſequente*] premeretur [*ipſi*] tutū eſſet refugium,

& rursus per otium exeundi facultas. Athenienses autem in his apparandis totum diem ad noctem vsque consumpserunt. Postridie verò Syracusani maturiùs quidem, [*quàm antè*;] sed tamen eodem & peditatus, & classis conatu cum Athenienſibus conflixerunt. Cùm autem aduersis nauibus se mutuò oppugnare cœpissent, eodẽ modo rursus magnam illius diei partem se inuicem lacessendo consumpserunt, donec Ariston Pyrrichi [*filius*,] Corinthius, omnium, qui cum Syracusanis erant, optimus gubernator, suasit [*primis*] suæ classis ducibus, vt mitterent ad eos, quibus in vrbe [*huius rei*] cura commissa erat, qui imperarent [*ipsis*,] vt quàm celerrimè rerum venalium forum mutarent, & [*res venales*] ad mare transferrent, & quæcunq; quis esculenta haberet, omnes cogerent [*hæc*] illuc ferre, & vendere, vt nautæ illic, [*in littus a suis ducibus*] expositi, statim iuxta naues prandierent, & intra breue [*temporis spatium*] rursus idque eodem die, Athenienses nihil huiusmodi expectantes aggrederentur. Atque hi quidem [*huius verbis*] adducti nũtium [*in vrbem*] miserunt, & mercatus apparatus est. Et Syracusani repentè in puppim remigantes, [*& cessim euntes*,] vrbem versus nauigando se receperunt. Et statim exscensu [*è nauibus in terram*] facto, ibi prandium sumpserunt. Athenienses verò existimantes ipsos, vt [*à se*] victos, ad suam vrbem in puppim remigantes sese recipere, per otium [*in littus ex nauibus*] egressi, cùm ad alia, tum ad prandium expediendum se contulerunt, quòd nullum nauale prœlium amplius eo die se commissuros putarent. At Syracusani repentè nauibus instructis [*in eos*] rursus inuehuntur. Illi verò magno cũ tumultu, & plerique ieiuni, nullo ordine [*naues*] conscenderunt, & ægrè tandem obuiam [*ipsis*] iuerunt. Et

cùm

cùm aliquandiu sibi cauētes, à se mutuò [*pugna lacessendis*] abstinuissent, postea placuit Athenienſibus non diutiùs ibi cunctari: sed quàm celerrimè [*hostes*] aggredi, ne sua ipsorum culpa, [*inedia, &*] lassitudine [*confecti ab ipsis superarentur, atque*] caperentur. Quamobrem dato signo ingruentes pugnare cœperunt. Syracusani verò [*illorum impetum*] excipientes, [*eos*] propulsabant & aduersis [*suarum*] nauium proris vtentes, (quemadmodum [*facere*] statuerant) quas ita parauerant, vt ad incursiones *in hostilem classem*] faciendas essent idoneæ, lacerabant Athenienſium naues in magna prorarum parte, vbi nullum erat remigium. Et qui ex tabulatis ipsos iaculis petebant, Athenienſibus vehementer nocebant. Sed longè magis [*eos infestābant*] illi Syracusani, qui exiguis nauigiis circumuehebantur, & [*ordines, ac*] seriem remorū hostilium nauium subibant, & ad [*earum*] latera præteruehebantur, & ex ipsis [*nauigiis*] in [*Athenienſium*] nautas missilia iaciebant. Tandem autem Syracusani totis viribus hoc modo pugnantes vicerunt. Athenienses verò in fugam versi, per onerariarū nauium præsidium in suam stationem confugerunt. Syracusanorum verò naues [*hostem*] insequutæ sunt vsque ad illas onerarias naues, deinde antennæ, quæ ex onerariis nauibus, in [*ipso hostilis stationis*] introitu, altius sublatæ stabant, vnde [*plumbei*] delphines [*ad demergendas subeuntes naues*] pendebant, ipsos [*vlterius progredi*] prohibuerunt. Duę verò Syracusanorum naues, victoria feroces ad illas propius accesserunt, atque profligatæ fuerunt, & [*earum*] altera vnà cum ipsis viris capta fuit. At Syracusani, septem nauibus Athenienſium depressis, multisque laceratis, virisq; partim captis, partim occisis, abierunt, & vtriusque pugnæ naualis trophæa erexerunt, certamq; spem

animo iam cõceperant se [*Athenienſibus*] claſſe longè ſuperiores fore. Exiſtimabant autem ipſum etiam [*Athenienſium*] peditatum à ſe ſubactũ iri. Atq; hi quidem vt [*hoſtem*] vtrinque rurſus aggreſſuri ſeſe præparabant. Interea verò Demoſthenes, & Eurymedon cum auxilio, quod ab Athenienſibus acceptum adducebant, aduenerunt, nauibus ferme tribus & ſeptuaginta, vnà cum peregrinis, [*mercede conductis,*] & fere cum quinque millibus grauis armaturæ militum, quos tam ex ſuis popularibus, quàm ex ſociis collegerant. Præterea cum nõ paucis iaculatoribus & barbaris, & Græcis, necnõ funditoribus, & ſagittariis, & reliquo apparatu, quanto opus erat. Quamobrem Syracuſanorum, ac ſociorum animos non exiguus pauor tunc inuaſit, ſi nullus periculi deuitandi finis ſibi futurus eſſet. Videbant enim, quamuis Decelea [*à Lacedæmoniis aduerſus Athenienſes*] fuiſſet munita, nihilo tamen minus [*nouum*] exercitum parem, atq; ſimilẽ priori contra [*ſe*] veniſſe, & Athenienſium vires vndique magnas apparere. Superiori verò Athenienſium exercitu, vt in malis, quoddam [*animi*] robur acceſſit. Demoſthenes autem, cùm vidiſſet quo in ſtatu res eſſent, & exiſtimaſſet nullo modo [*ſibi*] licere tempus terere, & committere, quod Nicias cõmiſerat: (Nicias enim, cùm initiò formidabilis [*illuc*] appuliſſet, quia Syracuſas non protinus eſt adortus, ſed Catanæ hybernauit, in contemptionem [*apud hoſtes*] venit, eumque Gylippus, qui copias ex Peloponneſo ducebat, anteuertit, [*& in vrbem prius eſt ingreſſus, quàm Nicias eam oppugnaret.*] Quas ne acceſſiſſent quidem Syracuſani, ſi [*Syracuſanos*] ille confeſtim inuaſiſſet. Nam cùm ipſi ſe ſatis virium [*ad hoſti reſiſtendum*] habere putarent, vno, eodemq; tempore ſe [*illis*] inferiores eſſe cognouiſſent, &

circum-

circumuallati fuissent. Quare ne si accersissent quidem [*illas copias, illarum aduentus*] ipsos amplius æquè, [*ac antè*] iuuare potuisset. Demosthenes igitur cùm hæc consideraret, & sciret se quoque in præsentia, primo [*sui aduentus*] die maximè formidabilem hostibus esse, præsenti [*suarum*] copiarum terrore, [*quo Syracusaui, eorumq; socij terrebantur,*] quàm celerrimè vti volebat. Cùm autem animaduerteret [*directum*] Syracusanorum murum prope [*suas munitiones*] extructũ, quo se ab Athenienſibus circumuallari prohibuerant, simplicem esse, &, si quis Epipolarum ascensum occupasset, & castra, quæ in ipsis erant, hunc facilè captum iri, (Nullum enim fore [*putabat,*] qui suorum impetum auderet sustinere,) rem aggredi, periculumque facere properabat: breuissimoque temporis spatio bellũ à se confectum iri sperabat. Aut enim re feliciter gesta Syracusas in suam potestatem venturas [*existimabat,*] aut [*Athenienſium*] copias à se abductum iri, nec veniuersos Athenienses, tam eos, qui militiæ, quàm eos, qui domi erant, frustrà [*vexatum, ac*] attritum iri. Primùm igitur [*ex nauibus*] egressi Athenienses Syracusanorum agrum, qui circum Anapum erat, vastare cœperunt, & pedestribus, naualibusque copiis, vt antè, superiores erant. Aduersus enim neutras [*copias*] Syracusani prodierunt, nisi cum equitibus, & iaculatoribus, qui ex Olympieo venerant, Deinde Demostheni priùs, [*quàm Epipolas aggrederetur,*] illam munitionem machinis tentare placuit. Sed cùm machinæ ab ipso [*ad munitionem*] admotæ crematæ fuissent ab aduersariis, qui ex muris se defendebant, cùm etiam cæteræ eius copiæ, quæ [*munitionem*] variis in partibus oppugnabant, [*ab hostibus*] repellerentur, tempus non amplius terendum esse censuit. Quare cùm rem Niciæ, cæteris-

que collegis persuasisset, Epipolas, vt cogitarat, aggredi statuit. Cæterùm interdiu quidem nullo modo fieri posse videbatur, vt clã [*hostibus Athenienses illuc*] accederent & ascenderent. Cũ igitur edixisset [*militibus vt secum ferrent*] quinq; dierũ cibaria, cùm etiã ædium structores, omnesq; fabros aslũpsisset, & cæterum missilium apparatum, & [*omnia,*] quæcunque ad munitiones extruendas necessaria futura erant, si [*eo loco*] potiti fuissent, ipse quidem à primo somno, & Eurymedon, & Menander, omnibus copiis assumptis, ad Epipolas contendit. Nicias verò in [*Athenienſium*] munitionibus remansit. Cùm autem ad ipsas [*Epipolas*] accessissent per Euryelum (quâ etiam prior exercitus prius ascenderat) Syracusanorum custodes latuerunt, ipsorumque munitionem, quæ illic erat, aggressi ceperunt, & nonnullos de custodibus interfecerunt. At [*ipsorum*] plerique, qui confestim diffugerant ad castra, (quæ in ipsis Epipolis erant terna, in [*vrbis*] propugnaculis, vna quidem Syracusanorum, altera verò cæterorum Sicilienſium, & tertia aliorum sociorum,) hostium aduentum [*suis*] nuntiarunt. Et [*præcipuè*] sexcentis illis Syracusanis, qui etiam primi in hac Epipolarum parte excubabant, [*hostes introisse*] significarunt. Hi verò confestim ad opem [*suis*] ferendam accurrerunt; sed Demosthenes, & Athenienses eos nacti, quamuis strenuè resisterent, tamen fugarunt. Atque ipsi quidem confestim vlterius ire perrexerunt, ne præsens ille animorum ardor restingueretur, atque [*res,*] quarum causa venerant, non perficerentur. Alij verò munitionem Syracusanorum, quam initiò aggressi fuerant, à custodibus desertam ceperunt, pinnasque detrahebant. Syracusani verò, & socij, & Gylippus, eiusque milites [*suis laborantibus*] opem ex propugnaculis fero-

ferebant. Quoniam autem hoc audax [*hostium*] facinus ipsis inexpectatum noctu cõtigerat, Athenienses inuaserunt timore perculsi, & ab ipsis repulsi, primùm pedem retulerunt. Dum autem Athenienses quasi victores nullo ordine iam longiùs progrederentur, & omnes hostium munitiones nondum oppugnatas perrumpere quàm celerrimè vellent (ne, se de impressione [*aliquid*] remittentibus, [*Syracusani*] rursus cõglobarentur) ipsis Bœoti primi restiterunt, & aggressi fuderunt, ac in fugã coniecerunt. Hîc verò Athenienses iam in magna perturbatione, & consilij inopia constituti sunt, quam vel ex alterutris intelligere non facile fuit, [*vt certò sciatur,*] quonam modo singula contigerint. Nam [*quæ contigerint*] interdiu, certiora quidem [*sunt, faciliusq; cognosci possunt*:] sed tamen ne hæc quidem omnia [*nouerunt illi,*] qui [*rebus gerendis*] interfuerunt: sed vix vnus quisque nouit res in ea parte gestas, in qua ipse fuit. At in nocturna pugna (quæ sola in hoc bello inter magnos exercitus tunc est commissa) qua ratione quis aliquid certò scire possit? Nam luna quidem fulgebat: sed ita se inuicem conspiciebant, vt ad lunam [*illo, se mutuò conspicere potuisse*] credibile est. nam ipsam quidem corporis speciem prospiciebant: sed amicum [*ab hoste*] non discernebant. Vtrorunque verò non pauci grauis armaturæ milites in angusto loci spatio versabantur. Et Athenienſium alij quidem iam vincebantur, alij verò sua prima impressione adhuc inuicti pergebant. Multi etiam ex reliquo exercitu ad ipsos partim quidem iam ascenderant, partim verò iam aduentabant, adeò vt nescirent quonam tendere deberent. Nam propter fugam, in quam primum [*ipsorum*] agmen [*ab hoste*] coniectum fuerat, omnia perturbata erant, & propter [*ingentem*] cla-

more difficilè dignosci poterant. Nã & Syracusani, & socij, qui [*hostem*] vincebant, [*se inuicem ad rem fortiter gerendam*] adhortabantur, nec paruo clamore vtebantur, quòd alia ratione noctu [*quid opus esset facto*] significare non possent, & simul eorum, qui se ferebant obuiam, impetum sustinebant. Et Athenienses se ipsos quæritabant, & quoslibet oppositos, [*in quos incidebant*,] quamuis essent amici, illorum, qui fuga se iam [*ad suos*] reciperent, hostes esse ducebant. Quoniam autem crebris interrogationibus tesseram sciscitabantur, quòd nulla alia ratione [*suos ab hostibus*] dignoscere possent, sibi ipsis ingentem perturbationem præbebant, dum omnes simul [*tesseram*] sciscitarentur, ipsamq; hostibus prodiderunt. At illorum [*tesseram ipsi*] non ita norant, quia illi vincentes, nec dissipati, minus ignoti erant. Quare si [*Athenienses*] in aliquos hostes incidissent, quamuis plus virium, [*quàm hostes,*] haberent, [*ipsi tamen hostes*] ipsos deuitabant, quòd ipsorum tesseram nossent. Sed si ipsi [*Athenienses Syracusanis interrogantibus, tesseramq; sciscitantibus*] non respondissent, [*ab illis*] trucidabantur. Quod autem maximè, atque præcipuè [*ipsis*] nocuit, fuit pæanis modulatio. Quòd enim vtrorunque similis esset, [*magnam animis*] dubitationem afferebat. Nam & Argiui, & Corcyræi, & quicquid Doricæ gentis cum Athenienſibus erat, quoties pæanà cecinissent, [*hoc*] Athenienſibus timorem incutiebat, & hostes, [*quoties & ipsi pæanem cecinissent,*] pariter [*eos perterrefaciebant.*] Quamobrem ad extremum, postquàm semel perturbati fuerunt, in variis [*hostilium*] castrorum partibus inter se ipsos concurrentes, & amici cum amicis, & ciues cum ciuibus [*confligentes*] non solùm [*sibi mutuò*] metum incusserunt: sed etiam cùm ad manus inter se

venis-

veniſſent, [*alteri ab alterus*] vix dirimi potuerunt. Hoſtibus autem inſequentibus [*eorum*] multi ſe ipſos ex rupibus præcipitantes interimerunt, quòd arctus eſſet ex Epipolis ad regrediẽdum deſcenſus. Et poſtquàm ij, qui ex locis ſuperioribus incolumes euaſerant, in planitiem deſcenderunt, eorum plerique, & quotquot erant ex priore exercitu, propter maiorem regionis notitiam, in [*ſua*] caſtra perfugerunt. Ex iis verò, qui poſterius venerant, nonnulli [*propter locorum imperitiam*] ab itineribus aberrantes per agrum paſſim errarunt, quos, vbi dies illuxit, Syracuſanorum equitatus circunfuſus profligauit. Poſtridie verò Syracuſani quidem duo trophæa ſtatuerunt, [*vnum*] ad Epipolas, quâ [*hoſtis*] aſcenderat, & [*alterum*] vbi primùm Bœoti [*Athenienſibus*] reſtiterant. Athenienſes verò ſuorum cadauera fide publica interpoſita receperunt. Non pauci autem tam ipſorum, quàm ſociorum perierunt. Arma tamen longè plura, quàm pro cæſorum numero capta fuerunt. Qui enim ex rupibus inermes, ſine ſcutis deſilire coacti fuerant partim quidem perierunt, partim verò euaſerunt. Poſtea verò Syracuſani quidem propter inſperatum rei feliciter geſtæ ſucceſſum, viribus iterum (vt & antè) collectis, Agrigentum, quod ſeditione laborabat, Sicanum cum quindecim nauibus miſerunt, vt illam vrbem, ſi poſſent, in ſuam poteſtatem redigerent. Gylippus etiam itinere terreſtri Siculorum vrbes iterum adiit, vt nouas copias [*illinc*] adduceret, quòd ſpem concepiſſet, fore vt & munitiones Athenienſium expugnaret, quandoquidem apud Epipolas res ita contigiſſet. Interea verò Athenienſium duces, cùm propter cladem, quam acceperant, tum etiam afflictam omnibus in rebus fortunã, in qua totus exercitus tunc erat con-

ſtitutus, [*quid faciendum eſſet,*] conſultare cœperunt. Videbant enim ſe [*ſuis*] conatibus rem feliciter non gerere, & milites [*diuturna*] manſione grauari. Nam duabus de cauſis morbo premebantur, tum quòd id eſſet anni tempus, quo potiſſimùm homines ægrotant, tum etiam quòd locus, in quo caſtra habebant, paluſtris, ac moleſtus eſſet. Præterea [*conſultabant inter ſe,*] quòd de cæteris [*hoſtium rebus in ſuam poteſtatem redigendis*] nulla ſpes amplius ipſis oſtenderetur. Demoſthenes igitur non diutius [*illic*] manendum eſſe cenſebat. Sed cùm ſpes illa, qua adductus belli fortunam apud Epipolas tentauerat, eum fefelliſſet, pertranſire conſtituit, nec [*amplius*] morari, [*quod abeundum eſſe duceret,*] dum mare foret adhuc idoneum ad traiiciendum, ac ipſi, ſaltem claſſis acceſſione, [*nauales hoſtium*] copias, [*eorumq; caſtra iam*] ſuperare poſſent. Et Reipub. magis conducere dicebat, bellum cum illis gerere, qui in ſuo agro munitiones aduerſus [*ipſam*] extruerent, quàm cum Syracuſanis, quos expugnare nequaquam amplius facile eſſet. Quinetiam rationi minimè conſentaneum eſſe, magnam pecuniæ vim in [*illius vrbis*] obſidione fruſtrà conſumere. Atque Demoſthenis quidem hæc erat ſententia. Nicias verò ſentiebat quidem & ipſe res ſuas infirmas eſſe, [*ac male ſe habere:*] ſed tamen ipſarũ infirmitatẽ verbis declarare nolebat: nolebat etiam de receptu decretũ à ſe cum multis palàm fieri, ne [*ſui diſceſſus*] rumor ad hoſtes emanaret. Nam ſi [*multis teſtibus præſentibus*] hoc feciſſent, ſe multo minus, quotieſcunque voluiſſent, clàm [*hoſtibus*] diſcedere poſſe [*ducebat.*] Præterea hoſtium quoque res (quòd earum maiorem, quàm cæteri [*collegæ*] notitiam [*Nicias*] haberet) nonnihil ſpei adhuc [*ipſi*] præbebant, fore vt deterio-

riore conditione essent, quàm suæ si [*Athenienses*] in [*vrbis*] obsidione perseuerarent. Illos enim pecuniarum inopia à se exhaustum iri [*dicebat,*] præsertim quòd classem iam haberent, qua longè, lateque maris imperium obtinerent. Quinetiã (nam & Syracusanis erant nonnulli, qui res, [*vrbemq;*] Athenienſibus dedere volebant) [*qui partibus Athenienſium fauebant,*] nuntios ad ipsum mittebant, nec discedere sinebant. Quæ cùm [*ille*] sciret, re quidem ipsa in vtranque partem adhuc nutabat, & ancipitem cogitationem habens hærebat. Verbis verò, quibus tunc palàm vtebatur, se copias abducturum negabat. Se enim probè scire [*dicebat*] hæc ab Athenienſibus minimè probatum iri, se sine ipsorum decreto discedere. Non enim qui rerum statum (sicut & ipsi) vidissent, non autem ex aliorum [*duces*] insectantium verbis intellexissent, eosdem de se ipsis iudicaturos, atq; decreturos: sed ipsos [*Athenienses*] criminationibus alicuius, qui verbis ad persuadendum aptis vsus fuerit, fidem habituros, [*atq; his adductos sententiam de se laturos.*] Quinetiam multos, atque adeò pleroſque præsentium militũ, qui tunc vociferarentur se in grauibus malis versari, illuc reuersos contraria vociferaturos, duces pecunia corruptos [*publicam causam*] prodidisse, atque discessisse. Quamobrem se saltem qui nosset Athenienſium ingenia, nolle [*dicebat,*] ob turpem causam, & iniquè ab Athenienſibus potius morte mulctari, quàm ab hostibus, si opus esset, hoc ipsum priuato periculo pati. [*Quamuis autem res suas infirmas, & afflictas esse sciret,*] tamen dicebat res Syracusanorum longè deteriore conditione esse, quàm suas. Illos enim, quòd [*sua*] pecunia mercenarios milites alerent, simul etiam quòd alios sumptus facerent in alenda præsidia in

caſtellis circũ vrbem ſitis diſpoſita, præterea quod magnam etiam claſſem iam per annum alerét, partim quidem [*rei pecuniariæ*] inopia [*iam*] premi, partim verò in aliis etiam anguſtiis fore. Duo enim talentorum millia iam conſumpſiſſe, præterea multa etiam [*talenta multis*] debere. Et, ſi vel minimum de præſenti apparatu detraherét, ſtipendiumque [*militibus*] dare ceſſarent, res eorum perituras, quippe quòd copiis auxiliaribus niterentur potius, quàm neceſſariis, [*ciuium ſcilicet, ac amicorum, quos ipſa officij neceſsitas pro patria fortiter pugnare, belliq; calamitates ferre, & pericula ſubire cogeret,*] quales eſſent ſuæ copiæ. Quamobrem dicebat oportere [*ſe*] in [*Syracuſarum*] obſidione perſeuerare, neque pecunia ſuperatos, qua [*hoſtibus*] longè ſuperiores eſſent, abire, [*quaſi nullam amplius pecuniam haberent, vnde ſumptus in rem militarem facerent ad diutius in vrbis obſidione perſtandum.*] Atque Nicias quidem hæc dicens affirmabat, quia rerum Syracuſanarum ſtatum planè compertum habebat, & pecuniarum inopiam, [*qua Syracuſani laborabant,*] & quoſdam illic eſſe, qui res illas in Athenienſium poteſtatem venire cuperent, & qui nuntios ad ſe mitterent, ne diſcederet, ſimul etiam [*illud certò ſciebat,*] ſe claſſe ſaltem, [*recentibusq; naualium copiarum auxiliis fretum, maiorem*] fidentiam habiturum, quàm antè, quum [*ab hoſte*] victus fuiſſet. Demoſthenes verò nullo modo probabat eius conſilium de diutius in [*vrbis*] obſidione perſeuerando. Quòd ſi ſine Athenienſium decreto exercitus non eſſet abducendus: at [*in Sicilia*] perſtandum, dicebat hoc ipſis eſſe faciendum, ita vt caſtris [*inde*] motis aut Thapſum, aut Catanam peterent, vnde cum peditatu in varias [*hoſtilis*] agri partes ſeſe conuerterét, & incurſiones facerent, & res hoſtium diriperent, ac il-

ac illis nocerent, & cum [*suis*] nauibus in alto, nec in angustiis, [*vt nuper,*] (quæ pro hostibus magis facerent) prœlia committerent: sed in aperto mari, vbi ex sua [*rerum nauticarum*] peritia fructum perciperent, & se recipiendi, & [*hostem*] inuadendi liberam facultatem haberent, non ex breui, præscriptoque [*loci spatio in hostem*] impressionem facientes, & [*ad suas stationes, ac portum*] appellentes. In summa, nullo modo sibi placere dicebat, in eodem [*loco*] diutius manere: sed quàm celerrimè iam, & sine vlla cunctatione castris motis [*illinc*] abire. Eurymedon autem ipsius orationem comprobabat. Sed contradicente Nicia, segnities quædam, & cunctatio innascebatur, simul etiam suspicione Nicias, quòd aliquid amplius, [*meliusq;*] nosset, quàm cæteri, [*hæc, quæ dixerat,*] affirmaret, [*& in sua sententia sic perstaret.*] Hunc [*igitur*] in modum Athenienses quidem negligentiores facti sunt, & in [*eodem*] loco permanserunt. Interea verò Gylippus, & Sicanus Syracusas redierunt. Sicanus quidem infecto Agrigenti negotio (nam cùm adhuc Gelæ esset, illa seditio propter Syracusanos orta in [*mutuam*] amicitiam est conuersa, [*atq; seditionis illius hic fuit exitus,*] vt ciues inter se reconciliati fuerint, & in pristinam concordiæ gratiam redierint.) Gylippus verò rediit secum adducens cùm alium magnum exercitum ex Sicilia [*collectum,*] tum etiam illos grauis armaturæ milites vere in onerariis nauibus ex Peloponneso missos, ex Africa Selinuntem profectos. Cùm enim in Africam delati fuissent, & duas triremes, & nauigationis duces à Cyrenæis datos accepissent, & in ipsa præteruectione Euesperitis, qui ab Afris obsidebantur, opem tulissent, Afrosque superassent, & illinc præteruecti Neapolin petiissent, Carthagi-

nienſe emporium, vnde in Siciliam breuiſſimus eſt traiectus, duorum omnino dierum, & vnius noctis nauigatione, & illinc [*in Siciliam*] traieciſſent, Selinuntem peruenerunt. Cùm autem iſti [*illuc*] aduenissent, Syracuſani quidem confeſtim ſeſe præparare cœperunt ad Athenienſes virinque, & naualibus, & pedeſtribus copiis rurſus inuadendos. Athenienſium verò duces, eùm alium etiam exercitum ipſis [*Syracuſanis*] acceſſiſſe viderent, & res ſuas non in melius progredi: ſed quotidie ex omni parte [*in peius ruere, &*] peius ſe habere, præcipuè verò infirma hominum valetudine premi, pœnitebat eos quòd antea motis [*inde*] caſtris abiiſſent, & cùm ne Nicias quidem amplius æquè, [*ac antè ipſis*] aduerſaretur: ſed tantùm peteret ne ſaltem apertè [*profectio*] decerneretur, omnibus [*ſuis militibus*] abitionem ex caſtris edixerunt quàm occultiſſimè potuerunt, vtque expediti forent quũ quis ſignum daret. Cùm autem [*res omnes iam*] eſſent paratæ, cumque [*iam*] eſſent diſceſſuri, luna defecit. Erat autem plenilunium. Athenienſium verò cùm [*alij*] plerique rem eam pro ominoſa habentes, duces ad ſubſiſtendum hortabantur, tum verò Nicias (erat enim alioqui rebus diuinis, [*ac religioni,*] & huiuſmodi [*prodigiorum obſeruationi*] nimiũ deditus) dixit ſe ne permiſſurũ quidem amplius, vt de caſtris mouendis [*in concilio*] deliberaretur, prius quàm ter nouem dies [*ibi*] manſiſſent, quos vates præcepiſſent. Hac igitur de cauſa Athenienſes mora interpoſita [*illic*] permanſerunt. Syracuſani verò, cùm hoc intellexiſſent, animis & ipſi multo magis erecti ſunt ad Athenienſium fugam impediendam, quòd vel ipſi [*Athenienſes*] iam agnoſcerent ſe neque claſſe, neque peditatu Syracuſanis amplius ſuperiores eſſe. Nec enim, [*ſi res aliter habuiſſet, eos vnquam*]

vnquam] furtiuam abitionem molituros fuisse [*credebant.*] Simul etiam quòd nollent eos in aliquam aliam Siciliæ partem profectos, ibi considere, & oppugnatu difficiliores esse: sed illic primo quoque tempore, & in loco sibi commodo, ipsos ad prœlium nauale committendũ adigere [*vellent.*] Naues igitur instruere cœperunt, & aliquot dies, quot satis esse ipsis visi sunt, conquieuerunt. Postquam verò tempus opportunum aduenit, priore quidem die ad Athenienſium munitiones accesserunt, easque oppugnare cœperunt: cumque quędam non magna manus [*Athenienſium,*] tam grauis armaturæ militum, quàm equitum per quasdam [*munitionum Atticarum*] portas eruptionem in eos fecisset, [*Syracusani*] nonnullos [*illorum*] grauis armaturæ milites interceperunt, & [*cæteros*] in fugam versos persequuti sunt. Quoniam autem via, qua incursio [*à Syracusanis hostem fugientem insequentibus*] fiebat, erat angusta, Athenienses amiserunt septuaginta equites, & nonnullos grauis armaturæ milites. Atq; hoc quidem die Syracusanorum exercitus [*illinc*] se recepit. Postero verò die, cum sex & septuaginta nauibus prodierunt, & cum peditatu simul ad [*Athenienſium*] munitiones iuerunt. Athenienses verò cum sex & octoginta nauibus obuiam ipsis iuerunt, & cùm ad manus venissent prœlium nauale commiserunt. Et Eurymedontem, qui dextrum Athenienſium cornu tenebat, & aduersariorum naues circuncludere volebat, ac [*ideo*] nauium agmen longa serie extenuatum produxerat propius terram, Syracusani, sociique, cùm medium Athenienſium [*agmen*] primùm vicissent, ipsum quoque in ipso sinu, & intimo portus recessu interceperunt, & cùm ipsum, tum etiam naues, quæ ipsum sequebantur, profli-

garunt. Deinde verò reliquam etiam Athenienſium claſſem iam perſequi, & ad terram propellere cœperunt. Gylippus verò, cernens hoſtium claſſem iam ſuperari, & extra vallum, & ſua caſtra proferri, cupiens eos profligare, qui [*in terram*] egrederentur, & efficere, vt Syracuſani naues [*hoſtium ad ſe*] faciliùs retraherent, quòd ab amicis terra teneretur, ad ſaxorum molem fluctibus frangendis ante portum obiectam, cum quadam copiarum parte accurrit, vt [*ſuis*] auxilium ferret. Hetruſci verò (Iſti enim Athenienſium cauſa [*illic*] excubabant) cùm ipſos hâc incompoſitè contendentes animaduertiſſent, in eos eruptionem fecerunt, vt ſuis opem ferrent, & impreſſione in primos facta, [*eos*] in fugam coniecerunt, & in paludem nomine Lyſimeliam deturbarunt. Poſtea verò, cùm maior Syracuſanorum, ſociorumque manus iam aduenifſet, ipſi quoque Athenienſes, qui [*ſuis*] ſubſidio venerant, & qui [*ſuis*] nauibus timebant, cùm ipſis prœlium commiſerunt, victosque perſequuti ſunt. Et grauis armaturæ milites non multos interfecerunt, & nauium [*ſuarum*] maiorem quidem partem conſeruarunt, & in [*ſua*] caſtra reduxerũt. Sed earum duodeuiginti Syracuſani, ſociique ceperunt, omnesq; viros, [*qui in illis erant,*] interfecerunt. Et in cæteras, quas concremare cupiebant, nauem onerariam, vetuſtam, quam ſarmentis, ac tædis onerarant (erat autem ventus in Athenienſes ſecundus) igne iecto, dimiſerũt. Athenienſes verò [*ſuæ*] claſſi timentes, remedia ad ignem reſtinguendum idonea excogitarunt, reſtinctaque flamma, & impedito nauis onerariæ curſu, ne propius [*ad ſuas naues*] accederet, hoc periculo ſunt liberati. Poſtea verò Syracuſani quidem trophæum erexerunt cùm naualis victoriæ, tum grauis armaturæ militum prius ante

munit-

munitiones [*hostiles*] interceptorum, vnde etiam equos ceperunt. Athenienses verò, [*& ipsi trophæum erexerunt*] tũ [*Syracusani*] peditatus ab Hetruscis fugati, & in paludem compulsi, tum [*reliquarum copiarum,*] quas ipsi cum [*suis*] reliquis copiis [*in fugam coniecerant.*] Cùm autem Syracusani iam insignem victoriam naualem adepti fuissent (prius enim reformidabant classem quæ cum Demosthene aduenerat) Athenienses maximum animi mœrorem omnibus ex rebus conceperunt, quòd res longè aliter ipsis cecidisset, atque sperauerant. Sed eos multo magis huius expeditionis [*in Siciliam factæ*] pœnitebat. Quòd enim illis solis ciuitatibus bellum iam intulissent, quæ iisdem institutis vterentur, & quæ populari dominatu, vt & ipsi, regerentur, & quæ classem, & equitatum, & potentiam haberent, quòd etiam nullum dissidium ex mutato Reipub. statu inter ipsos excitare possent, quo [*eos*] sibi adiungerent, [*ac in suam potestatem redigerent,*] neque [*bellico*] apparatu, licet [*illis*] longè superiores [*essent, eos subigere possent:*] sed in plerisque rebus sui conatus infeliciter sibi cederent, cùm antea inopes erant consilij, tum verò postquàm nauali prœlio superati sunt (quod [*sibi euenturum*] nunquam putassent) tunc multo magis animis consternatis esse cœperunt. At Syracusani statim intrepidè portum præteruehi cœperunt, & eius ostium claudere statuerunt, ne Athenienses etiam si vellent, clàm ipsis [*illinc*] exirent. Nec enim ipsi iam de sua salute tuenda tantùm erant soliciti: sed etiam de ratione, qua illos impedirent, [*ne salutem sibi parere possent.*] Existimabant enim (id quod erat) præsentem rerum suarum statum longè meliorem esse, [*quàm rerum hostilium statum,*] &, si Athenienses, sociosque & terra, & mari superare possent, præclarum sibi cet-

tamen hoc apud Græcos visum iri. Cæteros enim Græcos confestim, partim quidem seruitute, partim verò [*seruitutis*] metu liberatum iri. Reliquam enim Athenienſium potentiam nequaquam amplius ſatis virium habituram ad ſuſtinendum bellum, quod [*ipſis*] poſtea inferretur. Se autem, quòd horum [*bonorum opera ſua Græcis partorum*] autores fuiſſe viderentur, cùm apud cæteros [*illius ſeculi*] mortales, tum etiam apud poſteros magnæ admirationi futuros. Et profectò certamen illud præclarum erat futurum, cùm his de cauſis, tum etiam quòd non ſolùm Athenienſes: ſed etiam multos alios [*eorum*] ſocios ſuperaturi eſſent. Neque verò ipſi tantùm [*Syracuſani victoriam iſtam ab illis eſſent reportaturi:*] ſed etiam vnà cum iis, qui auxilio ipſis veniſſent, quippe quòd cum Corinthiis, & Lacedæmoniis coniuncti, duces [*inter illos*] ſe præſtitiſſent, & ſuam vrbem pro [*aliorum ſalute conſeruanda,*] periculis obieciſſent, ac in nauali prœlio rem magna ex parte promouiſſent, [*quòd ipſi ſoli longè plures naues, quàm cæteri omnes ſocij, ad claſſem aduerſus hoſtes parandam contuliſſent.*] Etenim plurimæ gentes aduerſus hanc vnam vrbem tunc confluxerant, excepta tamen tota illa [*variarum gentium*] multitudine, quæ vel ad Athenienſium, vel ad Lacedæmoniorum vrbem in hoc bello conuenerat. Vtrique enim cum tot gentium copiis vel contra Siciliam, vel pro Sicilia bellum ad Syracuſas geſſerunt, quorum alij quidem illuc ſe contulerunt, vt hos [*Athenienſes*] in illa regione ſubigenda iuuarent, alij verò, vt cum illis [*Syracuſanis Siciliam*] conſeruarent, neque propter aliquod [*vel fœderis vel amicitiæ*] ius potius, [*quàm ob aliam cauſam,*] neque propter cognationem vel has, vel illas partes ſequuti ſunt: ſed vt ſinguli vel caſu, vel vtilitate, vel neceſſitate [*ad illam expedi-*

expeditionem]adducti fuerunt. Atq; ipsi quidem Athenienses, qui erant Iones, Syracusanis, qui erant Dorienses, vltro bellum intulerunt, & cùm ipsis eadem lingua, & [*iisdem*]præterea institutis vtentes Lemnij, Imbrij, & Æginetæ, qui tunc Æginam tenebant, [*ad idem bellum aduersus Syracusanos sunt profecti.*] Præterea Hestiæenses, qui Hestiæam in Eubœa sitam incolunt, & qui [*Athenienſium*]sunt coloni, eiusdem militiæ socij fuerunt. Ad eandem etiam expeditionẽ cum illis iuerunt alij, partim subditi, partim socij, qui suis legibus viuebant, partim etiam mercede conducti. Atque ex subditis quidem, & tributariis, Eretrienses, & Chalcidenses, & Styrenses, & Caristij, ex Eubœa erant. Ex insulis verò, Cei, Andrij, & Teij. Ex Ionia verò, Milesij, Samij, & Chij. Inter hos autem Chij, qui tributorum immunes erant, sed tantùm nauibus suppeditandis obnoxij, illius belli societatem liberi sequebantur, atque horum omnium plerique, præter Carystios, sunt ab Athenienſibus [*oriundi, & eorum coloni.*]Hi verò[*Caryſtij*]sunt Dryopes. Quamuis autem [*isti omnes exceptis Caryſtiis*] essent Iones, & [*Athenienſium imperio*]subiecti, tamen [*eos*]vel necessitate coacti contra Dorienses sequebantur. Præter hos autem, Æolenses; & Methymnæi quidem Athenienſibus parebant: sed naues tantùm illis suppeditabant, nullum verò tributum pendebant, Tenedij verò, & Ænij vectigales erant. Isti vero Æolenses cum Bœotis Æolenſibus, & suarum coloniarum conditoribus, qui cum Syracusanis se coniunxerant, necessitate coacti pugnarunt. Platæenses vero inter Bœotos soli cum Bœotis palàm, idq; iure inimicitiarum [*conflixerunt.*] Rhodij vero, & Cytherij, Dorienses vtrique, sed tamen Cytherij, Lacedæmoniorũ coloni, cum Athenienſibus con-

tra Lacedæmonios, qui cum Gylippo erant, arma ferebant. Rhodij verò, qui ab Argiuis erant oriundi, Syracusanis, qui Dorienses erant, quinetiam Gelois suis colonis, qui cum Syracusanis militabant, bellum facere cogebantur. Ex insularum verò incolis, qui circa Peloponnesum erant, Cephallenses, & Zacynthij, liberi illi quidem: quia tamen insulas incolebant, & [*ideo*] ab Athenienſibus, qui maris imperium [*tunc*] obtinebant, magis coërcebantur, [*quàm qui sedes in locis mediterraneis habebant, illos inuiti*] sequebātur. At Corcyræi non solùm Dorienses: sed etiam Corinthij planè, Corinthiis, atque Syracusanis, quamuis illorum quidem essent coloni, horum verò cognati, tamen necessitate quidem, quod specioſam honestatis causam, [*quā prætendebat, quòd Leontinos in suas sedes restituere vellent,*] sua verò sponte, propter odium, quo Corinthios prosequebantur, [*Athenienses*] non minus sequebantur, [*quàm alij.*] Messenij quoque, qui nunc sic appellantur, & qui Naupactum incolunt, & [*alij*] ex Pylo, quæ tunc ab Athenienſibus tenebatur, ad hoc bellum assumpti fuerunt. Item Megarensium exules non multi, cum Selinuntiis, qui Megarenses erant, propter [*exilij*] calamitatem pugnarunt. Iam verò cæteri sua sponte potius, [*quàm necessitate coacti,*] hanc expeditionem sunt sequuti. Argiui quidem non magis societatis gratia, quàm propter suum in Lacedæmonios odium, & singuli propter priuatum, ac præsens [*in aliquos odium,*] Dorienses aduersus Dorienses, sequuti sunt Athenienses, qui sunt Ioues. Mantinei etiam, & cæteri Arcades mercede conducti, qui semper [*alias*] hostibus, quicunque ipsis propositi fuissent bellum inferre consueuerant, tunc illos etiam Arcades, qui cum Corinthiis [*in Siciliam*] iuerant, nihilominus, [*quàm alios quos-*

quoslibet,] lucri gratia hostium loco habuerũt. Cretenses etiam, ac Ætoli, mercede & ipsi adducti, [*cum Athenienſibus ad hoc bellum ſunt profecti.*] Accidit autem vt Cretenses, qui cum Rhodiis Gelam condiderant, non à [*ſuis*] colonis starent: sed contra [*ſuos*] colonos, vltro, mercede allecti militarent. Acarnanum quoque nonnulli cùm lucri causa, tum verò multo magis propter amorẽ, quo Demosthenem, & propter beneuolẽtiam, qua Athenienses prosequebãtur, [*illis*] auxilium tulerunt. Atq; hi quidem intra sinus Ionij fines habitabant. Ex Italicis verò populis, qui huiusmodi temporum angustiis, & Reipub. seditione tunc intercepti fuerant, Thurij, & Metapontini eandem militiam sunt sequuti. Ex Sicilienſibus verò, Naxij, & Catanæi. Ex barbaris Egestæi, qui etiam bonam Sicilienſium partem, & [*multos*] illorum, qui extra Siciliam [*habitabant,*] secum adduxerunt. Hetruscorum etiam nonnulli, propter inimicitias, quas cum Syracusanis gerebant, & Iapyges mercenarij [*ad eandem expeditionem cum Athenienſibus ſunt profecti.*] Atque tot quidem gentes cum Athenienſibus militarunt. Vicissim autem [*aduerſus Athenienſes*] Syracusanis opem tulerunt & Camarinæi, qui erant [*illis*] finitimi, & Geloi, qui post hos habitabant. Deinde Agrigentinis quiescẽtibus, *& neutras partes sequentibus,*] Selinuntij, qui sedes [*post iſtos Syracuſanis proximas*] in illis [*Siciliæ*] partibus habent, [*ipſis ſubſidio venerunt.*] Atque hi quidem incolebant eam Siciliæ partem, quæ Africam versus spectat. Himeræi verò ab ea parte, in qua etiam soli ex [*omnibus*] Græcis habitabant, isti etiam, inquam, soli illinc [*Syracuſanis*] auxilio venerunt. Atque tot quidem nominis Græci gentes, quę in Sicilia sedes habebant, & Dorienses, & omnes sui iuris, in hoc bello [*Syracuſanos*] adiu-

uerunt. Ex barbaris verò soli Siculi, quotquot defectione [*à Syracusanis*] facta ad Athenienses non transierant, [*opem ipsis tulerunt.*] Ex Græcis verò, qui sunt extra Siciliam, Lacedæmonij quidem [*eos adiuuerunt, ipsis*] ducem Spartanum præbentes, & cæteros suos libertos, in ciuitaté nuper ascriptos, & Helotas, [*id est, sua seruitia.*] Isti autem νεοδαμόδεις iam liberi esse possunt, [*&, quòd à Lacedæmoniis libertate sint nuper donat, & in ciuitatem nuper ascripti, iam liberi censeri possunt.*] Corinthij verò & classe, & peditatu soli, & Leucadij, & Ambraciotæ, propter cognationem, [*illuc*] profecti, [*Syracusanis succurrerunt.*] Ex Arcadia verò, mercenarij milites à Corinthiis missi, & Sicyonij coacti militiá illam sunt sequuti. Ex illis autem, qui sunt extra Peloponnesum, Bœoti. Sed præter istas aduentitias copias ipsi Sicilienses omnium rerum ad hoc bellum necessariarum multitudinem [*longè*] maiorem, [*quàm cæteri,*] suppeditauerunt, quippe qui magnas vrbes incolerent. Etenim & multi grauis armaturæ milites, & naues, & equi, & alia maxima [*rerum bellicarum, hominumq́;*] multitudo [*ab ipsis*] collecta, [*& ad hoc bellum in Syracusanorum gratiam missa*] fuit. Verùm præ cæteris omnibus (vt ita loquar) ipsi Syracusani plus copiarum, [*& aliarum rerum ad bellum administrandum necessariarum*] suppeditauerunt, [*idq́;*] propter vrbis, & periculi magnitudinem, in quo versabantur. Atque hæc quidem fuerunt vtrorunque auxilia [*vndique*] collecta. Atque hæc omnia tunc vtrisq; præstò fuerunt, nec vllum præterea auxilium amplius aut ad hos, aut ad illos venit. Syracusani igitur, sociiq́ue meritò præclarum certamen sibi propositum esse duxerunt, si præter naualem victoriam, quam adepti fuerant, vniuersum etiam Atheniensium exercitum, qui tantus esset,

set, debellassent, & illos ab vtraque parte, & mari, & terra effugere prohibuissent. Itaque continuò magnum portum claudere cœperunt, qui octo ferme stadiorum ostium habebat, transuersis triremibus, & nauigiis, & scaphis, [*eas*] anchoris stabilientes, [*vt tanquam in statione firmæ starent, nec loco sese mouerent.*] Et cætera, si Atheniensis nauale prœlium adhuc committere auderent, præparabant. Et in nulla [*illius belli parte*] quicquam paruũ animo agitabant. Athenienses autem, cùm hanc [*portus*] obstructionem viderent, & cæteras illorum cogitationes, [*atq; consilia*] cognoscerent, cõsultandum esse censuerunt. Quare duces, & centuriones congregati, propter præsentes difficultates cùm aliarum rerum, tum verò [*præcipue*] quòd nec in præsentia cõmeatus amplius haberent (nam [*nuntiis*] Catanam præmissis, quòd [*illinc*] discedere statuissent [*Catanæis*] interdixerant ne [*commeatus vllos amplius ad se*] adueherent) nec in posterum habituri essent, nisi classe [*Syracusanos*] superarent, censuerunt superiores munitiones esse deserendas, & locum aliquem prope ipsas naues occupandum, & muro quàm minimo possent concludendum, qui vtensilium, & ægrotorum capax esset, atque hanc quidem munitionem præsidio tuendam, reliquo verò peditatu naues omnes, tam eas, quæ ad nauigationem essent idoneæ, quàm eas, quæ non essent idoneæ ad nauigandum, explendas, ita vt quoslibet [*in eas*] imponerent, & nauali prœlio commisso, si vincerent, Catanam se reciperent; sin secus, incensa classe, pedestri itinere, acie instructa abirent qua parte celerrimè locum aliquem aut barbaricum, aut Græcum, qui amicus esset, adipisci possent. Atque hi quidem, vt hæc ipsis [*fieri*] placuit, sic etiam [*illico*] fecerunt.

Nam & ex ſuperioribus munitionibus ad littus deſcenderunt, omnesq; naues compleuerunt, cunctis [*eas*] ingredi coactis, quicunq; per ætatem vel quoquomodo [*ad aliquẽ rei naualis vſum*] idonei eſſe videbantur. Vniuerſæ autem naues ad centum, ac decem completæ fuerunt. Multos autem ſagittarios, & iaculatores & Acarnanum, & aliorum peregrinorum [*militum*] in eas impoſuerunt, & cætera, prout ipſis in eas [*rerum omnium*] anguſtias compulſis, & huiuſmodi cogitationes habentibus licebat, compararunt. Nicias autem, rebus magna ex parte iam paratis, videns milites animo conſternatos eſſe, quòd præter ſolitum, nauali prœlio longè ſuperati fuiſſent, & propter cõmeatuum inopiam velle quàm celerrimè belli fortunam periclitari, omnes conuocatos, tunc primùm eſt adhortatus, & hæc verba fecit:

NICIAE CONCIO.

Milites Athenienſes, & [*vos*] alij ſocij, certamen quidem, quod nobis eſt ineundum, omnibus pariter erit commune, & vni cuique [*noſtrum*] de [*ſua*] ſalute, & patria, non minus quàm hoſtibus [*noſtris.*] Nam ſi nauali prœlio nunc [*hoſtes*] vicerimus, ſuam cuique ciuitatem, vbicunque illa fuerit, reuiſere licebit. Sed animum abiicere non oportet, nec idem pati, quod imperitiſſimis [*rerum bellicarum*] hominibus accidere ſolet, qui, ſi primis in prœliis rem infeliciter geſſerint, deinde ſimiles calamitates perpetuò formidant. Sed quotquot Athenienſes [*hic*] adeſtis, qui multorum bellorum notitiam habetis, & quotquot ſocij, qui [*noſtri*] commilitones ſemper fuiſtis, eſtote memores bellorum exitus incertos eſſe, & fortunam à nobis quoque ſtaturam ſperantes, ad iterum pugnan-

gnandum vos præparate, prout decet tantam vestrum multitudinem, quantã vos ipsi videtis. Quæ autem in his portus angustiis nobis profutura cognouimus, aduersus futuram nauium turbam, & aduersus illorum apparatum, [*ac milites*] in nauium tabulatis futuros, vnde prius damno fuimus affecti, hæc etiam omnia nunc, pro præsenti rerum facultate, cum gubernatoribus excogitauimus, atque parauimus. Nam sagittarij multi, & iaculatores [*in naues*] ascendent, & [*magna hominum*] multitudo, qua, si nauale prœlium in alto, [*liberoq; mari*] committeremus, non vteremur, quia nauium onus rei nauticæ disciplinam impediret. Sed hîc in pedestri prœlio, quod ex nauibus cõmittere cogemur, vtilis erit. Præterea excogitauimus etiam [*remedia*,] quæ aduersus [*naues hostiles*] in nauibus ædificandis erãt paranda, & aduersus crassitudinem tignorum, quæ sunt in illorum nauibus, & quæ aurium instar ex proris hinc, inde prominent, (quod præcipuè [*nobis*] obfuit) ferreas manus, quas [*illorum nauibus*] iniiciemus, quæ nauem [*hostilem*,] quum [*aliquam de nostris*] inuaserit, retinebunt, ne retro se recipiat, [*& nouam incursionem faciat*,] si modò vectores, [*nauiumq; defensores*] quæ postea requiruntur, exequantur, [*officioq; suo strenuè fungantur*.] In eam enim necessitatem iam sumus compulsi, vt pedestre prœlium ex nauibus committere cogamur. Hoc autem [*nobis*] vtile esse constat, vt neq; ipsi [*ab hostili classe*] resiliamus, neque illos [*à nostra*] resilire permittamus. præsertim quòd terra sit hostilis, præter eam, quam noster peditatus obtinuerit. Quorum [*vos*] memores oportet totis viribus constanter pugnare, nec [*sinere vos*] ad eam propelli: sed quum nauis cum naui confligere cœperit, [*existimare*] non decere prius [*ab hostibus*] dirimi quàm de hostili

tabulato milites deturbaritis. Atque ad hæc non minus milites, quàm nautas adhortor, [*atq; eo quidem magis*] quo magis eorum, qui desuper, [*& ex ipsis tabulatis*] pugnant, hoc officium est. Quinetiam in vobis situm est nunc quoque magnam victoriæ partem peditatu consequi. Nautas verò adhortor, quinetiam simul obsecro, ne propter clades acceptas, animo nimis consternato sitis. tum quia firmiorem apparatum [*militum, qui pugnabunt;*] ex tabulatis, tum etiam quia plures naues nunc habetis. Præterea [*oportet vos*] considerare quàm operę pretium sit illam voluptatem [*à vobis*] conseruari, quotquot de vobis antea pro Athenienſibus, quãuis non essetis [*Athenienses*] habebamini, & cùm ob [*nostræ*] linguæ peritiam, tum ob [*nostrorum morum, ac*] institutorum imitationem, apud [*omnem*] Græciam suspiciebamini, & quod attinet ad vtilitates, [*quæ ex imperio percipi solent,*] imperij nostri participes eratis non minus, [*quam nos indigenæ,*] imò verò multo magis, tum quòd populis imperio nostro subiectis terrorem incuteretis, tum etiamquòd [*ab aliis*] non læderemini. Itaque cùm soli, iique liberi, socij sitis imperij nostri, meritò nunc illud ne prodatis [*cauere debetis.*] Et contemptis Corinthiis, quos sæpe superastis, & Sicilienſibus, quorum nullus, quandiu [*nostra*] classis vigebat, nobis resistere est ausus, eos propulsate, & declarate vestram [*rerum bellicarum*] scientiam vel cum [*copiarum*] imbecillitate, & calamitatibus coniunctam, aliorum robore, quod secunda fortuna vtitur, potentiorem esse. Rursus illis de vobis, qui sunt Athenienses, hæc in memoriam redigo, neque naues alias his similes in naualibus, neque [*aliam huic similem*] militum iuuentutem à vobis [*domi*] relictam esse. Et, si quid aliud, quàm victo-

victoria, vobis cõtingat, & hostes, qui hîc sunt, protinus illuc nauigaturos, & qui de nobis illic sunt reliqui, nequaquam satis virium habituros ad propulsandos & eos, qui illic [*iam*] sunt, & eos, quĩ præterea [*hinc aduersus ipsos*] venient. Et vos quidem, [*qui hîc estis*] in Syracusanorum potestatem confestim venietis, contra quos qua mente veneritis, vos ipsi [*probè*] nostis. Qui verò illic sunt, in Lacedæmoniorum [*potestatem venient.*] Quare cùm in hoc vno certamine pro vtrisque, [*tam pro vobis ipsis, qui hîc adestis, quàm pro cæteris, qui sunt domi,*] constituti sitis, fortiter, si vnquam aliàs, [*hosti*] resistite, & singuli, & vniuersi vobiscum reputate, ex vobis, qui naues mox conscendetis, Athenienſium [*omnem*] peditatum, & classem, & [*vrbem, &*] reliquam ciuitatem, & magnum illud Athenarum nomen omnino pendere. Pro quibus, si qua in re alius alij præstat, vel scientia, vel animi præstãtia is nunquam aliàs opportuniùs, [*quàm hodie*] sese ostenderit, & sibi ipsi vtilis fuerit, & vniuersis [*ciuibus*] salutaris. Nicias igitur his [*suos*] adhortatus, statim imperauit, vt naues conscenderent. Gylippo autem, & Syracusanis, quippe quòd ipsum etiam [*hostium*] apparatum cernerent, præsentire quidé licebat, Athenienses nauale prœlium inituros esse: sed [*tamen à nonnullis præterea*] certiores facti sunt etiam de ferreis manibus, quas [*Athenienses Syracusanorum*] nauibus iniicere statuerant. Et cùm aduersus cætera omnia [*illorum inuenta,*] tum etiam aduersus hoc, remedia excogitata præpararũt. Nam proras, & superiores nauium partes coriis longè, lateque contexerunt, vt manus iniecta laberetur, nec quicquam nanciscereturquod apprehenderet. Postquam autem omnia præparata fuerunt, duces

[*eorum,*] ac Gylippus eos adhortati sunt, & hanc orationem [*apud eos*] habuerunt:

SYRACVSANORVM, ET GYLIPPI CONCIO.

Quòd præclaræ sint res [*à nobis*] antè gestæ, quodque de præclaris rebus mox etiam certamen [*nobis*] sit futurum, Syracusani, & socij, pleriq; nobis cognoscere videmini (nec enim tanto studio res illas gerendas suscepissetis) si quis tamen quantum satis est, non cognoscit, [*nos hoc ipsi*] declarabimus, [*eumq; docebimus.*] Athenienses enim, qui in hanc regionem venerunt, primum quidem vt Siciliam subigerent, deinde verò, si rem feliciter gessissent, vt Peloponnesum etiam, cæteramque Græciam [*in suam potestatem redigerent,*] & qui omnium tam superioris, quàm nostræ memoriæ Græcorum imperium iampridem maximum obtinent, vos [*omnium*] mortalium primi sustinuistis classe (qua [*illi*] cuncta obtinuerũt) & cùm aliis naualibus prœliis [*iam*] superastis, tum etiam hoc (vt verisimile videtur) nunc vincetis. Homines enim, postquàm eorum vires in ea re, qua se cæteris præstare putant, fractæ fuerint, multo minorem in posterum de se ipsis opinionem concipiunt, quàm si nunquam antea [*quicquam de se tale*] sensissent. Et opinione sua, propter quam animos elatos habebant præter spẽ frustrati, etiam infra vires virtute succumbunt. Id, quod Athenien sibus nunc accidisse credibile est. Quod verò ad nos attinet, tum quia pristina nostra virtus, (qua, licet [*rerum nauticarum*] adhuc essemus imperiti, belli fortunam tentauimus) nunc validior est, tũ quia summæ virtutis opinio [*iam*] ad eam accessit, quòd [*viros*] fortissimos vicerimus, spes vnius cuiusque [*nostrum*] duplo maior [*esse debet.*]

debet.] Plerunque autem maxima spes maximam etiam animorum alacritatem [*hominibus*] affert in rebus, quas gerendas suscipiunt. Quòd autem hostes nostrum apparatum [*in suis nauibus instruendis*] æmulentur, [*magnamq; propugnatorum copiam in eas imposuerint,*] hæc ratio nostræ quidē consuetudini familiaris est, nec imperati aduersus singulas illorum [*naues*]erimus. Illi verò, postquàm multi quidem grauis armaturæ milites præter [*ipsorum*]consuetudinem supra tabulata steterint, multi etiam terrestres iaculatores, vt ita loquar, & Acarnanes, & alij, qui naues conscenderint, qui ne sedentes quidem rationem inuenient, qua telum [*ad certum scopum*] emittere possint, quî fieri poterit, vt ipsas naues in periculum non coniiciant, & omnes inter se ipsos perturbationem non excitent, dum non suo more [*in ipsis nauibus, vt in terra facere solent,*]sese mouebunt? Si quidem ne multitudo quidem nauium ipsis proderit: si quis vestrum hoc etiam [*fortasse*] formidat, quòd non cum pari: *sed longè maiori*] nauium numero sit pugnaturus. Nam in exiguo [*loci spatio*] multæ [*naues*] erunt tardiores ad exequendum ea, quæ [*gubernatores*] volunt, opportunissimæ autem machinamentis, quæ præparauimus ad eas profligandas. Quod autem verissimum est, cognoscite ex iis, quæ nos certò intellexisse arbitramur. Nam isti malorum magnitudine fracti, & præsentibus difficultatibus superati, ad desperationem sunt redacti, non apparatu, [*copiisq; suis*] freti potius, quàm temeritate fortunæ, quam quoquo modo possunt, periclitari volunt. vt vel per vim nauibus elabantur, vel postea, [*nisi hac ratione ex nostris manibus elabi, & vela in altum facere possint,*] itinere terrestri [*aliquo*] se recipiant, quippe qui peiore conditione nunquam sint futuri, quàm

nunc sunt. Aduersus igitur talem confusionem, & infestissimorum hominū fortunam, quæ se ipsam [*nobis*] tradidit, iratis animis contendentes pugnā conseramus: & existimemus simul quidem æquissimum esse, aduersariorum suppliciis iracundiam animi saturare, qui dicere audent se iusta de causa huc venisse, vt nos suos hostes vlciscerentur, simul etiam in nobis, [*& penes nos*] futurum inimicos propulsare, & id, quod vulgò dicitur, suauissimum esse, [*suos inimicos vlcisci.*] Quòd autem [*isti sint nobis*] inimici, atque [*adeo*] inimicissimi, omnes [*hoc probè*] nostis, qui in nostram [*regionem*] nos in seruitutem redacturi venerunt. Quam rem si feliciter gessissent viros quidem acerbissimis cruciatibus: at liberos, & vxores summa turpitudine affecissent, & vniuersæ Reipub. turpissimum [*seruitutis*] cognomentum imposuissent. Quare nullum [*de nobis*] rem molliter gerere decet, neq; pro lucro ducere, quòd illi sine [*nostro*] periculo abeant. Nam parta etiam victoria hoc ipsum sunt facturi. Illud etiam præclarum certamen [*est futurum, quod nobis gloriam immortalem afferet,*] si faciamus ea, quæ facere debemus, & volumus, vt [*videlicet*] & istos puniamus, & vniuersæ Siciliæ firmiorē, [*quàm antè,*] libertatē restituamus, qua prius etiā frueba tur. Atq; ea pericula sunt rarissima, [*& maximè expetenda, & plurimi facienda,*] quæ, si offendas, minimū dāmnum, si rem feliciter geras, maximas vtilitates afferunt. Atque Syracusanorum quidem duces, & Gylippus, his verbis & ipsi suos milites adhortati, vicissim [*suas*] naues stati a [*militibus*] implere cœperunt, postquàm animaduerterunt & [*ipsos*] Athenienses [*idem facere.*] Nicias verò propter præsentem rerum st.tum animo perculsus, & animaduertens quantum periculum, & quàm vicinum iam

esset,

esset, quòd tantum nõ iam [*obuiam hosti*] essent processuri, & existimans (quod [*hominibus*] in maximis prœliis accidere solet) [*suis*] omnibus rebus aliquid adhuc deesse, quòd à se nondum præparatum esset, nec dum oratione satis ampla cum ipsis [*militibus*] à se actum esse, [*vt eos officij moneret, & ad rem fortiter gerendam adhortaretur*,] rursus vnum quenque trierarchorum vocabat, singulos & patrum, & tribuum, & propriis nominibus appellans. Vt orabat vnum quenque, in quo aliquid splendoris inerat, ne se ipsum proderet, néve [*illi*,] quorum maiores illustres essent, paternas, [*ac auitas* [virtutes, [*ac illustria facinora*] delerent. Eosdem etiam admonebat patriæ, quæ [*omnium*] liberrima esset, & in qua vnicuique arbitratu suo, citra præscriptum, ac imperium alterius vitam instituere liceret. Alia præterea commemorabat, quęcunque homines in huiusmodi temporis articulo iam constituti, reseruare, ac dicere solent, non vt alicui res priscas, [*ac inanis garrulitatis plenas*] effutire videantur, & [*quacunque alia his*] similia de vniuersis, [*vt*] & de vxoribus, & de liberis, & de Diis patriis proferri consueuerunt: sed quæ in præsenti pauore vtilia [*dictu*] putantes, alta voce pronuntiant. Atque hic quidem non quantum satis esset potius, quàm quantum sibi per temporis angustias concessum esset, se [*suos milites*] cohortatum ratus, [*ex concione*] digressus, peditatum ad mare duxit, & instruxit aciem quàm latissimè potuit, vt sociis naualibus ad fiduciam animo concipiendam quàm maximo esset adiumento. Demosthenes verò, & Menander, & Euthydemus (hi enim duces in Athenienſium naues ascenderant) à suorum castrorum statione soluentes, sine mora nauigarunt ad portus pontem, [*quem Syracusani iunctis triremibus transuersis, in ipso portus ostio col-*

locatis, fecerant,]&[*ad*]fauces relictas,[*& à Syracusanis nõdum præclusas,*] quâ eruptio fieri poterat, quòd [*illac*]per vim foras exire vellent. Syracusani verò, sociiq;, [*cùm suas & pedestres, & nauales copias*]prius, [*quàm hostilis classis illuc perueniret,*]eduxissent, nauibus tot numero, quot & antè habebãt, cum earum parte ad ipsas portus fauces, quâ eruptio fieri poterat, excubias agebant, & [*reliquam classem*] in reliquo portu circuncirca [*dispossuerant,*] vt vndique simul impressionem in Athenienses facerent, & peditatus simul ipsis subsidio veniret, ad quancunque partem & ipsæ naues appulissent. Præerant autem classi apud Syracusanos, Sicanus, & Agatharchus, vterque [*vnum*] totius [*naualis exercitus*] cornu tenens, Pythen verò, & Corinthij medium [*spatium, tenebant.*] Postquàm autẽ Athenienses ad pontem [*quem in portus faucibus Syracusani iunctis triremibus transuersis fecerant,*] accesserunt, primo quidem impetu naues ad ipsum [*præsidij causa*]collocatas, impressione facta superarunt, & [*portus*[clustra soluere conabantur. Postea verò, cùm Syracusani, sociiq; in ipsos vndique inueherentur, non amplius ad pontem, [*portusq; fauces*] tantùm: sed etiam in ipso portu prœlium fiebat. Erat autem atrox, & quale nullum superiorum [*fuerat.*] Magnam enim animorum alacritatem adhibebant vtriusque classis nautæ ad impetum in aduersarios faciendum, quocunque[*hoc facere*]iussi fuissent. Multa quoque certatim [*vtriusque classis*] gubernatores ad artem suam pertinentia alij contra alios excogitabant. Et [*milites,*]qui[*nauibus*] vehebantur, [*earumq; defensores erant,*] quoties nauis impressionem in nauem fecisset, operam dabant ne ipsi, qui ex tabulatis pugnabant, cætero artificio, [*cæterisq; nautis, & gubernatoribus, qui variis artibus ad hostem superandum vtebantur.*]

bantur,] inferiores essent. Et vnus quisque in munere sibi assignato, primus apparere, [*cæterisq; præstare*] conabatur. Quòd autem in exiguo [*loci spatio*] multę naues confligerent (nam hæ naues, quarum maximus erat numerus, in angustissimo [*spatio*] tunc pugnarunt. parum enim aberat quin vniuersæ naues vtriusque classis ducentas efficerent) incursiones quidem paucæ fiebant, quia vel retrocedendi, vel perrumpendi, [*ac erumpendi*] nulla facultas dabatur: concursus verò frequentiores erãt, prout quæque nauis in nauem incidisset, vel dum fugeret, vel dum impressionẽ in aliam faceret. Et quandiu quidẽ nauis [*aliam*] inuadebat, [*tandiu milites,*] qui ex tabulatis pugnabant, abundè iaculis, & sagittis, & lapidibus aduersus eam vtebantur. Cùm autem [*naues*] iam confligerent, [*earum*] propugnatores, qui manus conserebant, vtrinque in alienas naues ingredi conabantur. Multis autem in partibus contigit, vt propter loci angustias, partim quidem [*isti*] impressionem in illos facerent, partim verò illi in istos incurrerent, & duæ, quinetiam alicubi plures naues vni necessariò adhæresceren t. Contigit etiam, vt gubernatores, has quidem vitandi, illas verò per insidias inuadendi, non sigillatim: sed variis in partibus vndique cura circunsisteret, vtque strepitus ingens, qui à multis nauibus concurrentibus edebatur, simul & pauorem afferret [*iis, qui nauibus vehebantur,*] & auditum adimeret eorum, quæ ab hortatoribus, [*ac nautarum moderatoribus*] præcipiebantur. Multa enim hortatorum adhortatio vtrinque audiebatur, ex arte [*hortatoria,*] & propter præsens vincẽdi stadium. Athenienſium quidem, vt [*gubernatores, remiges, ac milites*] per vim eruptionem facerent, exclamantium, vtque nũc, si vnquã aliâs, alacriter [*suam*] salutem cõseruantes in

patriam redire conarentur. Syracusanorum verò, & sociorum [*exclamantium*,] præclarum esse illorum fugam impedire, partaque victoria suam quemque patriam [*gloria*] augere. Præterea vtriusque classis duces, si cubi [*gubernatorem*] aliquem animaduertissent cum sua naui cessim ire, accitum nominatim [*eius*] trierarchum percontabantur. Athenienses quidem, num [*isti*] retrocederent, quòd infensissimorum hostium agrum, [*ipso*] mari, cuius imperium non exiguo [*labore, nec per exiguum tempus*] obtinuissent, iam amiciorem putarent. Syracusani verò, num quos Athenienses planè scirent vehementer cupere quauis ratione effugere, hos fugientes, ipsi fugerent. Dum autem nauale prœlium [*ab illis*] ancipiti marte committeretur, vtrorumque peditatus, qui in terra erat, magnum animi certamen sustinebat, & rei euentum admodum attentè expectabat. Ac Syracusanus quidem [*exercitus animis ad certamen admodum attentis erat,*] quòd iam pro maiore gloria sibi comparanda contenderet. Athenienses verò, qui [*Syracusanos*] inuaserant, quòd metuerent ne in fortunam præsenti longè deteriorem delaberentur. Athenienses enim, quòd omnes suas fortunas, [*omnemq; spem*] in nauibus posuissent, de futuro [*prœlij nauales euentu*] adeò timebant, vt nullus [*alius maiore metu percelli posset,*] atque hac ipsa de causa nauale prœlium inæqualiter, [*ac impari conditione,*] ex terra [*vtrique*] spectare cogebantur. Nam cùm spectaculũ esset è propinquo, nec omnes pariter eodem spectarent, si qui suos alicubi vincentes aspexissent, se ipsos colligebant, [*& pristinas animi vires resumebant,*] & ad implorandam Deorum fidem se conuertebant, ne se salute fraudarent. Alij verò, qui suos vinci vidissent, planctu, simul & vociferatione vtebantur, & ex iis, quæ fieri cernebant, ani-

animis etiam multo magis frangebantur, quàm qui in ipso prœlio versabantur. Quinetiam alij, vbi oculos in aliquam partem conuertissent, in qua ancipiti marte pugnaretur, (propter permixti, confusiq́ue certaminis continuationem, [*qua fiebat, vt dignosci non possent qui sui, qui hostes, qui victi, qui victores essent:*]) ipsis etiam corporibus, prout animo erant affecti, cum vehementi metu simul nutãtes in maxima animi anxietate versabantur. Semper enim parum aberat quin euaderent, aut perirent. In eodem autẽ Athenienſium exercitu, quandiu [*classes*] æquo marte pugnarunt, licebat [*hæc*] omnia simul audire, lamenta, clamores, vincentes, victos, [*&*] alia, quæcunque magnus exercitus in magno discrimine [*positus,*] multifariàm profetre cogitur. Illorum etiam militibus, qui in nauibus erant, idem, quod his, accidebat. Donec tandem Syracusani, sociiq́ue, (cùm nauale prœlium ad multum diem vtrinq; pertinaciter commissum fuisset) Athenienses in fugam verterunt, & minimè dubiè [*fugientibus*] instantes, magno clamore, & cohortatione vtentes, terram versus [*eos*] persequi cœperunt. Tunc verò nauticus quidem exercitus, alius aliò, quotquot in alto capti non fuerant, [*in terram*] delati, in [*sua*] castra euaserunt. Peditatus verò, non amplius diuersam rationem sequens, [*ita vt alij hoc, alij illud facerent:*] sed vniuersi vno impetu, cum ploratu, gemituq́; grauiter, [*ac indignè*] ferentes ea, quę fiebant, partim quidem ad opem nauibus ferendam accurrebant, partim verò ad reliquam munitionum partem, vt eam tutarẽtur. [*Properabant.*] Alij verò (quę maxima erat portio) se ipsos iam circunspiciebant, & quâ sibi salutem parerent. Tunc autem [*in Athenienſium castris*] tantus extitit pauor, vt nullus ex superioribus hoc maior extiterit. Et cladem illi simi-

lem [*hîc*] acceperunt, quam ipſi [*Lacedæmonijs*] ad Pylum attulerunt. Cùm enim Lacedæmoniorum claſſis [*illic*] profligata fuiſſet, præterea ipſorũ quoque ciues, qui in inſulam traiecerant, in ea [*plerique*] perierunt. Quamobrem Athenienſes itinere terreſtri (niſi quid inopinatum accideret) ſe ſeruatum iri deſperabant. Poſt prœlium autem nauale, quod acerrimè cõmiſſum fuit, in quo multæ naues, multíque mortales perierunt, Syracuſani, ſociíque victoriam adepti, nauium fractarum tabulas, ac reliquias, & cæſorum corpora ſuſtulerunt, & in vrbem reuerſi, trophæum ſtatuerũt. Athenienſes verò præ magnitudine præſentium malorum, ne cogitarũt quidem de ſuorum cadaueribus, nauiumque fragmentis repetendis, ac recipiendis: ſed de noctu protinus abeundo conſultabant. Demoſthenes autem, cùm Niciam adiſſet, cenſebat reliquas naues iterum inſtruendas, & ſub auroram, ſi poſſent, eruptionem tentandam. Dicebat enim plures adhuc naues ad nauigationẽ idoneas ſibi ſupereſſe, quàm hoſtibus. Athenienſibus enim naues circiter ſexaginta ſupererant, hoſtibus verò, pauciores, quàm quinquaginta. Cùm autem Nicias ei aſſentiretur, & naues implere vellent, nautæ illas conſcendere nolebant, quòd aduerſo prœlio perterriti eſſent, nec amplius ſe ſuperiores fore ſperarent. Atque hi quidem vniuerſi iam itinere terreſtri ſe [*aliquò*] recipere in animo habebant. Sed Hermocrates Syracuſanus ſuſpicatus quid illi in animo haberent, & ratus atrocem rem fore, ſi tantus exercitus itinere terreſtri ſeſe [*illinc*] reciperet, & in aliqua Siciliæ parte ſubſideret, vnde rurſus bellum ſibi facere vellet, Magiſtratus adit, eoſque monet hoſtibus per negligentiam minimè permittendum eſſe, vt noctu abirent (ſimul autem & hæc, & alia, quæ ipſi videban-

debantur, dicebat) sed omnibus Syracusanis, sociisque iam exeundum, & vias obstruendas, & locorum angustias præoccupandas, atque custodiendas. Illi verò, & ipsi non minus, quàm ille, idem sentiebant, & [*hæc*] facienda censebant. Sed [*addebant*] se non putare homines lætos, & ex nauali, eoque magno prœlio recens reuersos, & quiescentes, præterea quòd dies festus esset (fortè enim tũc apud ipsos dies festus Herculis erat) imperata facilè facturos. Nam præ ingenti victoriæ gaudio, plerosque per eum diem festum sese ad potationẽ conuersuros, & se existimare illos sibi in quibuslibet [*aliis rebus*] obtemperaturos potius, quàm in præsentia sumptis armis [*aduersus hostem*] exituros. Sed cùm Magistratibus hæc reputantibus difficilia factu esse viderentur, & Hermocrates [*hæc*] ipsis persuadere non posset, postea ipse hæc commentus est, veritus ne Athenienses nemine prohibẽte, difficilima quæque loca noctu prius transirent, [*quàm ipsi ex vrbe egrederentur,*] nonnullos è suis sodalibus cum equitibus, quum iam adueseraſceret, ad Athenienſium castra mittit. Qui [*eò vsque*] prouecti, vnde quis exaudiri posset, & quibusdam euocatis, quasi Athenienſium essent amici (erant enim nonnulli internuntij, qui Niciam de rebus vrbanis certiorem faciebant) imperarunt, vt Niciæ significarent, ne ea nocte copias abduceret, quòd Syracusani vias obsediſſent: sed postridie copiis per otium instructis abiret. Atque illi quidem, [*qui illuc ab Hermocrate missi fuerant,*] cùm [*hæc*] dixissent, discesserunt. Hi verò ducibus Athenienſium renuntiarunt ea, quæ [*ex Syracusanis nuntiis*] audierant. Duces autem ob istum nuntium ea nocte supersederunt, nullam subesse fraudem rati. Cùm autem ne sic quidem statim discessissent, ipsis

& insequentem diem [*illic*] remanere placuit, vt milites pro præsenti facultate conuasarent quàm commodissimè possent. & cætera quidem omnia relinquere: solis verò rebus, quotquot ad corporis victum, ac vestitum essent necessariæ, assumptis, abire. Syracusani verò, & Gylippus cum peditatu quidem prius egressi, [*quàm illi discederent,*] & vias per [*suam*] regionem, quâ verisimile erat Athenienses iter facturos, obstruxerunt, & riuorũ, ac fluuiorum transitus custodiebant. Et in locis ad excipiendum exercitum opportunis, quâ [*transiturus*] videbatur, vt [*eius transitum*] impedirent, acie instructa stabant. At cum classe profecti, Atheniensium naues à littore abstraxerunt. Aliquot etiam concremarunt (quod vel ipsi Athenienses facere in animo habuerant) cæteras verò per otium, nullo prohibente, vt quæque fortè aliquo delata fuerat, religatas in vrbem traxerunt. Postea verò, cùm Niciæ, & Demostheni [*res omnes ad profectionem necessariæ*] satis præparatæ esse visæ sunt, iam tertio à nauali pugna die castra mouerunt. Hæc igitur res erat acerba, non tantũ si quis singula spectet, quòd [*nimirum*] & amissa classe vniuersa discederent, & pro magna spe, [*quam antè conceperant,*] cùm ipsi, tum etiam [*vniuersa*] ciuitas in [*salutis*] discrimen esset adducta: sed etiam quòd in castris deferendis vni cuiq; contingeret, quę nec spectari nec cogitari sine animi angore possent. Nã cùm mortui essent insepulti, quoties quis aliquem necessariorum iacentem conspexisset, mœrore simul, & metu afficiebatur. Viui verò, qui [*à cæteris abeuntibus, illic*] relinquebantur & vulnerati, & ægroti, multo maiorem mœrorem, quàm mortui viuis afferebant, & [*multo*] miseriores, quàm defuncti, [*ipsis esse videbantur.*] Nam ad preces, & lamentationes conuerſi

uersi [*cæteros*] ad dubitationem adigebant, [*& dubitare cogebant, quidnam faciendum esset, vtrum illis relictis abeundum, an cum illis remanendum,*] quòd [*illos*] orarent, vt se abducerent, & vnius cuiusque fidem implorarent, sicubi quis aliquem aut sodalium, aut familiarium animaduertisset, ac ex contubernaliũ iam abeuntium ceruicibus penderent, & quousq; possent, [*eos*] insequerentur. Quòd si quos corporis vires ante confectũm iter defeciſſent, non sine multis obtestationibus, ac ploratibus [*ab aliis*] deserebantur, adeò vt omnis exercitus lachrymis repletus, & huiusmodi dubitatione [*retardatus,*] non facilè discedere posset, quamuis ex hostico [*discedendum ipsis esset,*] tum iam vel maiora passis, quàm quæ lachrymis [*vllus satis pro malorum magnitudine*] deflerí possent, tum etiam futura metuentibus, ne quid [*grauius in posterum*] paterentur. Magnusque mœror, simul & magna, eique mutua inter ipsos incusatio erat. Nihil enim aliud, quàm expugnatæ ciuitati, eique non paruæ, quæ profugeret similes erant. Nam vniuersa multitudo simul proficiscentium non erat infra numerũ quadraginta millium. Horum autem cùm cæteri omnes, quod quisque poterat, prout vtile [*ac necessarium ipsis*] erat, tum etiam grauis armaturæ milites, & equites, præter consuetudinem, ipsi quoque sua etiam cibaria sub armis ferebant, alij quidem, propter seruorum inopiam, alij verò, propter diffidentiam. Transfugerant enim & iam pridem [*multi eorum serui,*] & tũc temporis plerique. Atque ne hæc quidem, quæ ferebant, [*ipsis*] sufficiebant. Nullus enim commeatus in castris amplius erat. Quinetiam cætera ignominia, & æqualis malorum portio, quæ quoddam leuamentum [*aliàs*] habet, quum [*eorundem malorum*] multos habemus [*socios,*] tamen ne sic qui-

dem tunc facilis [*esse, nec vllum miseriarum solatium ipsis, quamuis multos earundem calamitatum socios haberent, afferre*] videbatur. Præsertim [*cogitantibus*] quanto ex splendore, & gloriæ dignitate, qua initiò præditi fuissent, in quem exitum, & [*in quam*] humilem fortunam deueniissent. Hæc enim rerum commutatio illi Græcorum exercitui maxima cõtigit. Qui enim [*illuc*] iuerant, vt alios in seruitutem redigerent, illis accidit, vt ipsi hoc potius metuentes ne ab illis in seruitutem redigerentur, abscederent. Et pro votis, lætisque carminibus, cum quibus ad hanc expeditionem profecti fuissent, rursus cum ominis mali vocibus, quæ his erant contrariæ, discederent. Et ex nauticis facti pedestres iter facerent, animumque potius ad grauem armaturam, quàm ad classem instruendam appellerent. Hæc tamen omnia propter periculi adhuc impendentis magnitudinem ipsis ferenda videbantur. Nicias autem cernens exercitum animo consternatum, & in magna [*fortunæ*] commutatione constitutum, [*ad singulos ordines*] adiens, vt pro præsenti rerum statu, [*eos*] confirmabat, & consolabatur, & clamore longè maiore, [*quàm vnquam antè feciſſet, tunc*] vtebatur, vt ad quosque accedebat, tum propter animi studium, [*ac ardorem*] tum etiam quòd suæ vociferationis fructum quàm longissimè [*per castra*] manare cuperet.

NICIAE CONCIO.

Vel in præsenti rerum statu, Athenienses, ac socij, spem oportet habere. Iam [*enim*] nonnulli vel ex asperioribus [*malis,*] quàm sunt ista, [*in quibus versamur,*] incolumes euaserunt. neque supra modum vobismetipsis succensere vel propter clades [*acceptas,*] vel propter ærumnas, quæ præter dignitatem,

tatem, [*ac vestra merita, vos*] nunc premunt. Nam & ego, quamuis neque [*corporis*] viribus valentior sim, quàm vllus de vobis (vos enim ipsi iam videtis vt morbo sim affectus) neque felicitate cuiquam secundus [*antea*] fuisse videar, cùm in priuata vita, tum in cæteris rebus, [*quæ ad Reipub. administrationem pertinent,*] nunc [*tamen*] in eodem periculo pendens versor, in quo vel abiectissimæ conditionis homines versantur. Quanquam multa quidem ex patriis institutis ad pietatem Diis præstandam perpetuò feci, multis etiam pietatis officiis, quę debent inuidia carere, [*nec vitio verti,*] mortales sum prosequutus. Quare [*quamuis nostra fortuna prorsus afflicta videatur,*] rerum tamen futurarum spes est audax: sed clades, quas nullo nostro merito accepimus, [*nos*] iam terrent. At fortasse cessabunt. Nã & satis feliciter cum hostibus est actum, & si cui Deorum inuisi bellum hoc suscepimus, satis pœnarum iam dedimus. Etenim & alij nonnulli iam bellum aliis intulerunt, qui cùm humanitus peccassent, pœnas tamen tolerabiles dederunt. Quamobrem verisimile videtur nos quoq; nunc debere sperare Deum mitius nobiscum esse acturum. (Iam enim ipsorum [*Deorum*] misericordia, quàm odio sumus digniores) & [*conuenit vos,*] cùm videatis vos ipsos, quales, & quos grauis armaturæ milites acie instructa pergitis, animis non nimis consternari. Quinetiam illud cogitate, vos ipsos, vbicunque consederitis, ibi protinus [*vobis ipsis*] esse ciuitatem, & fore, vt nulla alia Sicilienſis [*ciuitas*] aut vestrum, si [*eam*] inuadatis, impetum facilè sustineat, aut si sedes alicubi fixeritis, [*facilè vos illinc*] expellat. Iter autem vt tutò, & seruatis ordinibus fiat, operam vos ipsi cautè dabitis, nihil aliud vnus quisque secum ipse reputans, nisi, quo-

cunque in loco pugnare coactus fuerit, hunc si victoria potiatur, & patriam, & vrbem sibi futurum. Iter autem & noctu, & interdiu pariter magna festinatione faciendum erit. Exiguos enim commeatus habemus. Et si quod amicum oppidum Siculorum nacti fuerimus (isti enim propter Syracusanorum metum adhuc erga nos in fide constanter perstant) iam verò existimate vos in loco tuto esse. Ad eos verò [*nuntium*] præmittite, qui iubeat [*eos nobis*] obuiam venire, & alios commeatus afferre. In summa [*hoc*] sciatis, milites, necessarium esse vobis, viris esse fortibus, quòd nullus sit locus propinquus, quò, si ignauè vos gesseritis, salui peruenire possitis, &, si nunc hostes deuitaritis, cæteros quidem [*de vobis*] ea consequuturos, quæ reuisere concupiscitis, Athenienses verò magnam [*vestræ*] ciuitatis potentiam, etsi collapsam, erecturos. Viri enim [*sunt*] ciuitas, non autem mœnia, neque naues viris vacuæ. His Nicias exercitum cohortans simul adibat, & sicubi disiunctum, nec ordine seruato procedentem videbat, cogebat & in ordinem redigebat. Demosthenes verò nihilominus eadem, aut [*his*] similia apud suos dicebat. Et Niciæ quidem copiæ agmine quadrato ibant, Demosthenis verò [*copiæ*] sequebantur. Lixas verò, & plurimam turbam, grauis armaturæ milites intra medium suum agmen receperunt. Postquam autem ad Anapi fluminis transitum peruenerunt, Syracusanorum, ac sociorum manum illic instructam inuenerunt, quibus fugatis, & transitu in suam potestatem redacto, vltra processerunt. Et Syracusanorum equites obequitantes [*illis*] instabant, & leuis armaturæ milites iaculis [*eos*] incessebant. Atque hac quidem die Athenienses stadia circiter quadraginta progressi, castris ad quendam collem

collem positis pernoctarunt. Postridie verò, diluculo iter ingressi sunt & viginti circiter stadia processerunt, & in quendam campestrem locum descenderunt, ibique castra posuerunt, tum quòd aliquid cibariorum sumere ex domibus illis (is enim locus habitabatur) tum etiam quòd aquam secum illinc afferre vellent. Nam vltrà locum illum, ad multa stadia, quâ transituri erant, non erat magna aquæ copia. Interea verò Syracusani progressi, trāsitum vlteriorem muro cinxerunt. Erat autem collis natura munitus, & ab vtraque eius parte [*erat*] torrentis alueus rupibus præceps. Vocabatur autem Acræum lepas, [*id est, promontorium in montis vertice situm.*] Postridie verò Athenienses progredi cœperunt, & Syracusanorum, a sociorum equites, & iaculatores, qui vtrique multi erant, ipsos [*progredi*] prohibebant, & iaculis incessebant, & obequitantes infestabant. Et diu quidem Athenienses pugnarunt, tandem verò in eadem castra rursus se receperunt. Sed commeatus non æquè, [*ac prius,*] amplius habebant. Nam propter [*hostium*] equitatum non poterant amplius [*illinc*] recedere. Manè tamen motis castris, rursus ire perrexerunt, & ad collem muro cinctum, per vim peruenire, [*ac in eum irrumpere*] tentarunt & ante suas copias inuenerunt pedestrem [*hostium*] exercitum, qui supra [*collis*] munitionem instructus stabat, acie non paucorum scutatorum in longitudinem exporrecta. Is enim locus erat arctus. Athenienses autem munitionem aggressi oppugnare cœperunt: sed cùm telis ex colle, qui erat acclivis, à multis peterentur (qui enim ex superiore loco [*tela iaculabantur, telis ad hostes*] facilius pertingebāt, [*ac eos assequebantur*]) nec [*eò*] possent perrumpere, retrò se receperunt, atque quieuerunt. Quinetiam casu quadam toni-

trua, simul & imbres [*tunc*] extiterunt, vt anni tempore, quod ad Autumnum iam accedebat, fieri solet. Quamobrem Athenienses longè vehementiùs animos abiicere cœperunt, quòd hæc etiam omnia in suum exitium fieri putarent. Ipsis autem quiescentibus, Gylippus, & Syracusani partem quãdam copiarum miserunt, quæ ipsos muro intercluderét à tergo, quâ venerant. Sed cum ipsi quoq; vicissim quosdam de suis misissent, [*hoc fieri*] prohibuerunt. Postea verò Athenienses propius planitiem reuersi, [*castris ibi positis*] pernoctarunt. Postridie verò progredi cœperunt. Ipsos autem Syracusani vndique circunfusi adoriebantur, multosque sauciabãt. Et quoties Athenienses impressionem in eos faciebant, ipsi se subducebant. Quoties verò recedebant, [*illis*] instabant, præcipuè verò nouissimum agmen carpentes, si fortè [*ea parte*] paulatim in fugã versa, reliquũ exercitum perterrefacerent. Et diu Atheniénses hoc modo [*Syracusanis*] restiterũt. Deinde quinque, séxve stadia progressi, in planitie conquieuerunt. Syracusani quoque ab illis digressi in in suã castra redierunt. Noctu verò Niciæ, & Demostheni placuit, (quoniam ipsorum exercitus malè se habebat, cùm ob omnis commeatus inopiam, qua iam premebatur, tum ob multitudinem eorum, qui in multis incursionibus ab hoste factis vulnerati fuerant,) quàm plurimis ignibus accensis abducere copias, nõ tamen amplius eadem via, qua constituerant: sed alia ei contraria, quam Syracusani seruabant, mare versus. Totum autem hoc iter, quod exercitus faciebat, non ad Catanam ducebat: sed in aliam Siciliæ partem, Camarinam versus, & Gelam, aliasque tum Græcas, tum barbaras vrbes in illa [*Siciliæ*] parte sitas. Accensis igitur multis ignibus, per noctem proficiscí cœperunt. Sed

(vt

(vt vel in omnibus, præcipuè verò maximis exercitibus, præsertim & noctu, & per hostícum, & hoste non procul [*ab ipsis*] distante, iter facientibus, metus, & pauor excitari solet) ipsos incessit trepidatio. Et Niciæ quidem copiæ, quemadmodum præibant, sic etiam [*in eodem ordine*] simul perstiterunt, longeque præcesserunt. At Demosthenicarum copiarum dimidia ferè, atque adeò maior pars [*à reliquo exercitus corpore*] distracta est, & ordinibus non seruatis pergebat. Prima autem luce, [*quamuis iter solutis ordinibus, & incompositè facerent,*] tamen ad mare peruenerunt, & viam nomine Helorinam ingressi, ire pergebant, vt cùm ad Cacyparim fluuium deuenissent, secundum ipsum fluuium per mediterranea in superiora loca se conferrent. Sperabant enim hâc etiam Siculos, quos accersissent, obuiam sibi venturos. Sed cùm ad fluuium venissent, hîc quoque quoddam Syracusanorum præsidium inuenerunt, quod muris, valloque transitum præcludebat; sed eo [*præsidio*] per vim [*illinc*] depulso, fluuium illum traiecerát, & rursus ad alium fluuium nomine Erineum contenderunt. Hâc enim duces [*iter fieri*] iusserant. Interea verò Syracusani, ac socij, vbi dies illuxit, & Athenienses abisse cognouerunt, plerique Gylippum insimulabant, quòd Athenienses sciens, prudensque dimisisset. Quare celeriter persequentes, quâ progressos non difficilè norant, sub horam prandij [*eos*] adipiscuntur. Cùm autem assequuti fuissent Demosthenis milites, qui postremi erant, & tardè, & incompositè iter faciebant, quòd noctu tũc perturbati fuissent, confestim [*eos*] aggressi pugnare cœperunt. Syracusanorum autem equitatus ipsos faciliùs circundedit, & in exiguum loci spatium contraxit, quòd tunc [*à Niciæ copijs*] essent separati. Nam Niciæ

exercitus vlterius progressus distabat [*illinc*] centum, & quinquaginta stadia. Nicias enim [*agmen*] ociùs ducebat, quòd existimaret minimè salutare esse in huiusmodi tempore cunctari vltrò, & dimicare: sed quàm celerrimè sese recipere, ita vt [*milites*] eatenus pugnarent, quatenus cogerentur. Demosthenes verò multiplici, eoque assiduo labore magis, ac magis premebatur, quòd ipsum posterius digressum, hostes priorem vrgerent. Cùm autem tunc Syracusanos insequétes animaduertisset, non tam progrediebatur, quàm ad prœlium aciem instruebat, donec cunctatus ab ipsis est circumuentus, & cùm ipse, tum Athenienses, qui cum ipso erant, in magna perturbatione sunt constituti. Nam concluſi intra quendam locum, qui muro circundatus erat, & viam hinc & inde, & non paucas oleas habebat, [*à circunfusa hostium multitudine telis, ac*] missilibus vndique petebantur. Huiusmodi autem assultibus, non autem stataria pugna haud ab re Syracusani vtebantur. Nam aduersus homines desperatos periculum subire, non amplius tam è re illorum, quàm Athenienſium erat. Simul etiam [*Syracusani*] nonnihil sibi parcebant, propter manifestum rei feliciter gestæ successum, quem iam adepti erant, ne prius, [*quàm hostes debellassent,*] aliqua [*ratione ipsi ab illis*] absumerentur, [*& grauiorem aliquam cladem acciperent.*] & existimabant vel sic, hoc ipso [*pugnæ*] genere illos à se perdomitos, captum iri. Cùm igitur Gylippus, & Syracusani, sociiq; totum diem vndique telis [*hostem*] petentes, animaduertissent Athenienses, sociosque vulneribus, ac aliis ærumnis grauiter afflictos, per prœconis vocem edixerunt, primùm quidem, si quis ex insularum incolis ad se transire vellet, ea conditione, vt liber esset. Quædam autem, non multæ tamen ciuitates

[*ad*

[*adipsos*] trãsierunt. Postea verò & cum cæteris omnibus, qui cum Demosthene erant, compositio facta est ea lege, vt arma traderent, [*eorum*] nullus mortem obiret aut violentam, aut in vinculis, aut inopia rerum ad victum necessariarum. Vniuersi autem, qui se ipsos dediderunt, erant numero sex hominum millia, omnemque pecuniam, quam habebant, deposuerunt, [*eam*] in supina scuta coniicientes, & quatuor scuta repleuerunt. Atque hos quidem [*Syracusani*] confestim in vrbem abduxerunt. Nicias verò, eiusque milites eodem die ad fluuium Erineum peruenerunt, eoque traiecto, in edito quodam loco copias, [*& castra*] collocauit. Postridie verò Syracusani eum adepti, dixerũt Demosthenis milites sese dedidisse, & ipsum quoque idem facere iusserunt. Ille verò, quòd his fidem nõ haberet, induciis cum [*hoste*] factis equitem misit, qui [*rem*] exploraret. Cùm autem [*eques*] reuersus renuntiasset [*Demosthenis milites sese*] dedidisse, [*Nicias*] per caduceatorem Gylippo, Syracusanisque respondit, se paratam esse ad transigendum pro Athenienſibus, vt, quos sumptus in bellum Syracusani fecissent, hos [*omnes ipsis*] restitueret, ea conditione, vt ipsi [*se ipsum, &*] suum exercitum dimitterent. Donec autem pecunia persolueretur, se daturum obsides ex Athenienſibus, singulis talentis in singula obsidum capita taxatis. At Syracusani, & Gylippus his conditionibus non acceptis: sed impressione in eos facta, & vndiq; circunstantes, hos etiam ad vesperum vsque telis petierunt. Ob commeatus autem, & rerum aliarum inopiam hi quoque malè se habebant. Sed tamen obseruato noctis silentio discedere statuerant. Quamobrem arma sumpserunt: sed Syracusani [*hoc*] senserunt, & ad arma conclamarunt. Athenienses verò, cùm

cognouissent se non latêre [*hostem,*] rursus [*arma*] deposuerunt, exceptis ferè trecentis? Isti enim per media [*Syracusanorum*] præsidia perrumpentes, per noctem contenderunt, quâ potuerunt. Nicias verò, cùm dies illuxisset, exercitum abducere cœpit. Syracusani verò, & socij [*ipsos abeuntes*] vrgebant eodem modo, [*quo pridie,*] telis, & iaculis vndique petentes. Sed Athenienses properabant ad flumen Assinarum, quamuis simul quidem vndique grauiter vrgerentur [*assiduis*] multorum equitum, ac alius multitudinis incursionibus, quòd aliquo modo meliùs secum actũ iri putarent, si flumen illud traiecissent: simul etiam lassitudine, bibendiq; desiderio. Cùm autem ad ipsum peruenissent, nullo iam ordine [*in ipsum*] irrumpunt: sed vnus quisque primus [*id*] transire cupiens. At hostes [*illis*] instantes transitum iam difficilem reddebant. Quòd enim iter conferti facere cogerentur, alij super alios cadebant, & [*alij alios*] conculcabant, & alij quidem in tela, & arma incidentes confestim peribant, alij verò se ipsi mutuò complectentes, secundo flumine ferebantur. In vlteriorem etiam fluminis ripam transgressi Syracusani (erat autem præceps) & dispositi, è superiore loco Athenienses telis conficiebant, multos etiam auidè potantes, & inter se ipsos in cauo fluminis alueo perturbatos. Peloponnesij verò [*illuc*] descendentes trucidarunt eos præcipuè, qui erant in fluuio. Et aqua confestim est corrupta. Sed quamuis & cœno, simul & sanguine esset polluta, nihilominus tamẽ bibebatur, & de ea multi inter se digladiabantur. Tandem verò cùm multa cadauera alia super alia in flumine iam iacerent, & exercitus profligatus esset, partim quidem apud amnem, partim verò, si quis etiam effugerat, ab equitibus, Nicias

cias se Gylippo dedidit, quòd ipsi maiorem, quàm Syracusanis fidem haberet. Et cùm illi, tum etiam [*cæteris*] Lacedæmoniis permisit, vt arbitratu suo de se statuerent: sed [*hostes*] orauit, vt cæteros milites [*Athenienses*] occidere cessarent. Postea verò Gylippus imperauit, vt [*Athenienses*] iam viui caperentur, & cæteros, quotquot [*a Syracusanis*] nõdum occultati fuissent (horum autem numerus erat magnus) viuos [*in vrbem*] deduxerunt, quinetiam trecentos illos, qui noctu per media [*Syracusanorum*] præsidia transierant, missis, qui [*eos*] persequerentur, comprehenderunt. Verùm huius exercitus ea quidem pars, quæ in vnum publicè contracta fuit, haud magna fuit. ea verò, quæ [*à primariis hominibus*] surrepta, [*ac suppressa*] fuit, magna fuit. Hisque tota Sicilia fuit repleta, quippe quòd [*isti Niciæ milites*] non ex pactione (quemadmodum illi, qui cum Demosthene erant] capti fuissent. Quædam etiam [*horum*] non exigua pars interiit. Hæc enim strages [*à Syracusanis, eorumque sociis tunc edita*,] maxima fuit nec vllâ minor earum [*omnium*,] quæ in hoc Siculo bello factæ fuerunt. Et in cæteris incursionibus [*ab hostibus in Athenienses factis*,] quæ, dum iter fieret, frequentes fuerunt, non pauci obierunt. Multi tamen etiam euaserunt, partim quidé, vel statim, partim verò, vel post toleratam [*aliquandiu*] seruitutem, & postea fuga elapsi. His verò Catanam erat receptus. Syracusani autem, & socij congregati, ac assumptis quàm plurimis potuerunt captiuis, & spoliis, in vrbem redierunt. Et cæteros quidem Athenienſium, ac sociorum, quoscunque ceperant, in lapicidinas demiserunt, eam custodiam tutissimam esse ducentes. Niciam verò, ac Demosthenem inuito Gylippo necauerunt. Gylippus enim præ-

clarum certamen, [*atque victoriæ præmium*] sibi fore putabat, si præter cætera, ipsos etiam hostium duces ad Lacedæmonios [*ex eo bello*] portaret. Accidit autem, vt alter quidem, Demosthenes [*videlicet,*] esset ipsorum hostis acerrimus, propter res in insula [*Sphacteria,*] & ad Pylum gestas Nicias verò ob has ipsas [*res,*] amicissimus, [*atque gratissimus ipsis esset.*] Nicias enim inductis Atheniensibus ad fœdera cum Lacedæmoniis facienda, magno studio contendit, vt Lacedæmoniorum ciues in insula capti dimitterentur. Quamobrem & Lacedæmonij in eius amorem erant propensi, & ipse maximam Gylippo fidem habens, se [*ipsi*] dedidit. Sed Syracusanorum quidam (vt ferebatur) partim quidem, veriti ne ille, quòd colloquia cum illo habuissent, propterea habita quæstione felicem rerum suarum statum perturbaret, partim verò (& præcipuè Corinthij) ne aliquibus pecunia adductis (quia dies erat) aufugeret, atque rursus aliquid rerum nouarum in ipsos moliretur, sociis [*ad hoc faciendum*] inductis, eum interfecerunt. Atque Nicias quidem ob hanc, aut [*aliam*] huic quàm proximam causam morte mulctatus fuit, vir profectò omnium, mea saltem ætate, Græcorum minime dignus, qui eò infelicitatis deueniret, propter pietatis studium, quo Deos colere consueuerat. Captiuos autem, qui erant in lapicidinis, Syracusani duriter initiò tractarunt. Eos enim, quòd multi in loco depresso essent, primùm soles, & præterea graues æstus vehementer infestabant, quia nullo tecto tegebantur: [*sed semper sub dio manebant,*] & noctes contrà autumnales, ac frigidæ superuenientes, propter mutationem nouos ipsis morbos afferebant: Præcipuè verò quòd propter loci angustias omnia in eodem [*loco*] facerent, & præterea cadauera simul alia super alia iacerent: coacer-

coaceruata,[*eorum,*]qui propter vulnera,& propter mutationem,ac propter huiusmodi[*causas*]moriebantur.Erant etiam[*illic*]odores intolerabiles,præterea fame,simul & siti premebãtur. Nam per octo menses[*Syracusani*]singulis eorum vnam aquæ cotylam,& duas frumenti cotylas dederunt.Denique quæcunque alia mala credibile est homines in huiusmodi locum detrusos perpeti, nullum horum fuit, quin ipsis acciderit. Atq; septuaginta quidem dies vitam sic[*omnes*]egerunt[*in angusto loco*]stipati. Deinde verò,præter Athenienses,& si qui Sicilienses,aut Itali cum illis militauerant, cæteros [*omnes*] diuendiderunt. Quot autẽ in vniuersum capti fuerint,arduum quidem est accuratè declarare.Verumtamen non pauciores fuerunt septẽ millibus. Hæc autem clades Græcis illata,earum[*omnium,*]quæ in hoc bello contigerunt,maxima fuit,atque adeò(vt mihi saltẽ videtur) vel[*omnium aliarum*]quas Græcis illatas fuisse famâ accepimus, eademque victoribus splendidissima,victisq; calamitosissima.Nam omnibus in rebus prorsus victi, nec vlla in re leuiter afflicti: sed funditus (vt dici solet)euersi fuerũt, & peditatus,& classis,denique nihil fuit,quin perierit. Et pauci è multis domum redierunt.

Atque hæ quidem sunt res in Sicilia gestæ.

FINIS LIB. VII.

THVCYDIDIS, OLORI F. DE BELLO PELOPONNESIACO, Liber octauus.

HOc autem [*tantæ cladis*] nuntio Athenas allato, [*Athenienſes*] diu ne præcipuis quidem militibus, qui ex ipſo prœlio euaſerant, & [*rem infeliciſſimè geſtam,*] apertè nuntiarant, fidem habuerunt, vt [*omnia*] ſic, [*vt illi retulerant,*] funditus euerſa crederent. Sed poſtquàm [*rei veritatem*] cognouerunt, oratoribus, qui cum aliis [*ciuibus*] hanc naualem expeditionem ſtudioſè ſuaſerant, erant infenſi, quaſi [*hanc*] ipſi non decreuiſſent, quinetiam iraſcebantur & ariolis, & vatibus, & [*cæteris omnibus,*] quotquot aliquid afflatu diuino correpti dixerant, quo tunc ipſos in Siciliæ capiendæ ſpem induxerant. Vndiq; autem omnia ipſos mœrore afficiebant, & pauor, animiq́ue conſternatio maxima profectò, propter id, quod acciderat, [*ipſos*] circunſtabat. Simul enim afflictabantur, quòd & priuatim, & publicè priuati eſſent & multo peditatu, & equitatu, & iuuentute, qualem alteram ſupereſſe non videbant. Simul etiam quòd viderent non ſatis eſſe nauium in naualibus, nec [*ſatis*] pecuniæ in ærario, [*nec ſatis miniſtrorum in vrbe,*] nec armamentorum ad nauticos vſus neceſſariorum, in præſentia de ſua ſalute deſperabant, & hoſtes ex Sicilia cum claſſe confeſtim in Piræum aduerſus ſe venturos arbitrabantur,

bantur, præsertim tanta victoria potitos, quinetiam hostes, qui in illa regione [*agro Attico finitima*] sedes habebant, tunc certè cum bellico rerum omnium apparatu duplo maiore, [*quàm antè*,] suosque socios defectione [*ab Athenienſibus facta*,] vnâ cum ipsis iam totis viribus, terra, mariqué [*suã Rempub.*] oppugnaturos. Veruntamen (vt in præsenti rerum statu facultas dabatur) visum est non oportere succumbere: sed & classem parare, materia [*ad eam ædificandam*,] & pecunia, vnde possent, comparata, & socios præsidiis firmare, [*tutari, ac in officio, & fide continere*,] & præcipuè Euboeam, & res vrbanas aliqua ex parte corrigere, sumptusque minuere. & creare aliquẽ Magistratum seniorum, qui de præsenti rerũ statu, dum [*adhuc*] tempus opportunum esset, ante [*cæteros omnes*] consultarent. Denique (quod vulgus facere solet) propter præsentis metus magnitudinem ad omnia rectè administranda parati erant. Vt autem hæc ipsis visa sunt, sic etiam fecerunt: atque hæc æstas excessit. Insequenti autem hyeme propter res ab Athenienſibus in Sicilia adeò malè gestas, vniuersi Græci protinus animis erecti fuerunt. Et illi quidem, qui neutrorum erant socij, à bello nequaquam amplius abstinendum, vel si nullus ipsos rogaret: sed aduersus Athenienses vltrò eundum [*censebant.*] Singuli enim illos, si rem in Sicilia feliciter gessissent, etiam aduersus se venturos fuisse existimabant, simul etiam reliquum bellum breue futurum ducebant, cuius se participes esse, præclarum [*sibi*] fore [*putabant.*] Qui verò Lacedæmoniorum erant socij, simul omnes lõgè maiore studio, quàm antè, multis ærumnis celeriter liberari cupiebant. Præcipuè verò qui Athenienſium imperio parebant, vel supra vires ad defectionem ab

ipsis [*Athenienſibus*] faciendam erant parati, quòd animi impetu, [*ac libidine cæca*] de rebus iudicarent, nec vllum rationi locum amplius relinquerent, quippe qui putarent fore, vt inſequenti æſtate [*Athenienſes*] ſuperarent. Lacedæmoniorum verò ciuitas cùm propter hæc omnia fiduciam concipiebat, tum verò præcipuè quòd Siculi ſocij cum magnis copiis, claſſis acceſſione iam neceſſariò facta, ineunte ſtatim vere, vt erat veriſimile, ipſis præſtò futuri eſſent. Itaque cùm vndiq; bonam ſpem haberent, abiecta omni cunctatione bellum capeſſere ſtatuerunt, ſecum reputantes, ſi hoc [*bellum*] felicem exitum habuiſſet, ſe in poſterum & huiuſmodi periculis liberatum iri, cuiuſmodi fuiſſet & illud, quod ipſis ab Athenienſibus creatum fuiſſet, ſi res Siculas in ſuam poteſtatem redegiſſent. Et illis euerſis, futurum, vt totius Græciæ imperiũ tutò iam obtinerent. Confeſtim igitur Agis eorum Rex, hac hyeme cum quodam exercitu ex Decelea profectus, pecuniam à ſociis ad claſſem comparandam exegit, & ad Maliacũ ſinum deflectens, ob vetuſtas inimicitias ingentem Oetæorum prædam egit, & ex ea pecuniam collegit. Achæos quoque Phthiotas, aliosque populos, qui Theſſalorum imperio in illa regione parebant, conquerentibus, ac inuitis Theſſalis, obſides quoſdam, ac pecuniam dare coëgit. Et obſides Corinthi depoſuit, & [*Corinthios*] in ſocietatem adducere conabatur. Lacedæmonij porrò, centum naues ædificandas [*ſociis*] ciuitatibus imperarunt. Atque ſibi quidem ipſis, ac Bœotis, quinas & vicenas vtriſque faciendas aſſignarunt; Phocenſibus verò, & Locris, quindecim; & Corinthiis, quindecim, Arcadibus, & Pellenenſibus, & Sicyoniis, decem. Megarenſibus, & Trœzeniis, & Epidauriis, & Hermionenſibus,

sibus, decem. Cætera quoque comparabant, vt sub veris initium protinus inituri bellum. Per hanc ipsam hyemen Athenienses quoque, quemadmodum cõstituerant, ædificandis nauibus operam dederunt, materia [*ad opus faciendum*] comparata, & Sunio munito, vt naues, quæ commeatum ipsis subueherent, tutò circumueherentur, [*& Athenas sine periculo peruenirent.*] Et deserta munitione, quam in agro Laconico extruxerant, quum in Siciliam traiecerunt, cæterisque sumptibus contractis, si quis in res inutiles, [*parumq; necessarias*] fieri videbatur. Sed in primis prospiciebant ne socij à se deficerent. Dum autem hæc vtrique facerent, ipsoque [*renouandi*] belli apparatu nullam aliam speciem præberent, quàm eorum, [*qui tunc primum bellum*] inciperent, primi [*omnium*] Euboënses ad Agin hac hyeme legatos de defectione ab Atheniensibus [*ad Lacedæmonios*] facienda miserunt. Ille verò, cùm eorum orationem admisisset [*consilumque collaudasset,*] Lacedæmone accersiuit Alcamenem Sthenelaidæ [*filium,*] & Melanthum, [*duos ciuitatis*] principes, vt in Eubœam [*eos mitteret.*] Illi verò cum trecentis [*Laconicis*] libertis in ciuitatem nuper ascriptis venerunt, & [*Agis*] transitum [*in Eubœam*] ipsis præparabat. Interea etiam & Lesbij venerunt, quòd & ipsi defectionem [*ab Atheniensibus*] facere vellent. Bœotis autem eos adiuuantibus, Agis [*eorum verbis*] adductus est, vt res quidem Euboicas intermitteret, Lesbios verò in defectione facienda iuuaret, & res ad eam necessarias præpararet, & Alcamenem præfectum [*ipsis*] daret, qui in Eubœam nauigaturus erat. Atq; Bœoti quidem decem naues polliciti sunt, Agis verò decem. Hæc autem ignara ciuitate Lacedæmoniorum transacta sunt. Agis enim, quandiu cum suis copiis apud

Deceleam egit, ius habuit & copias mittendi, si quò vellet, & contrahendi, & pecunias exigendi. Atque tunc temporis vel multo magis (vt ita loquar) ei, quam [*cæteris*] Lacedæmoniis, qui in vrbe erant, socij parebant. Quòd enim exercitum secũ haberet, quocunq; se contulisset formidabilis aderat. Et hic quidem Lesbiis operam dabat, [*ac eos adiuuabat ad peragendum, quod cupiebant.*] Chij etiam, & Erythræi, cùm & ipsi ad defectionem faciendam essent parati, non ad Agin: sed ipsam Lacedæmoniorum ciuitatem se conuerterunt. Cum ipsis etiam [*illuc*] iuit legatus, [*missus*] à Tissaphernе, qui Regis Darij Artaxerxis [*filij,*] prætor inferioris prouinciæ erat. Nam & Tissaphernes Peloponnesios [*ad bellum Atheniensibus acriter faciendũ*] incitabat, & pollicebatur se [*copijs ipsorum*] stipendium præbiturum. Nuper enim à Rege impetrauerat tributa, quæ ex sua prouincia [*Regi debebantur,*] quæ [*Regi*] debuerat, quòd [*ea,*] propter Atheniensis, à Græcis ciuitatibus exigere non potuisset. Existimabat igitur se faciliùs [*in posterum*] tributa recepturum, si Athenienses [*bello*] vexasset, simul etiam se Lacedæmoniorum societatem Regi conciliaturum, & Amorgen Pissuthnæ filium nothum, qui defectionem [*à Rege*] circa Cariã fecerat, quemadmodum ipsi Rex imperauerat, aut viuum adducturum, aut interfecturum. Chij igitur, & Tissaphernes communiter eadem contendebant, [*ac in eadem re peragenda elaborabant.*] Sub idem autem tempus Calligetus Laophontis, Megarensis, & Timagoras Athenagoræ [*filius,*] Cyzicenus, sua vterque [*patria*] extorris, qui apud Pharnabazũ Pharnabaci [*filium*] habitabant, Lacedæmonem venerunt, à Pharnabazo missi, vt naues [*à Lacedæmonijs peterent, quas*] in Hellespontum transportarent, vt-

que

que ipse quoque, si posset, [*eadem impetraret,*] (quę Tissaphernes contendebat) & ciuitates in sua prouincia, sitas ab Athenien sibus per defectionem alienaret, operaque sua Lacedæmoniorum societatem Regi celeriter conciliaret. Cùm autem vtriq; seperatim hæc agerent, qui à Pharnabazo, & qui à Tissapherne missi fuerant, ingens concertatio inter Lacedæmonios extitit, his quidem, vt in Ioniam, & Chium; illis verò, vt in Hellespontum classis, & exercitus prius mitteretur, persuadere nitentibus. Lacedæmonij tamen Chiorum, & Tissaphernis postulata multo lubentiùs admiserunt. Nam & Alcibiades eos adiuuabat, qui Endio [*tunc*] Ephori magistratum gerenti erat arctissimo hospitalis amicitiæ vinculo iunctus, quæ à patre cœperat. Vnde propter hospitium, [*eiusq; consuetudinem, ac ius,*] illorum familia nomen etiam Laconicũ obtinuit. Endius enim Alcibiadis [*filius*] appellabatur, Lacedæmonij tamen Phrynin hominem [*Chius*] vicinum in Chium prius miserunt, vt exploraret an & naues tot ipsis essent, quot dicebant, & an cæteras facultates vrbs [*illorum*] haberet, quas fama erat eam habere. Cùm autem ille ipsis renuntiasset hæc vera esse, quæ audierant, confestim & Chios, & Erythræos in societatẽ receperunt. Et quadraginta naues ipsis mittendas decreuerunt, quòd non minus, quàm sexaginta illic essent, ex illis [*sociis ciuitatibus contractæ,*] quas Chij dicebant. Atque primùm quidem ex istis [*quadraginta nauibus, quas Chiis promiserant,*] decem erant missuri, & Melancridam, qui ipsorum nauarchus erat. Deinde [*verò*] cùm terræmotus extitisset, pro Melancrida Chalcideum miserunt, & pro decem nauibus quinque [*tantùm*] in Laconica præpararunt. Et hæc hyems exiit, huiusq; belli, quod Thucydides conscripsit,

vndeuicesimus annus excessit. Ineũte autem vere, statim, Chiis instantibus, vt naues [*sibi*] mitterentur, & metuentibus, ne Athenienses resciscerent, quæ agitabantur, (nam omnes clàm illis legatos [*Lacedæmonem*] miserant) Lacedæmonij miserunt tres viros Spartanos Corinthum, vt quàm celerrimè ab altero mari, in id, quod Athenas spectat, nauibus per Isthmũ transuectis, omnes in Chium nauigare iuberent, tam eas, quas Agis præparauerat in Lesbum [*mittendas*] quàm cæteras. Erant autem illic vniuersæ sociarum [*ciuitatum*] naues numero vndequadraginta. Calligetus autem, & Timagoras Pharnabazi legati huius classis in Chium proficiscentis participes esse noluerunt, neque pecunias dederunt, quas secum attulerant, vt classis mitteretur, quinq; & viginti talenta: sed postea per se cũ alia classe nauigare statuerunt. Agis autem, cùm vidisset Lacedæmonios primùm in Chium [*classem mittere*] statuisse, ne ipse quidem aliud [*in præsentia faciendum esse*] censuit: sed socij, cùm Corinthum conuenissent, [*quid faciendum esset*] consultare cœperunt. Ipsis autem visum est primùm [*quidem,*] in Chium esse nauigandum, duce Chalcideo, qui quinque naues in Laconica præparauerat. Deinde [*verò,*] in Lesbum, duce Alcamene, quem etiam Agis [*eò mittere*] statuerat. Postremò verò, in Hellespontum proficisci. Clearchus autem Rhamphij [*filius*] classi illuc profecturæ præfectus fuerat. Primum autẽ dimidiam nauium partem per Istmum transportandam [*censuerunt,*] & confestim istas [*illuc*] proficisci [*voluerunt,*] ne Athenienses animum potius aduerterent ad eas, quæ [*tunc*] proficiscerentur, quàm ad eas, quæ postea [*illuc*] transportarentur. Etenim ab hac parte propalam nauigare statuerant, contempta Athenienſium imbecillita-

cillitate, quòd ipsorũ nulla magna classis [*vsquam*] adhuc appareret. Cùm autem [*hoc*] ipsis placuisset, confestim etiam vnam & viginti naues transportarunt. Corinthij verò, quamuis ipsi [*Lacedæmonij*] nauigationem vrgerent, [*& ad celeriter abeundum illos solicitarent,*] cum illis tamen nauigare noluerũt, prius quàm omnes Isthmiorum dies festos, qui tũc erant, celebrassent. Agis verò paratus erat [*ad hoc ipsis concedendum,*] vt ipsi quidem Isthmica fœdera tunc minimè rumperent, ipse verò classem suam faceret, [*ac suam esse simularet.*] Verùm cùm Corinthij [*hoc illis*] concedere nollent: sed mora interponeretur, Athenienses consilia Chiorum faciliùs senserunt, & Aristocrate, vno è ducibus, [*illuc*] misso, illos insimularunt. Chiis autem negantibus [*se quicquam rerum nouarum moliri, tunc Athenienses*] iusserunt eos ex societatis iure naues secum mittere ad fidem faciendam, [*Chios nihil aduersus Athenienses moliri: sed in societatis officio constanter permanere.*] Illi verò, septem miserunt. Harum autem nauium [*ad Athenienses*] mittendarũ hæc fuit causa, quòd Chiorum quidem plebs ignoraret ea, quæ clàm agitabantur, pauci verò, qui horum erant conscij, plebem nondum hostilem habere vellent, priusquàm aliquod firmum præsidium adepti essent, & Peloponnesios nequaquam amplius venturos expectarent, quia diutius morabantur. Interea verò Isthmici ludi committebantur. Et Athenienses (nam [*Isthmicorum ludorum fœdera*] fuerant indicta) spectatum eos venerant. Et Chiorum consilia [*ad defectionem spectantia*] multo manifestiùs deprehenderunt. Et postquàm [*illinc*] discesserunt, confestim sese præpararunt, vt [*cauerent,*] ne [*Corinthiorum*] naues clàm ipsis ex Cenchreis proficiscerẽtur. Illi verò, post ludos celebratos, cum vna

& viginti nauibus, quibus præerat Alcamenes, portu ſoluentes Chium verſus ire cœperunt. Cùm autem Athenienſes primùm cum totidem nauibus aduerſus eos proceſſiſſent, [*eos*] in altum elicere conabantur. Sed cùm ad multas horas Peloponneſij [*claſſem hoſtilem in altum*] ſequi noluiſſent: ſed retroceſſiſſent, ipſi quoque Athenienſes receſſerunt. Nam ſeptem Chiorum naues, quas in eo numero ſecum habebant, nequaquam fideles exiſtimabant: ſed poſtea aliis ſeptem, & triginta inſtructis, eos terram legentes perſequuti ſunt ad Piræum [*agri*] Corinthij. (Eſt autem portus deſertus, & extremus, ad [*agri*] Epidaurici confinia ſitus) atq; Peloponneſij vnam nauem, quæ curſum in alto tenebat, amiſerunt: cæteras verò contractas, in portum deduxerunt. Cùm autem Athenienſes & à mari nauibus [*eos*] adorti fuiſſent, & in terram deſcendiſſent, ingens tumultus, ac perturbatio [*inter hoſtes*] excitata eſt. Et [*illorum*] plerasque naues Athenienſes in terra lacerauerunt, & Alcamenem ducem interfecerunt. Sed ipſorum quoque [*Athenienſium*] nõnulli obierunt. Cùm autem [*ab illis*] dirempti fuiſſent, naues quidem, quot ſatis eſſe videbantur, diſpoſuerunt, quæ ſtationem aduerſus hoſtiles obtinerent, cum reliquis verò in paruulæ inſulæ ſtationem ſe receperunt, in qua non multum [*illinc*] diſtante, caſtra poſuerunt, & [*nuntium*] Athenas ad ſubſidium [*accerſendum*] miſerunt. Nam & Peloponneſiis poſtero die & Corinthij ad opem [*ipſorum*] nauibus [*ab hoſte obſeſſis*] ferendam aduenerũt, nec multo pòſt & alij finitimi. Sed cùm animaduertiſſent hãc [*nauium*] cuſtodiam in loco deſerto [*ſibi*] laborioſam fore, [*quid faciendum eſſet,*] dubitabant. Et [*primùm*] quidem naues illas incendere cogitarunt: deinde verò placuit ipſis [*eas*] ſubducere,

ducere, & cum peditatu ad eas vndique collocato tutari, donec aliqua commoda effugiendi facultas offerretur. Agis etiam his cognitis Thermonem, virum Spartanum ipsis misit. Fuerant autem & Lacedæmonij iam antè certiores facti de nauium discessu ab Isthmo (Alcameni enim ab Ephoris imperatum fuerat, vt, quum hoc fieret, equitem mitteret, [*qui classis discessum ipsis significaret:*] & statim quinq; naues, quas apud se habebant, & Chalcideum ducem, & Alcibiadem cum eo mittere volebant. Deinde verò cùm isti [*ad profectionem animis essent propensis, & Chium petere*] properarent, [*interea Lacedæmoniis*] allatus est nuntius de [*Peloponnesiacis*] nauibus, quæ in Piræum fugâ se receperãt. Quamobrem animis consternati, quòd in Ionico bello tunc primùm suscepto offendissent, classem, quam ex suo [*agro se missuros promiserant,*] haud amplius mittere, imò verò vel nonnullas [*naues,*] quæ iam discesserant, reuocare statuerunt. Quod cùm intellexisset Alcibiades, rursus Endio, cæterisque Ephoris persuasit ne per metum à classe [*in Chium*] mittenda desisterent. Dicebat enim se prius [*illuc*] venturos, quàm Chij classis cladem sentirent, & se, vbi ad Ioniam appulisset, facile ciuitatibus [*Athenienſium amicis, ac ſociis*] persuasurum, vt [*ab illis*] deficerent. Se enim Athenienſium imbecillitatem, & Lacedæmoniorum [*in illas*] studium [*ipsis*] commemoraturum. Maiorem enim [*sibi,*] quàm aliis, fidem [*ab illis*] habitum iri. Quinetiam ipsi Endio priuatim dixit præclarum [*ipsi*] fore, si per ipsum & Ionia [*ab Athenienſibus*] deficeret, & Regis societas Lacedæmoniis conciliaretur, nec Agidis hoc præclarum facinus esset. Alcibiades enim Agidi erat inimicus. Hic igitur cùm & cæteris Ephoris, & Endio [*rem*] persuasisset, cum quinque naui-

bus, & Chalcideo Lacedæmonio discessit: & nauigationis cursum celeriter confecerunt. Per hoc autem idem tempus, ex Sicilia se [*domum*] recipiebant & sexdecim illę Peloponnesiorum naues, quę duce Gylippo [*Syracusanos*] in bello [*aduersus Athenienses*] gerendo adiuuerant, & quæ circa Leucadiam deprehensæ fuerant, & vexatæ à septem & viginti Atticis nauibus, quibus præerat Hippocles Menippi [*filius,*] qui classis ex Sicilia redeuntis reditum obseruabat. Nam cæteræ, præter vnam, Athenienſibus deuitatis, Corinthum appulerant. Chalcideus autem, & Alcibiades inter nauigandum, [*omnes,*] in quos incidissent, comprehendebant, ne ipsorum nauigatio palàm fieret. Et cùm ad Corycum in continente situm appulissent, & ipsos hìc dimisissent, ipsi quidem prius congressi cum nonnullis Chiorum, qui coniurationis erant socij, & qui iusserant ipsos [*re nulli*] prius declarata ad vrbem nauigare, ad Chios ex improuiso aduenerũt. Et Chiorum quidem plebs admirabunda, & attonita erat: pauci verò, [*nobilesq;*] operam dederant, vt Senatus cogeretur. Cùm autem Chalcideus, & Alcibiades dixissent & multas alias naues aduentare, nec vllam de nauium apud Piræum obsidione mentionem fecissent, Chij, & mox Erythræi ab Athenienſibus defecerunt. Postea verò cum tribus nauibus [*illinc*] profecti, & Clazomenas ad defectionem [*ab iisdem*] faciendam induxerunt. Clazomenij autem confestim in continentẽ transgressi, Polichnam [*agri Troiani vrbem*] munire cœperunt, si fortè ipsis opus foret aliquo loco, quò ex parua insula, quam incolebant, sese reciperent. Et omnes quidem, qui defectionem [*ab Athenienſibus*] fecerant, in mœnibus muniendis, ac in apparatu belli erant occupati. Celeriter autem [*de defectione*]

Chio-

Chiorum nuntius Athenas peruenit. Tunc autem [*Athenienſes*] exiſtimantes magnum iam, ac manifeſtum periculum ſe circunſtare, neque cæteros ſocios vltrò quieturos poſt defectionem à maxima vrbe factam, illa mille talenta, quæ per totum belli tempus intacta eſſe cupiebant, confeſtim propter præſentem pauorem abrogata lege, quæ pœnas proponebat ei, qui vel de his tangendis verba feciſſet, vel aliorum ſententiam ſuo ſuffragio confirmaſſet, mouenda, naues q; non paucas inſtruendas decreuerunt. Illarum q; nauium, quæ in Piræo ſtationem aduerſus [*hoſtium naues*] obtinebant, octo quidem iam mittendas [*cenſuerunt,*] quę relicta [*nauium in Piræo obſeſſarum*] cuſtodia, [*naues,*] quas Chalcideus ſecum ducebat, inſequutę, nec aſſequutæ, [*in ſuam ſtationem*] ſeſe receperant. His autem præerat Strombichides Diotimi filius. Nec multo pòſt alias duodecim ad opem [*cæteris*] ferendã, quæ & ipſæ ſtationem reliquerãt, quam aduerſus [*naues hoſtiles*] obtinebant, duce Thraſycle mittendas. Septem etiam Chiorum nauibus abductis, quæ cum ipſis [*hoſtiles naues*] obſederant, quæ in Piræo erant, ſeruos quidem, qui in illis erant, libertate donarũt, liberos verò in vincula coniecerunt. Alias etiam in locum earum omnium, quæ ad obſidendam Peloponneſiorum claſſem profectę fuerant, celeriter inſtructas miſerunt, & alias triginta armare in animo habebant. Et magnum erat [*illorum*] ſtudium, & nihil parui moliebantur, vt [*ſuis*] auxilium aduerſus Chium mitterent. Interea verò Strombichides cum octo nauibus in Samum peruenit, & [*illinc*] aſſumpta vna Samia, in Teum nauigauit, ipſosque [*Teios,*] vt quieſcerent, rogauit. Ex Chio autem in Teum & Chalcideus cum tribus & viginti nauibus traiicere cœpit, & ſimul Clazomeniorum, & Ery-

thræorum peditatus [*cum eo*] proficiſcebatur. Sed Strombichides [*huius aduentum*] præſentiens, prius diſceſſit, [*quàm ille veniret.*] Cùm autem in altum prouectus multas [*hoſtium*] ſtaues ex Chio [*contra ſe venientes*] proſpexiſſet, in Samum fugâ ſe recepit. Illæ verò [*eum*] inſequebantur. Illum autem peditatum Teij, cùm initiò [*in vrbem*] recipere noluiſſent, poſt Athenienſium fugam introduxerunt. Et [*huius peditatus*] plerique diu quidem ſe continuerunt expectantes donec & Chalcideus ab inſequendis hoſtibus reuerteretur. Sed cùm ille diutius moraretur, ipſi muros demoliti ſunt, quos Athenienſes extruxerant, vrbis Teiæ, qua parte continentem reſpicit. Illos autem in his demoliendis adiuuerunt aliquot etiam barbari, qui ſuperuenerant, quibus præerat Tages Tiſſaphernis proprætor. Chalcideus verò, & Alcibiades, cùm Strombichidé ad Samum vſque perſequuti fuiſſent, nautas quidem ex Peloponneſo nauibus aduectos armarunt, & in Chio [*præſidij cauſa*] reliquerunt, in has verò Chios nautas, in nautarum Peloponneſiorum locum ſubſtitutos, impoſuerunt, vt ſuas naues explerent, & aliis viginti [*nauibus præterea inſtructis,*] Miletum petierunt, vt ad defectionem [*ab Athenienſibus ad ſe*] faciendam inducerent. Alcibiades enim, cui neceſſitudo cum Mileſiorum primoribus intercedebat, illorum ſocietatem ſibi prius cõciliare, quàm claſſis ex Peloponneſo veniret, & Chiis, & ſibi ipſi, & Chalcideo, & Endio, à quo miſſus fuerat, hoc præclarum facinus attribuere volebat, quéadmodum promiſerat, quòd cum Chiorum copiis, & Chalcideo quàm plurimas ciuitates ad defectionem [*ab Athenienſibus ad Lacedæmonios faciendam*] induxiſſet. Cùm igitur maximam nauigationis partem clandeſtinè confeciſſent, nec multo ante Strombichi-

bichidem, & Thrasyclem (qui cum duodecim nauibus tunc Athenis veniens aderat, & cum [*suo collega illos*] persequebatur) Miletũ peruenissent, eam ad defectionem faciendam induxerunt. Athenienses verò cum vndeuiginti nauibus è vestigio [*eos*] persequuti, cùm Milesij eos recipere nollent, ad Ladam insulam [*Mileto*] adiacentem appulerunt, ibique stationem habuerunt. Prima autem societas per Tissaphernem, & Chalcideum inter Regem, & Lacedæmonios post Milesiorum defectionem statim inita, hæc fuit: Lacedæmonij, sociique societatem cum Rege, & Tissapherne his conditionibus fecerunt: Quamcunque regionem, & [*quascunque*] vrbes Rex habet, & Regis maiores habuerũt, [*hæc*] Regis sunto: Quicquid autem pecuniarũ, aut quicquid aliud ex vrbibus istis ad Athenienses redibat, communiter Rex, & Lacedæmonij, sociique prohibento, ne quicquam pecuniarũ, aut quicquam aliud Athenienses [*hinc*] accipiant. Item bellum aduersus Athenienses Rex, & Lacedæmonij, sociique communiter administranto. Bellumque, [*quod*] aduersus Athenienses [*communiter susceptum fuerit,*] deponere ne liceat, nisi vtrisque Regi, ac Lacedæmoniis, sociisque visum fuerit. Quòd si qui defectionem à Rege fecerint, hostes Lacedæmoniis, sociisque sunto. Si qui etiam à Lacedæmoniis, sociisque defecerint, hostes eodem modo Regi sunto. Hunc igitur in modũ hæc societas inita fuit. Postea verò confestim Chij decem aliis nauibus instructis, ad Anæam nauigarunt, eo animo, vt & de rerum Milesiarum statu certiores fierent, & simul [*illius regionis*] ciuitates ad defectionem solicitarent. Sed cùm nuntium à Chalcideo [*missum*] accepissent, quo redire iubebantur, ac monebantur fore, vt Amorges itinere terrestri cum [*suis*] copiis adesset,

ad Iouis templum nauigarunt. Et [*illinc*] perſpexerunt ſexdecim naues, cum quibus Diomedon poſt Thraſyclem Athenis adhuc aduentabat. Cùm autem [*eau Chij*] vidiſſent, cum vna quidem naui Epheſum, cum reliquis verò in oram Teiam diffugerũt. Athenienſes verò [*harum*] quatuor quidem vacuas ceperunt, hominibus in terram prius elapſis, reliquæ verò in Teiorum vrbem confugerunt. Chij autem cum reliquis nauibus in altum prouecti, & peditatus cum ipſis, Lebedum ad defectionem induxerunt, & item Eras. Poſtea verò omnes, & pedeſtres, & nauales copiæ cum claſſe domum ſe receperunt. Sub eadem tempora viginti Peloponneſiorum naues, quas Athenienſes pari [*nauium*] numero tunc inſequuti fuerant, & in Piræum ingreſſas obſidebant, repentina eruptione [*in hoſtes*] facta, & nauali prœlio [*illis*] ſuperatis, quatuor Atticas nauales ceperunt, & [*illinc*] ad Cenchreas profectę, rurſus ad nauigationis curſum in Chium, & Ioniam conficiendum ſe præparare cœperunt. Aſtyochus autem Lacedæmone nauarchus ipſis futurus aduenit, penes quem totum illius claſſis imperium iam erat. Cùm autem peditatus ex Teo diſceſſiſſet, ipſe quoque Tiſſaphernes cum [*ſuis*] copiis [*illuc*] profectus, & ſi quid murorum in [*vrbe*] Teo reliquum erat, demolitus, diſceſſit. Nec multo poſt eius diſceſſum Diomedon cum decem Atticis nauibus [*illinc*] profectus, cum Teiis pactionem fecit, vt ſe quoque receperent. Et [*illinc*] aduerſus Eras profectus, ac adortus, cùm vrbem expugnare non potuiſſet, diſceſſit. Per idem etiam tempus apud Samum plebs vnà cum Athenienſibus, qui cum tribus nauibus [*illic*] aderãt, aduerſus potentes, [*ac nobiles*] arma ſumpſit. Et Samiorum plebs ad ducentos ex hiſce potentibus ad ſummum interfecit. Cùm autem

autem [*Samij*] quadringentos [*horum nobilium*] exilio mulctassent, ipsique agros illorum, & domos [*inter se*] distribuissent, & posthęc Athenienses ipsis vt iam fidis, [*& constantibus socijs*] libertatem decreuissent. [*ipsisq; decreto facto permisissent, vt sui iuris essent, suisq; legibus viuerent,*] in posterũ [*ipsi per se suoq; arbitratu, suam*] Rempub. administrarunt. & cum rusticis nihil [*amplius*] cõmunicabant, nec vlli plebei amplius licebat aut [*suas filias*] apud illos elocare, [*illisq; in matrimonium dare,*] aut ab illis [*elocatas, vxores*] ducere, [*quòd omne connubij, ac affinitatis cum rusticis contrahendæ ius plebi iam interdixissent.*] Posthæc autem, eadem ætate, Chij (quemadmodũ cæperant) nihil de suo studio remittentes, quo vel sine Peloponnesiis, cum copiis, quas secum tunc habebant, ciuitates ad defectionem inducere conabantur, simul etiam cupientes quàm plurimos eiusdem periculi socios habere, cum rrededim nauibus ipsimet [*sine Peloponnesijs*] in expeditionem aduersus Lesbum sunt profecti, (quemadmodum à Lacedæmoniis dictum fuerat, secundo loco in eam eundum esse) & illic in Hellespõtum. Simul autem & Peloponnesiorum, qui aderant, & indigenarum sociorum peditatus, Clazomenas, & Cumam profectus est. Eius autem præfectus erat Eualas Spartanus, nauium verò, Diniadas ex finitimis [*vrbi subditis.*] Et naues quidem [*Chiorum in Lesbum*] profectæ. Methymnam primùm ad defectionem impulerũt. [*Deinde Chij quatuor nauibus hic præsidij causa relictis, cum reliqui Mitylenen peterunt, & ad defectionem impulerunt.*] Astyochus verò Lacedæmoniorum nauarchus, cum quatuor nauibus è Cenchreis nauigans, in Chium peruenit, quemadmodum [*illuc initio peruenire*] properabat. Tertio autem die quàm ille [*in Chium*] peruenit, quinque & viginti Atticæ

naues ad Lesbum appulerũt, quibus præerat Leon & Diomedon. Leon enim cum aliis decem nauibus, Athenis postea profectus, ad opem [*suis*] ferẽdam venerat. Sed & Astyochus eodem die iam aduesperascente, cùm portu soluisset, & vnã Chiam nauem assumpsisset, in Lesbum nauigare cœpit, vt, si quid posset, [*Lesbiis*] prodesset. Cùm autem Pyrrham, & illinc postero die Eressum peruenisset, hîc intellexit Mitylenen ab Athenienſibus cum vociferatione primo impetu captam fuisse. Nam Athenienses, vt ex improuiso venerant, ad portum appulsi, naues Chias superauerunt, & in terram egressi, iis, qui obstiterant, prælio victis, vrbem in suam potestatem redegerunt. Quæ cùm Astyochus intellexisset tum ex nauibus Eressinis, tum ex tribus Chiis (nam [*ex quatuor*] vna ab Athenienſibus capta fuerat) quæ ex Methymna cum Eubulo veniebant, quæ tunc [*ab Athenienſibus*] interceptæ: sed, quum Mitylene capta est, elapsæ, in ipsum inciderant, haud amplius Mitylenen contendit: sed cùm Eressum ad defectionem faciendam impulisset, & suarum etiam nauium milites armasset, & Eteonico duce illis præposito, Antissam, & Methymnam versus itinere terrestri proficiscì iussisset, ipse quoque cum suis nauibus, & tribus Chiis eodem oram legens contendit, sperans Methymnæos, conspectis suis copiis, fiduciam animo concepturos, & in defectione permansuros. Sed cùm in Lesbo omnia ipsi aduersarentur, suis copiis [*in naues*] receptis, in Chium rediit. Peditatus etiam, qui nauibus vehebatur, & qui in Hellespontum traiecturus erat, rursus in oppida se recepit. Post hæc autem ex sociali Peloponnesiorum classe, quæ ad Cenchream stabat, sex naues in Chium ad ipsos venerunt. Athenienses verò, res in Lesbo rursus constituerunt, & illinc

illinc profecti, Clazomeniorum [*vrbem nomine*] Polichnam, quam in continente munierant, cepe-runt, eosque rursus in vrbem in insula sitam trans-portarunt, præter defectionis autores. Isti enim Daphnuntem abierunt. Et denuo Clazomenæ in Athenienſium ditionem conceſſerunt. Eadem æ-ſtate, illi etiam Athenienſes, qui cum viginti nau-bus apud Ladam ſtationem aduerſus Miletum ha-bebant, copiis in terram expoſitis ad Panormum [*agri*] Mileſij [*oppidum*,] Chalcideum Lacedæmo-nium ducem, cum paucis occurrentem ad vim ar-cendam, interfecerunt, & tertio pòſt die, erecto tro-phæo, abierunt. Quod Mileſij ſuſtulerunt, vt ab il-lis erectum, qui [*Mileſium*] agrum in ſuam poteſta-tem nequaquam redegiſſent. Leon autem, & Dio-medon cum Athenienſium nauibus, quas ex Leſbo ſecum duxerant, ex Oenuſſis inſulis Chio adiacen-tibus, ex Siduſſa quoque, & Pteleo (quas vrbes in [*agro*] Erythræo obtinebant) atque ex Leſbo profi-ciſcentes, ex nauibus bellum aduerſus Chios admi-niſtrabant. Habebant autem grauis armaturæ mili-tes legionarios, quos naues conſcendere coëgerãt, vt earum eſſent defenſores. Et ad Cardamylam ex-poſitis in terram copiis, & ad Boliſſum Chiis præ-lio victis, multisq; cæſis, qui ad vim arcendam ob-uiam ſibi proceſſerant, oppida in hac [*regionis*] parte ſita [*vaſtarunt, ac*] euerterũt. Et [*eosdem Chios*] ad Pha-nas rursus altero prælio, & tertio ad Leuconium vicerunt. Poſtea verò Chij quidem iam aduerſus [*Athenienſes*] haud amplius prodire ſunt auſi. Illi verò regionem egregiè [*variis rebus*] inſtructam, & à bello Medico ad id vſque tempus illæſam, diri-puerunt. Chij enim ſoli [*omnium*,] quos ego cogno-ui, poſt Lacedæmonios, ſimul & beati, & modeſti extiterunt, & quo magis ipſorum ciuitas creſce-

bat, eo magis etiam modestiæ operam dabant, vt magis essent muniti. Et ne ipsam quidem defectionem (si præter id, quod [*ipsis*] tutum, [*ac salutare futurum*] erat, hoc fecisse videntur) facere prius sunt ausi, quàm vnà cum multis, iisque fortibus sociis se belli fortunam periclitaturos existimarunt, & [*priusquàm*] intellexerunt ne ipsos quidem Athenienses amplius negare, post cladem in Sicilia acceptam, planè res suas pessimè se habere. Quòd si qua in re præter suam opinionem lapsi sunt, (vt humanitus contingere solet) cum multis hoc peccatum vltro commiserunt, [*& cum multis lapsi sunt,*] qui idem sentiebant, & qui res Athenienſium à multis celeriter euersum iri putabant. Cùm igitur illi maris vsu prohiberentur, & à terra diriperentur, quidam [*ex ipsorum ciuibus*] vrbem Athenienſibus tradere sunt conati. Magistratus autem, quamuis horum consilia sensissent, ipsi tamen quieuerũt: sed Astyochum nauarchum, cum quatuor nauibus, quæ ipsi aderant, Erythris [*accersitum, in vrbem*] adduxerunt, & [*cum eo*] cõsultare cœperunt, vt, vel obsidibus acceptis, vel aliquo alio modo, quàm moderatissim è [*suorum ciuium*] insidias, [*conatusq;*] cõpescerent. Et Chij quidẽ hęc agebant. Eadem autẽ æstate extrema, mille, & quingenti grauis armaturæ milites Athenienſium, & mille Argiuorũ (Athenienses enim quingentos Argiuorum leuis armaturæ milites iustis armis instruxerant) & sociorum, mille, cum nauibus duodequinquaginta, quarum aliquot erant ad armatos portandos, ducibus Phrynicho, & Onomacle, & Scironida, Athenis in Samum traiecerunt, & in Miletum transgressi, castra posuerunt. Milesij verò [*aduersus eos*] egressi, cùm ipsi, [*quinerant*] octingenti grauis armaturę milites, tum Peloponnesij, qui cum Chalcideo venerunt,

rant, tum etiam quædam peregrina, [*ac mercenaria*] Tissaphernis auxilia, quinetiam ipse Tissaphernes præsens, & ipsius equitatus prœlium cum Athenienſibus, ſociisque commiſerunt. Et Argiui quidem, qui ſuo cornu prœlij initium fecerant, & qui contemptis [*hoſtibus*,] vt aduerſus Iones, & eos, qui ſuum impetum laturi non eſſent, ordinibus non ſeruatis pergebant, à Mileſiis ſuperati fuerunt, & paulo pauciores trecentis ex ipſis cæſi fuerunt. Athenienſes verò, cùm initiò Peloponneſios viciſſent, & barbaros, cæteramque turbam [*loco*] pepulſſent, cum Mileſiis non ſunt congreſſi. Sed cùm ipſi [*Mileſij*] poſt fugatos Argiuos, in vrbem ſe recepiſſent, cùm alterum ſuorum [*cornu*] ſuperatum vidiſſent, [*Athenienſes*] ad ipſam Mileſiorum vrbem iam victores caſtra poſuerunt. In hoc autem prœlio contigit, vt Iones, vtrinque Dorienſes vincerent. Nam & Athenienſes vicerunt Peloponneſios in acie ſibi oppoſitos, & Argiuos Mileſij. Athenienſes autem erecto trophæo, ad vrbem circumuallandam ſeſe præparabant, quòd locus ille in Iſthmi modum eſſet anguſtus. Exiſtimabant enim, ſi Miletum in ſuam poteſtatem redegiſſent, cætera quoque [*oppida*] in ſuam ditionem facilè ventura. Interea verò iam ſub veſpertinũ crepuſculum, ipſis nuntiatur quinque, & quinquaginta Peloponneſiorum, & Siculorum naues tantũ non adeſſe. Nam Hermocrate Syracuſano potiſſimùm Sicilienſes inſtigante ad belli reliquias [*cum Peloponneſijs*] perſequendas, vt Athenienſium imperiũ euerterent, viginti naues Syracuſanorum, & duæ Selinuntiæ veniebant. Et Peloponneſiorum naues, quæ inſtruebantur, iam paratæ erant. Therameni autem Lacedæmonio præceptum fuerat, vt has vtraſque claſſes ad Aſtyochum nauarchum

deduceret, quæ primùm in Eleum insulam Mileto adiacentem traiecerunt. Mox illinc, cùm accepissent Athenienses in Mileto esse, in Iasicum sinum prius nauigarunt, quòd scire vellent quid rerum apud Miletum gereretur. Cùm autem Alcibiades equo [*vectus*] ad Tichiussam [*agri*] Milesij [*castellum*] venisset, ad quam sinus partem [*Peloponnesij cum suis nauibus*] appulsi stationem habebant, res in prœlio gestas intellexerunt. Nam & Alcibiades [*prœlio*] interfuerat, & cum Milesiis, & Tissapherne in acie aduersus hostes steterat. Hic autem ipsis suasit, vt, nisi & Ioniam, & cæteras omnes res amittere vellent, opem quàm celerrimè Mileto ferrent, néve per suam negligentiam illam [*ab hoste*] circumuallari paterentur. Atque illi quidem [*huic*] prima luce statim succurrere statuerũt. Phrynicus verò Athenienſium dux, cùm ex Dero de classis hostilis aduentu certior factus fuisset, cùm [*ipsius*] collegæ [*eam*] expectare vellent, vt nauale prœlium committerent, negauit aut se hoc facturum, aut illis, aut alij cuiquam [*hoc facere*] permissurum. Cùm enim aliquanto pòst (vbi planè cognouissent aduersus quot hostiles naues, & quo suarum sufficienter, & per otium instructarum numero aduersus eas certandum esset) [*sibi cum hoste tutius*] confligere liceret, se nunquam adductum iri [*dicebat.*] vt turpi [*fugæ*] probro cedens, [*ac infamiæ metu superatus,*] belli fortunam temerè periclitaretur. Nec enim turpe esse, Athenienses cũ classe ad tempus cedere: sed longè turpius fore, si, quomodocunq; res contingeret, vincerẽtur. & Respub. non solùm in dedecus: sed etiam in maximum periculum incideret, cui propter clades acceptas vix licere [*dicebat*] cum firmo apparatu sua sponte, vel etiam lacessitæ, & magna necessitate coactæ aliquos

quos aggredi, [*& bellum aliis inferre,*] iam verò quo modo ei non coactæ pericula sua sponte susciperé [*liceret?*] Itaque iubebat illos assumptis sauciis, & peditatu, omniq́ue instrumento, quod secum attulerant, cæteris verò rebus, quas ex hostico cepissent, relictis, vt naues leuarentur, in Samum quàm velocissimè nauigare. Illinc autem iam nauibus in vnum contractis, incursiones [*in hostem*] facere, ſicubi tempus opportunum foret. Cùm autem Phrynicus [*suis collegis*] hæc persuasisset, ac fecisset, non magis in præsentia, quàm in posterũ, nec in hoc tantùm: sed etiam in omnibus aliis negotiis, quæ ipsi delegata fuerunt, non imprudens est habitus. Hunc igitur in modum Athenienſes, statim sub vesperam, imperfecta victoria, castris motis à Mileto discesserunt. Argiui verò propter eladem acceptam irati, ex Samo domum celeriter abierunt. Peloponnesij autem ipso statim diluculo, castris è Tichiussa motis, post [*Athenienſium discessum, ad Miletum*] appellunt, & vnum diem [*illic*] morati, postridie assumptis etiam nauibus Chiis, quas cum Chalcideo venientes hostium classis antè fuerat insequuta, statuerunt ad Tichiussam redire, vt instrumentum, quod ex [*nauibus*] exportatum, [*illic*] reposuerant, assumerent. Cùm autem [*illuc*] peruenissent, Tissaphernes cum [*suo*] peditatu [*ad illos*] accessit, ipsisq́ue persuasit, vt aduersus Iasum (vbi Amorges, qui [*Regis, à quo defecerat,*] hostis erat, [*se*] continebat) nauigarent. Iasum autem repente aggressi, & [*oppidanis*] non opinantibus alias esse, quàm Atticas naues, ceperunt. In hoc autem opere præcipua fuit Syracusanorum laus. Cùm igitur Peloponnesij Amorgem, Pissuthnis filium nothum, qui à Rege defecerat, viuum cepissent, Tissapherni tradiderunt, vt [*eum*] (si vellet)

ad Regem abduceret, quemadmodum ipsi [*Rex*] imperauerat. Iasumque diripuerunt, & exercitus maxima pecuniæ vi potitus est. Hoc enim oppidum à priscis vsque temporibus locuples erat. Cæterùm auxilia, quæ Amorges circa se habuerat, [*Peloponnesij*] ad se ipsos traducta, nulloque maleficio affecta, suis ordinibus admiscuerunt, quòd [*eorum*] plerique essent Peloponnesij. Cùm autem id oppidum Tissapherni tradidissent, omnesque captiuos, tam seruos, quàm liberos, pactione cum illo facta, vt in singula capita singulos stateres Daricos sibi numeraret, postea Miletum redierunt. Et [*illinc*] Pedaritum Leontis [*filium*,] quem Lacedæmonij Magistratum in Chium miserant, ad Erythras vsque itinere pedestri mittunt, cum iis copiis auxiliaribus, quas circa se Amorges habuerat, & Philippum illic Mileto præficiunt. Atq; hęc æstas excessit. Insequenti autem hieme Tissaphernes, posteaquàm Iasum præsidio muniuit, Miletum aduenit, & (quemadmodum Lacedæmone promiserat) menstruum stipendium nauibus omnibus numerauit, singulas drachmas Atticas viritim. In reliquum verò tempus ternos obolos [*quotidie singulis remigibus*] persoluere volebat, donec Regem consuluisset. Dicebat autem se integras drachmas [*singulis* [persoluturum, si [*Rex*] iussisset. Verùm Hermocrate Syracusanorum duce contradicente (Theramenes enim, quòd [*ipse*] non esset nauarchus: sed ad tradendam Astyocho classem cum illis nauigaret, in stipendij exactione remissior erat) tamen inter eos conuenit, vt præter quinque naues, plusquam terni oboli viritim persoluerentur. Nam quinque, & quinquaginta nauibus terna talenta in singulos menses dabat cæterisq; nauibus, quæ vltra hunc numerum erant, ad hanc ipsam rationem

tionem [*pro rata portione stipendium*] soluebatur. Hac eadem hyeme, Athenienses, qui apud Samum agebant (ad eos enim domo præterea venerant, & aliæ quinque & triginta naues, & [*earum*] duces, Charminus, & Strombichides, & Euctemon,) omnibus nauibus, tam illis, quæ ex Chio, quàm aliis, quæ aliunde venerant, in vnum contractis, [*belli prouincias*] inter se sortiti, Miletum quidem naualibus copiis oppugnare: sed aduersus Chium, & nauales, & pedestres copias mittere statuerunt. Quod etiam fecerunt. Nam Strombichides quidem & Onomacles, & Euctemon, cum triginta nauibus, quas habebant, & cum parte grauis armaturæ militum ad Miletum profectorum, quos secum ducebant in actuariis nauigiis in Chium sortitò nauigarunt. Cæteri verò [*ipsorum collegæ*] apud Samum remanentes, cum quatuor ac septuaginta nauibus mare obtinebant, & classis incursionibus Miletum infestabant. Astyochus verò, vt per id tempus apud Chium obsides propter proditionis metum deligebat, ab hac quidem re abstinuit, postquàm intellexit classem cum Theramene venire, & res sociorum, [*ipsamq; societatem*] in melius proficere. Assumptis autem decem Peloponnesiacis nauibus, totidemque Chiis in altum vela fecit. Cùm autem Pteleum adortus fuisset, nec expugnasset, Clazomenas traiecit, & iussit eos, qui ex ipsis [*Clazomeniis*] cum Athenienſibus sentiebant, [*& qui eorum partibus fauebant*,] Daphnuntem, in loca mediterranea migrare, & [*cæteros, qui Lacedæmoniis erant amici*,] ad suas partes transire. Tamus etiam Ioniæ prætor idem iubebat. Sed cùm [*illi*] imperata facere nollent, vrbem nullis muris cinctam adortus, cùm eam expugnare non posset, ipse quidem Phocæam, & Cumam ingenti vento delatus petiit.

Cæteræ verò naues ad Marathusam, Pelen, & Drimyssam, insulas Clazomenis adiacentes appulerunt. Cùm autem dies octo, propter [*contrarios*] ventos illic morati fuissent, [*res omnes*,] quæcunque [*illic*] erant expositæ, quæ ad Clazomenios pertinebant, partim quidem diripuerunt, & consumpserunt, partim verò [*in suas naues*] imposuerunt, & Phocæam, & Cumam ad Astyochum redierunt. Dum autem Astyochus hic esset, Lesbiorum legati [*ad eum*] venerunt, qui defectionem [*ab Atheniensibus ad Lacedæmonios*] facere volebant. Et ei quidem [*rem*] persuaserunt: sed cùm & Corinthij, & cæteri socij, propter superiorem cladem, [*ad hanc expeditionem illorum causa suscipiendam*] minus essent prompti, [*illinc*] soluens, in Chium nauigare cœpit. Quamuis autem naues tempestate dissectæ fuissent, postea tamen aliæ aliunde in Chium peruenerunt. Postea verò Pædaritus, qui fuerat apud Erythras, tunc itinere pedestri ex Mileto profectus, cùm ipse, tum [*ipsius*] exercitus in Chium traiecit. Habebat autem & ex quinque nauibus ad quingentos milites cum armis à Chalcidensibus relictos. Cùm autem quidam Lesbiorum se defectionem [*ab Atheniensibus*] facturos pollicerentur, Astyochus rem cum Pædarito, Chiisque communicauit, ac dixit in Lesbum cum classe [*sibi*] proficiscendum esse, vt eam ad defectionem faciendam inducerent. Nam fore [*dicebat*,] vt vel plus sociorum sibi compararent, vel certè (si quid minus succederet) Atheniensses vexarent. Sed illi morem ipsi gerere noluerunt. Negauitque Pædaritus se Chiorum naues ipsi permissurum. Ille verò, assumptis quinq; Corinthiacis nauibus, & sexta Megarica, & vna Hermionica, & Laconicis illis, quas ipse secum duxerat, Miletum ad [*suam*] nauarchiam abiit, multa

Chiis

Chiis minatus, se videlicet nequaquam ipsis opem esse laturum, si qua ope indigerent. Cùm autem ad Corycum [*oræ*] Erythrææ appulisset, [*illic*] stationem habuit. Athenienses verò, qui cum copiis ex Samo in Chium nauigabant, ipsi quoque ad alteram collis partem [*ab hoste, qui ad alteram partem erat,*] dirimebantur, & [*illuc*] appulerunt, & alteri alteros latuerunt, [*quod collis interiacens alteros ab alteris dirimeret, ita vt neutri alteros ex sua statione prospicere possent.*] Astyochus autem, cùm epistolam à Pædarito missam accepisset, [*quæ significabat*] quosdam Erythryæos captiuos ex Samo dimissos, Erythras ad moliendam proditionem venisse, confestim Erythras iterum est reuectus. Ac parum abfuit quin incideret in Athenienses. Pædaritus etiam ab ipsis [*Chiis, apud quos erat,*] digressus, [*ad Astyochum*] traiecit, & [*simul*] habita quæstione de iis, qui proditionem moliri videbantur, vbi compertum habuerunt rem totam à captiuis, qui ad Samum detinebantur, confictam fuisse, vt [*hac specioſa proditionis moliendæ causa ex hostium manibus euadèrẽt, ac suæ*] saluti consulerent, [*illis*] crimine liberatis, abierũt. [*Et*] alter quidé, in Chium, alter verò, Miletũ se recepit, quemadmodũ destinarat. Interea verò & Athenienſiũ classis, quę è Coryco prope Arginũ circumuehebatur, incidit in tres naues longas Chiorum. Et simul ac eas conspexerunt, confestim insequi cœperunt, & ingens tempestas est exorta. Et Chiorum quidem [*naues*] in portum ægrè confugerunt. Athenienſium verò tres [*naues*] quæ [*ante alias*] longiſſimè procurrerant, [*ac hostem longissime fuerant insequutæ,*] perierunt, & ad Chiorum vrbem fluctibus ejectæ fuerunt, virique partim capti, partim interfecti fuerunt. Cæteræ verò in portum Mimanti subiectum, nomine Phœnicuntem, fuga se recepe-

runt. Postea verò [*Athenienses*] hinc ad Lesbum appulsi, ad munitiones excitandas se præparabant. Eadem hyeme Hippocrates Lacedæmonius ex Peloponneso profectus cum decem nauibus Thuriis, quibus præerat Dorieus Diagoræ [*filius,*] cum duobus aliis collegis, item cum vna Laconica, & altera Syracusana, in Cnidum traiecit. Hæc autem à Tissapherne iam defecerat. Qui autem apud Miletum erant, cùm [*horum aduentum*] sensissent iusserunt dimidium classis Cnidum tueri, eas verò [*naues,*] quæ ad Triopium stabant, onerariis ex Ægypto venientibus, [*& rem frumentariam aduehentibus*] succurrere. Est autem Triopium, prominens [*ora*] Cnidiæ promontorium, Apollini sacrum. Athenienses verò, cùm [*hoc*] audissent, & ex Samo venissent, sex naues, quæ præsidij causa stationem ad Triopium habebant, ceperunt. At homines, [*qui vehebantur,*] ex ipsis [*in terram*] aufugerunt. Postea verò [*Athenienses,*] cùm ad Cnidum appulissent, & vrbem nullis muris munitam adorti fuissent, parum abfuit quin [*eam*] caperent. Postridie verò rursus [*eam*] oppugnarunt. Verùm cùm non amplius æquè, [*ac prius, Cnidijs in oppugnatione*] nocere possent, quòd ipsi [*Cnidij*] per noctem melùs [*vrbem*] obsepissent, & præterea illi, qui ad Triopium ex nauibus diffugerant, ad eos ingressi venissent, Cnidiorum agrum percurrerunt, eoque vastato in Samum redierunt. Per idem tempus, cùm Astyochus Miletum ad classem venisset, res omnes, quæ ad copias alendas sunt necessariæ, Peloponnesijs adhuc abundè suppetebant. Nam stipendium, quantum satis erat, [*ipsis*] suppeditabatur, & præterea magna pecuniæ ex Iaso direptæ vis militibus supererat. Et Milesij alacriter onera belli sustinebant. Veruntamen illa superiora fœdera, quæ à Chalcideo cum Tissapherne

[*Regis*

[*Regis nomine*] facta fuerant, Peloponnesiis videbantur quibusdam rebus manca, nec magis pro ipsis, [*quàm pro Rege*] facere. Quamobrem alia Theramene præsente fecerunt; in hæc verba: Pactiones inter Lacedæmonios, sociosque, & Regem Darium, Regisque filios, & Tissaphernem, vt fœdera sint, & amicitia his conditionibus: Quæcunque regio, & vrbes sunt Regis Darij, aut quæ patris, aut maiorum [*ipsius*] fuerunt, aduersus istas ne eant, aut belli inferendi causa, aut quoquo modo nocendi gratia, vel Lacedæmonij, vel Lacedæmoniorum socij. Néve tributa exigant ex his vrbibus aut Lacedæmonij, aut Lacedæmoniorum socij. Neque vicissim Rex Darius, aut vllus eorum, quibus Rex imperat, aduersus Lacedæmonios, eorúmve socios eat, vt bellum illis inferat, aut vllo maleficio afficiat. Si qua autem in re Lacedæmonij, vel [*eorum*] socij, Regis opera indigeant, aut Rex, Lacedæmoniorum, vel sociorum [*opera indigeat,*] quicquid alteri alteris mutuò persuaserint, hoc si fecerint, præclarum esse ducatur. Bellum autem, quod cum Athenien sibus, illorumque sociis geretur, hoc vtrique communiter administrêt. Exercitui autem, qui in Regis ditione fuerit, si Rex [*eum*] accersiuerit, Rex stipendium præbeat. Si qua autem ciuitatum, quæ pactionem, [*fœdusq;*] cum Rege fecerunt, in Regis ditionem inuaserit, cæteri prohibeant, Regique pro viribus opem ferant. Rursus si quis eorum, qui sunt in Regis agro, aut eo, cui Rex imperat, in Lacedæmoniorum, vel sociorum [*agrum*] inuaserit, Rex prohibeat, & pro viribus opẽ [*ipsis*] ferat. Post has pactiones Theramenes quidem, traditis Astyocho nauibus, actuario nauigio discedens, ex hominum conspectu sublatus est. Athenienses verò è Lesbo ad Chium cum [*suis*] copiis appulsi, & terra,

ac mari potiti, Delphinium muniuerunt, locum alioqui & à terra munitum, & portus habentem, nec procul à Chiorum vrbe distantem. Chij verò, tum quòd superioribus prœliis sæpius afflicti fuissent, tum quòd alioqui inter se ipsos animis non admodum bene affecti essent: sed etiam, (quòd Tydeus Ion. eiusque socij propter Atticismum, [*quasi Athenienſium partibus fauiſſent,*] à Pædarito rã morte mulctati fuissent, & reliqua ciuitatis pars à paucorum dominatu coacta premeretur, [*& in officio per vim parum contineretur:*]) mutuò suspecti essent, quiescebant. His igitur de causis nec ipsi, nec illæ auxiliares copiæ, quæ cum Pædarito erant, satis firmæ videbantur ad prœlium cum ipsis [*Athenienſibus*] committendum. Miletum tamen miserunt, orantes Astyochum, vt sibi succurreret. Sed cùm ille morem ipsis gerere nollet, Pædaritus de illo, vt Rempub. lædente, Lacedæmonem scribit. Atque res quidem, quæ ab Athenienſibus in [*inſula*] Chio gerebantur, in hoc erant statu. Sed naues ipsorum, quæ apud Samum stationem habebant, incursionibus quidem infestabant eas, quæ apud Miletum stabant: sed cùm [*Miletij cum ſuis nauibus*] aduersus [*Athenienſes, ad nauale prœlium*] prodire nollent, [*Athenienſes*] in Samum rursus sese recipientes quiescebant. Per eandem hyemem illæ septem, & viginti naues, quæ Pharnabazo à Lacedæmoniis præparatæ fuerant, Calligeti Megarensis, & Timagoræ Cyziceni operâ, ex Peloponneso profectæ, circa solstitium in Ioniam traiecerunt. Illisq; præerat Antisthenes Spartanus. Cum hoc autem Lacedæmonij miserunt etiam vndecim viros Spartanos (quorum vnus erat Lichas Arcesilai [*filius*]) vt Astyochus eorum consilio vteretur. Ipsis autem præceptum fuerat, vt Miletum profecti, simul cùm

alia

alia curarent, vt quàm optimè haberent, tum verò has ipsas naues, vel totidem, vel plures, vel etiam pauciores, in Hellespontum, ad Pharnabazum (si videretur) mitteret, & Clearchũ Ramphij [*filium*,] qui in eadem classe vehebatur, [*his*] ducem præficerent, & Astyochum (si vndecim viris placeret) amouerent à nauarchia, & Antisthenem [*in eius locum*] substituerent. Nam propter Pædariti epistolas ipsum [*Astyochum*] suspectum habebant. Cùm igitur hę naues à Malea per altum nauigarent, ad Melum appulerunt, & cùm incidissent in decem Atheniensium naues, tres [*earum*] inanes ceperunt, & cremarunt. Postea verò, veritine [*reliquæ*] Atheniensium naues ex Melo elapsæ (quod accidit) Athenienſibus in insula [*Samo*] stationem habentibus suum aduentum notum facerent. Cretam versus nauigantes, & confecto longiore nauigationis cursu, vt tutiùs iter facerent, ad Caunum Asiæ appulerunt. Hinc verò, quasi in tuto [*iam*] essent, nuntium miserunt ad classem, quæ ad Miletum stabat, vt eius præsidio muniti [*illuc*] deducerentur. Interea verò Chij, & Pædaritus Astyochum, etsi cunctantem, nihilotamen minus per nuntios [*ad eum*] missos orabant, vt sibi obsessis opem cum tota classe ferret, nec maximam [*omnium*] socialiũ vrbium, quæ in Ionia essent, & à mari intercludi, [*ita vt eius vsu prohiberetur,*] & à terra latrociniis diripi paterentur. Chiorum enim serui, quia magnus erat eorum numerus, atque adeò, vt in vnica vrbe, excepta Lacedæmone, maximus, simul etiam quia propter [*suam*] multitudinẽ, in delictis seueriùs [*à dominis*] plectebantur, postquàm Athenienſium exercitus munitionibus extructis, in loco tuto iam collocatus esse visus est, multi confestim ad ipsos transfugerunt, atque isti propter notitiam regionis pluri-

ma detrimenta [*Chiis*] attulerunt. Dicebant igitur Chij, oportere [*Astyochum*] sibi succurrere, dum adhuc spes, & facultas esset [*operis*] impediendi, quia Delphinium [*adhuc*] muniebatur, & munitio erat imperfecta, & dū alia maiore munitione [*vrbs Chiorum*] ab [*Athenienſium*] exercitu, nauibusque circumuallaretur. Astyochus verò, quamuis propter minas, quibus tunc apud ipsos vsus fuerat, [*opem ipsis ferre*] non statuisset, tamen cùm & ipsos socios [*ad opem illis ferendam*] propensos esse vidisset, ad succurrendum paratus erat. Interea verò nuntius ex Cauno venit, septem illas & viginti Lacedæmoniorum naues, & consiliarios adesse. Quamobrem cùm existimasset cætera omnia posthabenda esse, & in hanc rem præcipuè incumbendum, vt & tot naues illis obuiam mitteret, quæ illos [*Miletum*] suo præsidio septos deduceret, vt maris imperium facilius obtinerent, & Lacedæmonij, qui ad ipsius actiones explorandas veniebant, [*illuc*] tuto traiicerent, confestim omissa in Chium nauigatione, in Caunum nauigauit. In ipsa autem præteruectione, copijs in Con Meropidem expositis, & vrbem nullis cinctam muris, & terræmotu (qui maximus omniū, quos meminimus, illius insulæ incolis contigit) collapsam diripuit, oppidanis in montes dilapsis. Et agrum percurrens, prædam abegit, præter quam [*hominum*] liberorum. hos enim dimittebat. Ex Co autem in Cnidum noctu profectus, vehementibus Cnidiorū precibus adductus est, ne [*suos*] nautas [*in agrum Cnidium*] exponeret; sed, vt se habebat, confestim nauigaret aduersus viginti Athenienſium naues, cum quibus Charminus, vnus è ducibus, qui apud Samum agebant, obseruabat has septem & viginti naues, ex Peloponneſo venientes, ad quas & Astyochus nauigabat. Nam [*Athenienſes*]

nienſes,] qui in Samo erant, ex Mileto de huius claſſis aduentu certiores facti fuerant, & negotium Charmino datum fuerat, vt hanc obſeruaret circa Symam, & Chalcen, & Rhodum, & Lyciam. Iam enim [*Charminus*] eas in Cauno eſſe acceperat. Aſtyochus igitur, vt ſe habebat, ad Symam [*celeriter*] tendebat, aduentus ſui famam præuertere cupiens, ſi fortè claſſem [*hoſtilem*] in alto nanciſci poſſet. Sed imber, cœlumque nubilum perturbationem eius nauibus attulit, & effecit, vt in tenebris vagarentur. Et ſimul ac dies illuxit, cũ eius claſſis eſſet diſperſa, & ſiniſtrum quidem cornu iam in Athenienſium cõſpectum veniret, alterum verò circum inſulam adhuc vagaretur, confeſtim Charminus, & Athenienſes cum nauibus, quæ pauciores erant, quàm viginti, aduerſus [*hoſtium naues*] tendunt, exiſtimantes has eſſe naues illas, quas ex Cauno venientes obſeruabant. Et impreſſione [*in eas*] ſtatim facta, tres [*illarum*] depreſſerunt, aliasque lacerarũt. Et in hoc prœlio victoriam obtinuerunt, donec pleraque [*Lacedæmoniorum*] naues præter opinionem in ipſorum conſpectum repente venerunt, [*à quibus*] etiam vndique concluſi fuerunt. Tunc verò in fugam ſe coniecerunt, & ſex naues amiſerunt, at cum cæteris in inſulam Teugluſſam confugerunt. Hinc verò, in Halicarnaſſum. Poſtea verò, Peloponneſij quidem, cùm ad Cnidum appuliſſent, & ſeptem ac viginti naues ex Cauno profectas ſibi adiunxiſſent, cum vniuerſa claſſe Symam petierũt, ibique trophæo ſtatuto, in Cnidi ſtationem redierũt. Athenienſes verò cum omnibus nauibus, quæ ad Samum ſtabãt, poſtquàm nauale prœlium commiſſum intellexerunt, in Symam iuerunt. Cùm autem nec ipſi claſſem, quæ ad Cnidum ſtabat, inuaſiſſent, nec illi, [*quæ illic erant,*] in ipſos [*impreſſionem*

feciſſent,] ſed nauium armamenta, quæ erant in Syma, ſumpſiſſent, & Loryma, quæ ſunt in continente, oppugnaſſent, Samum redierunt. Cùm autem omnes Peloponneſiorum naues in Cnido iam eſſent, reficiebantur, ſi quid [*in illis refici*] oportebat. Et vndecim illi Lacedæmoniorum viri, cũ Tiſſapherne (aderat enim) agebant cùm de rebus iam tranſactis, ſi qua [*illarum*] ipſis non placeret, tum etiam de futuro bello, qua ratione optimè, & maximè ex vtrorunque vtilitate gerendum eſſet. Præcipuè verò Lichas conſiderabat ea, quæ fiebant, & neutrum fœdus, [*aut à Chalcideo,*] aut à Theramene bene factum eſſe dicebat. Indignum enim profectò eſſe, ſi cuicunque prouinciæ Rex, eius q; maiores prius imperaſſent, huic nunc etiam [*Rex*] imperare vellet. Oportuiſſet enim [*hoc modo*] & omnes inſulas, & Theſſaliam, & Locros, & regiones, quę vſque ad Bœotorum fines pertinebant, in ſeruitutem rurſus redigi, & Lacedæmonios pro libertate imperium Medorum Græciæ [*ceruicibus*] imponere. Alia igitur [*fœdera*] meliora fieri iubebat, aut iſtis ſe non vſurum, [*nec horum conditionibus ſtaturum,*] nec ob has [*pactiones*] vllo ſtipendio opus eſſe. Tiſſaphernes autem indignatus, ab ipſis iratus, & infecto negotio abſceſſit. Illi verò in Rhodum, à primoribus viris per præconem accerſiti, nauigare in animo habebant, ſperantes fore, vt inſulam & naualibus, & pedeſtribus copiis inſtructam ſibi adiungerent, ſimul etiam exiſtimantes ſe præſentis ſocietatis beneficio poſſe nauales copias alere, nullam pecuniam à Tiſſapherne petentes. Protinus igitur per eandem hyemem ex Cnido profecti, & ad Camirum [*oræ*] Rhodiæ primùm appulſi cum quatuor & nonaginta nauibus, multis quidem terrorem iniecerunt, rerum, quæ tractabantur, ignaris, & [*ideo*] pro-

profugerant, præsertim quòd vrbs nullis muris esset munita. Sed postea Lacedæmonij cùm & istos, & duarum ciuitatum Lindi, & Ielysi [*ciues*] Rhodios conuocassent, [*ipsis*] persuaserunt, vt ab Athenienſibus deficerent. Atq; Rhodus se Peloponnesiis adiunxit. Athenienses verò, cùm [*hoc*] intellexissent, sub idem tempus cum classe è Samo soluerunt, [*Rhodiorum defectionem*] anteuertere cupientes, & conspecti quidem sunt dum cursum in alto tenerent. Sed cùm seriùs aliquanto venissent, tunc quidem in Chalcen, hinc verò in Samum celeriter abierunt. Postea verò & ex Chalce, & ex Co, & ex Samo incursiones in Rhodum facientes, [*cum Rhodiis hoc modo*] bellum gerebant. Peloponnesij verò pecunias, ad duo, & triginta talenta à Rhodiis exegerunt, in cæteris verò rebus, subductis nauibus, [*ibi*] per octoginta dies quieuerunt. [*nec vllam præterea molestiam Rhodiis exhibuerunt.*] Interea verò, quinetiam multo antè quã ipsi [*Peloponnesij castra*] Rhodum versus mouissent, hæc, [*quæ sequuntur.*] gesta sunt. Alcibiades post Chalcidei necem, & prœlium commissum ad Miletum, in suspicionem Peloponnesiis venit. Cùm autem epistola de eo interficiendo ad Astyochum ab ipsis Lacedæmone missa fuisset (erat enim Agidi inimicus, & alioqui infidus videbatur) metuens, primùm quidem ad Tissaphernem secessit. Deinde [*verò*] apud eum quàm maximè poterat Peloponnesiorum rebus nocebat. Et [*Tissaphernem*] omnia docens, [*quæ Peloponnesiis nocere poterant,*] stipendium imminuit, ita vt pro drachma Attica terni oboli, nec ij assiduè, soluerentur. Tissaphernem hortans, vt illis diceret, Athenienses, qui longiore temporis spatio rei nauali peritiam haberent, ternos duntaxat obolos suis [*classiariis*] numerare,

non tam propter paupertatem, quàm ne sui nautę propter affluentiã [*stipendij*,] insolentiùs viuentes, partim quidem, corpora imbecilliora haberent, [*stipendium*] impendentes in ea, vnde [*corporum*] imbecillitas contingit, partim verò, classem [*imbecilliorem redderent, eam, ac*] reliquum stipendium [*ipsis*] debitum deferentes, [*ac trierarchis sui loco relinquentes*] vt obsidem. Idem ipsum [*Tissaphernem*] edocuit, vt trierarchos, & ciuitatum duces, pecunia [*ipsis*] data, ad hanc rem sibi concedendam induceret, exceptis Syracusanis. Horum enim [*dux*] Hermocrates, solus [*omnium,*] socialis classis nomine [*huic rei*] aduersabatur. Ciuitates quoq; quæ pecuniam postulabant, ipse Tissaphernis nomine, repulsam passas amandabat, dicens Chios quidem impudentes esse, qui, cùm essent [*omnium*] Græcorum ditissimi, & auxiliarium copiarum beneficio seruarentur, postularent tamen vt alij & corporibus, & pecuniis pro ipsorum libertate pericula subirent. Alias verò ciuitates iniustè facere dicebat, si, quæ pro Athenien sibus, antequàm [*ab illis*] defecissent, sumptus facere consueuissent, nunc etiam pro se ipsis tantundem, aut etiam plus conferre nollent. Dicebat etiam Thissaphernem, nunc quidem, quòd suis pecuniis bellum gereret, iure [*suis pecuniis*] parcere. Sed si quando stipendium à Rege mitteretur, se stipendium integrum ipsis redditurum, & ciuitates, vt par esset, subleuaturum. Idem [*Alcibiades*] Tissapherni præterea suadebat ne nimium properaret bellum finire, néve vel accitis Phœnicum nauibus, quas instruere statuerat, vel maiore [*Græcorum*] classe conducta, iisdẽ [*Græcis*] & terræ, & maris imperium tradere vellet, sed fineret vtrosque separatim imperium habere. Fore enim dicebat, vt Regi liceret in eosdem [*Græcos,*]

à qui-

à quibus offenderetur, alteram partem immittere. Quòd si ad alteram tantùm partem deueniret terræ marisque imperium, ipsum [*Regem*] destitutum iri sociis, quibuscum opprimeret eos, qui rerum potirentur: nisi vellet ipsemet aliquando copiis adductis cum ingenti & impensa, & periculo adire certamen. Illa autem pericula, quæ paruo sumptu subeuntur, leuiora esse [*dicebat*,] simul etiam [*demonstrabat*] fore, vt [*Rex*] sine vllo suo periculo, [*suis, rebus saluis*] ipsos Græcos inter se [*certantes*] attereret. Addebat etiã, Athenienses imperij socios illi commodiores fore. Imperium enim terrestre minùs, [*quàm Lacedæmonios,*] affectare, & belli gerendi rationem [*Regi*] maximè conuenientẽ, verbis, factisque sequi. Nam hos quidem eius auxiliis munitos in suam ipsorum ditionem maris partem redacturos, illumque adiuturos in omnibus Græcis subigendis, qui Regis prouincias incolerent. Illos verò, contrà, ad [*Græcos*] in libertatem vindicandos venire. Nec verisimile esse Lacedæmonios, Græcos ab ipsis quidem Græcis nunc liberare, ab illis verò barbaris [*eosdem*] non esse liberaturos, si aliquando ipsos [*Athenienses*] euertetint. Suadebat igitur [*illi,*] vt vtrosq; priùs attereret, & vbi quàm maximas [*res*] ab Athenienſibus refecuiſſet, [*ac eorum opes maximè iam imminuiſſet,*] tunc demũ Peloponnesios ex [*sua*] regione dimitteret. Atque Tissaphernes hanc opinionem magna ex parte cõceperat, quantum ex iis, quæ [*ab ipso*] fiebant, coniicere licebat. Alcibiadi enim ob hæc, vt de his bene monenti fidem habens, stipendium Pelopõnesiis parcè dabat, neque nauale prœlium committere sinebat: sed etiam dicendo naues Phœnicum venturas, & ex abundanti certaturas, res [*illorum*] euertit. Et ipsorum classi, quæ longè validissima

fuerat, vires abstulit, & cætera [*faciebat*] apertiùs, quàm vt se occultare posset ita, quin alacriter, [*& sciens, prudensq, magnoq, studio Peloponnesios aduersari, & quauis ratione illos oppugnare videretur.*] Alcibiades autem hæc Tissapherni, Regique, dum apud illos esset, suadebat, simul quidé, quòd optima factu duceret, simul etiam, quòd suum in patriam reditum curaret, quia sciebat, si eam non euerteret, fore aliquando, vt [*ab Athenienſibus*] oratione sua adductis reditum [*in eam*] impetraret. Existimabat autem se hac ratione potissimùm hoc ab illis impetraturum, si Tissaphernem ipsi familiaré esse constaret, Quòd etiam accidit. Nam postquàm milites Athenienses, qui apud Samum erant, eum apud ipsum [*Tissaphernem gratia*] pollere senserunt, partim, quidem quòd & ipse Alcibiades ad potentissimos illorum viros literas antè misisset cum mandatis, vt apud optimos quosque viros de se [*in patriam reuocando*] mentionem facerent, [*& dicerent*] se velle [*in patriam*] redire, ea conditione, vt Respub. à paucis regeretur, non autem ab improbissimis quibusque, nec à populari statu, à quo fuisset eiectus, & Tissaphernis amicitia illis conciliata, vnà cum illis Rempub. administrare. Partim verò, idque magis, sua sponte ttierarchi Athenienſium, & potentissimi quique animis erant propensis ad euertendum statum popularem. Hęc autem res in castris prius agitata fuit, mox etiam illinc in vrbem [*est progressa.*] Quinetiam nonnulli ex Samo traiicientes in colloquium cum Alcibiade venerunt. Illo autem [*hanc spem ipsis*] ostendente, se primum quidem Tissaphernis, deinde verò Regis etiam amicitiam [*ipsis*] conciliaturum, si modò populari statu in Reipub. administratione non vterentur (sic enim Regem magis confisurum) ci-

uitatis

uitatis principes magnam ſpem concipiebant, fore vt & ad ſe ipſos, qui malis maximè premerentur, Reipub. adminiſtrationem transferrent, & hoſtes ſuperarent. Hi Samum reuerſi, [*conuraueruni, &*] homines ad coniurationem idoneos, ſibi ſocios adiungebant, & apud multitudinem propalam dicebant Regem ſibi amicum fore, & pecuniam prębiturum, ſi modò Alcibiades reſtitueretur, & popularis ſtatus tolleretur. Vulgus autem, & ſi ſtatim, [*ſimul ac rem audiuit,*] nonnihil angebatur iis, quæ tractabantur, [*tamen*] ob magnam ſtipendij à Rege ſuppeditandi ſpem, [*quam animo iam conceperat,*] quieſcebat. Illi verò, qui paucorum ſtatum [*in Repub.*] conſtituere cupiebant, poſtquàm [*rem*] cum multitudine communicarunt, rurſus etiam inter ſe ipſos, & maiorem ſodalium partem illa Alcibiadis [*promiſſa, poſtulata, mentem, & actiones*] expendebant. Et aliis quidē hæc factu facilia, & fide digna videbantur. Sed Phrynicho, qui adhuc erat dux, nihil [*horum*] placebat. Nam Alcibiades (id, quod etiam erat) non magis paucorum dominatū, quàm popularem ſtatum affectare ipſi videbatur, nec aliud quicquam ſpectare, niſi qua ratione, immutata præſenti ciuitatis diſciplina à ſodalibus accerſitus, [*in patriam*] reuerti poſſet. Sibi verò hoc prębiturè proſpiciendum eſſe, [*operamq́, dandam,*] vt nullo diſſidio à Rege diſſiderent. Nec enim facile factu eſſe dicebat, cùm Peloponneſij iam æquè, [*ac Athenienſes,*] in mari verſarentur, & vrbes nō minimas in illius [*Regis*] imperio haberent. [*Regem*] Athenienſibus adiunctum, quibus diffideret, negotia habere, [*& in grauiores moleſtias incidere velle,*] cùm ei liceret amicitiam cum Peloponneſiis inire, à quibus nullo maleficio fuiſſet affectus. Quod autem attineret ad ſocias ciuitates, (quibus à ſe iam

promissum fuisse [*dicebat,*] fore vt paucorum dominatu regerentur, quòd ne ipsi quidem amplius in Reipub. administratione populari statu essent vsuri,) dicebat se probè scire, nec illas, quæ defecissent, in suam potestatem magis [*propterea*] redituras, nec illas, quæ [*suo imperio adhuc subiectæ*] essent, constantiores futuras, [*& in officio, ac fide constantius permansuras.*] Futurum enim [*aiebat,*] vt [*illarum*] ciues nollent sub paucorum dominatu, vel in populari statu seruitutem potius pati, quàm libertate frui, apud vtramcunque harum partium hanc adipisci possent. Quinetiam eos, qui honesti, probique viri, [*id est, optimates*] vocantur, existimaturos hos [*paucorum dominatus fautores*] non minus negotij, quàm ipsum popularem statum sibi exhibituros, qui duces, ac autores futuri essent calamitatum Reipub. ex quibus [*calamitatibus,*] ipsi, [*qui paucorum dominatus essent studiosi,*] plura commoda consequuturi essent. Præterea sub illorum quidem imperio, se vel indicta causa, & crudelius morte mulctatum iri: populare verò statum, suũ esse perfugium, & illorum moderatorem, [*quibus in officio contineret, ac refranaret.*] Seq; planè cõpertum habere [*dicebat,*] ciuitates ipsa experientia edoctas de his ita sentire. Nequaquam igitur quicquam eorum, quæ vel in præsentia ab Alcibiade gererentur, sibi placere. Sed qui ex coniurationis sociis [*eò*] conuenerant, sicut & initiò secum ipsi constituerant, & præsentes [*conditiones ab Alcibiade oblatas*] acceperunt, & legatos cùm alios, tum etiam Pisandrum Athenas mittere parati erant, vt & de Alcibiade [*in patriam*] reducendo agerent, & de tollendo illius Reipub. populari statu, vtq; Tissaphernis amicitiam Athenien sibus conciliarent, Phrynichus autem, cùm sciret verba de Alcibiade redu-

reducendo factum iri. hæcq; ad Athenienſibus admiſſum iri, veritus ne propter ea, quę à ſe in cõtrariam ſententiam dicta fuiſſent, ſi [*in patriam*] reuerſus fuiſſet, [*ſe*] maleficio afficeret, quòd [*ipſius reditum*] impediuiſſet, quoddam huiuſmodi ſtratagema comminiſcitur. Mittit ad Aſtyochum Lacedæmoniorum nauarchum, circa Miletum adhuc agentem, clandeſtinas literas, quibus ſignificabat Alcibiadem res illorum corrumpere, qui Tiſſaphernis amicitiam Athenienſibus conciliaret. Et alias [*multas res*] in [*his*] apertè ſcripſerat. Veniam autem ſibi dandã eſſe [*dicebat,*] qui vel cum incommodo [*ſuæ*] ciuitatis aliquid mali in hoſtis perniciem moliretur. Aſtyochus verò Alcibiadem quidem, præſertim cùm non amplius æquè, [*ac prius,*] in [*ipſius*] manus veniret, ne vlciſci quidem ſtatuit. Sed ad ipſum Magneſiam profectus, & ad Tiſſaphernem, ſimul ipſis res ex Samo ſibi ſcriptas dixit, ac ipſis [*eas coràm*] indicauit. Et (vt ferebatur) quæſtus priuati cauſa ſe Tiſſapherni adiunxerat cùm in hac, tum in aliis [*rebus, de quibus inter ſe communicabant.*] Quamobrem etiam in integro ſtipendio eſſlagitãdo molliùs ſe gerebat. Alcibiades verò confeſtim literas Samũ ad Magiſtratus aduerſus Phrynichum mittit, [*declarans ea,*] quæ fecerat, & poſtulans vt capitis ſupplicio plecteretur. Phrynichus autem perturbatus, & in maximum omnino diſcrimen adductus ob hoc indicium [*ad Magiſtratus allatum,*] rurſus ad Aſtyochum ſcribit, cùm ob ſuperius factum [*de eo*] conquerens, quòd [*ab eo*] non probè celatum fuiſſet, & nunc ſe paratum eſſe ipſis ad internecionem tradere omnem Athenienſium exercitum, qui apud Samum eſſet, expoſitis ſigillatim omnibus modis, quibus hæc [*ipſe Phrynicus*] peracturus eſſet, quòd Samus nullis munitionibus

esset munita. Nec sibi iam inuidiosum esse, [*nec vitio vertendum,*] si propter ipsos in capitis periculum adductus, & hoc, & aliud quiduis potius facturus esset, quàm [*passurus se*] ab inimicissimis funditus perdi. Astyochus verò hæc quoque Alcibiadi indicauit. Phrynichus autem, cùm ipsum iniustè facere præsensisset, & de rebus istis epistolam ab Alcibiade missam tantum non adesse, ipse [*eam*] præuertés, indicium ad exercitum effert, hostes castra inuadere statuisse, quòd Samus nullis munitionibus esset munita, simul etiam quòd non omnis classis intus stationem haberet: & se hæc pro compertis habere, & quàm celerrimè Samum muniendam esse, & cætera [*loca*] præsidiis tuenda. Ipse autem dux erat, harumque rerum administrandarum potestatem habebat. Et hi quidem ad eam muniendam se præparare cœperunt, & propter huiusmodi occasionem, vel sic, [*raptim scilicet, ac festinanter*] Samus, quæ [*alioqui munienda*] erat, celeriùs munita fuit. At non multo pòst literæ ab Alcibiade [*missæ*] venerunt, exercitum [*Athenienſium*] à Phrynico proditum iri, & hostes [*eum*] inuasuros. Alcibiades autem, cùm dignus visus fuisset, cui nulla fides haberetur: at, quòd res ab hostibus faciendas præuidisset, Phrynico, vt [*harum*] conscio, [*hæc*] propter inimicitias, [*quæ cum eo gerebat,*] attribuere [*visus fuisset,*] ipsi nihil nocuit, imò verò, quòd hæc indicasset, suo testimonio [*Phrynichi inducium*] magis confirmauit. Postea verò Alcibiades quidē Tissaphernem monebat, ac inducebat, vt amicus esset Athenienſibus, timentem quidem Peloponnesios, quòd maiori cum classe, quàm Athenienses, adessent, cupientem tamen, si qua ratione posset, sibi fidem haberi, præsertim postquàm sensit Peloponnesiorum apud Cnidum de fœderibus per Theramenem [*cum Re-*

[*50*]

ge] factis dissensionem. Nam tunc temporis, cùm illi apud Rhodum essent [*hæc dissensio*] iam exiterat, in qua illum Alcibiadis sermonem [*à me*] antè commemoratum, [*nimirum*] Lacedæmonios ciuitates omnes in libertatem asserere, Lichas verum esse demonstrauit, [*suisq; verbis comprobauit,*] quia negauit hanc pactionem tolerandam esse, vt Rex eas ciuitates obtineret, quibus vel ipse, vel [*eius*] maiores prius aliquando imperassent. Et Alcibiades quidem, vt pote qui magnis de rebus contendebat, Tissapherne officiis studiosè demerebatur. Athenienſium verò legati, qui cum Pisandro ex Samo missi fuerant, cùm Athenas peruenissent, apud populum verba facere cœperunt, in summam multa colligentes, præcipuè verò [*demonstrantes,*] ipsis licere & Regem socium habere, & Peloponnesios superare, si Alcibiadem restituerent, nec [*in posterum*] eodem modo, [*quo tunc,*] populari statu in Reipub. administratione vterentur. Sed cùm & alij multi pro populari statu contradicerent, & simul Alcibiadis inimici vociferarentur, indignum facinus esse, si violatis [*patriæ*] legibus [*Alcibiadem in eam*] rediret, & Eumolpidæ, & Ceryces de mysticis, [*& arcanis sacris ab eo pollutis,*] propter quæ [*in voluntarium exilium*] profugerat, testimonium [*aduersus eum*] dicerent, & per [*sacra, &*] res diuinas [*ipsos Athenienses*] obtestarentur, ne [*eum in vrbem*] reduceret: Pisander progressus ad illorum multitudinem, qui contradicebant, ac indignabantur, singulos illorum, qui contradicebant, [*in medium*] producens interrogabat, quâmnam salutis publicæ spem haberent, cùm Peloponnesij non pauciores, quàm ipsi, naues rostratas, easque [*nauibus ipsorum*] aduersas in mari haberent, & socias ciuitates plures, præterea cùm Rex, & Tissaphernes pecunias illis sup-

peditaret, ipsis verò nullæ amplius essent, nisi quis Regi persuaderet, vt ad ipsos transiret. Cùm igitur illi, qui [*à Pisandro*] interrogabantur, respondérent nullam [*aliam esse salutis publicæ spem, quàm illam, quam ipse Pisander ipsis proponebat,*] tunc verò palàm subiiciebat ipsis: Atqui hoc vobis contingere non licet, [*nec rem istam, quam optatis, adipisci potestis,*] nisi Rempub. modestiùs administremus, & Magistratus ad pauciores [*viros*] deferamus, vt Rex fidem nobis habeat; neque de Reipub. administrandæ forma magis, quàm de [*nostra*] salute in præsentia consultemus. Nàm & postea nobis licebit [*hæc*] mutare, si quid displicuerit. Alcibiademque, qui solus omnium, qui nunc viuunt, hoc [*negotium*] conficere potest, [*in vrbem*] reducamus. Populus verò principiò quidem [*hæc*] audiens, de paucorum dominatu [*mentionem à Pisandro factam*,] grauiter ferebat. Sed cùm à Pisandro planè doceretur nullam aliam esse salutis conseruandæ rationem, metuens, simul etiam sperans fore, vt & [*hic ipse Reipub. nouus paucorum status*] immutaretur, cessit, [*nec diutius huic mutationi restitit.*] Decretum autem fecit, vt Pisander cum decé collegis proficisceretur ad rem cum Tissapherne, & Alcibiade transigendam, vt è Repub. maximè fore ipsis videretur. Cùm autem Pisander Phrynicum etiam criminatus fuisset, [*populi enim,*] & Scironidem [*eius*] collegam à præfectura amouit, & in eorum locum subrogauit Diomedontem, & Leontem, quos ad classem cum imperio miserunt. Pisander autem Phrynicum criminatus est, quòd Iasum, & Amorgem ab eo proditum diceret, non existimans eum animo propensum esse ad ea, quæ cum Alcibiade transigebantur. Pisander autem cùm adiisset omnes societates, [*& collegia,*] quæ prius in vrbe erant, & quæ Iudiciis,

& Ma-

& Magistratibus præerant, & adhortatus fuisset, vt conspiratione secum facta, & consilio communiter inito popularem statū tollerent, præterea cùm cæteras quoq; res ad præsentem vsum necessarias præparasset, vt nulla mora amplius interponeretur, ipse cum decem collegis ad Tissaphernem nauigauit. Leon autem, ac Diomedon per eandem hyemem, cùm ad Athenienſium classem iam peruenissent, Rhodum infesta classe petierunt. Cùm autem [*ibi*] Peloponnesiorum naues subductas nacti fuissent, & in quandam agri [*Rhodij*] partem descendissent, & Rhodios, qui ad arcendam vim accurrerant, prœlio superassent, in Chalcen se receperunt. Atque postea bellum acriùs ex Co gerere cœperunt. Nam [*Rhodus hinc*] commodiùs obseruari poterat, si quò Peloponnesiorum classis proficisceretur. Xenophantidas autem Lacon in Rhodum ex Chio à Pædarito [*missus*] venit nuntiaturus Athenienſium murum, [*quo Chiorum vrbs ab illis circumuallabatur,*] ad finem iam esse perductum, & nisi [*Peloponnesij Rhodijq;*] cum tota classe [*Chijs celerrimè*] succurrerent, actum esse de tota Chio. Illi verò [*Chijs*] succurrere statuerunt. Interea verò Pędaritus cum copiis auxiliariis, quas circa se habebat, & cum Chiis, cum toto exercitu adortus Athenienſium munitiones classi circundatas, quandam earum partem cepit, & aliquot nauibus subductis potitus est. Sed cùm Athenienses eruptionem [*in eos*] fecissent, & Chios in fugam primos vertissent, reliquus etiam exercitus, qui circa Pædaritum erat, victus fuit, & ipse [*Pædaritus*] occubuit, & Chiorum multi, multaq; arma capta sunt. Postea verò Chij & à terra, & à mari arctiùs obsidebantur, & ingens fames illic erat. At Pisander, eiusque collegæ, Athenienſium legati, cùm ad Tis-

saphernem peruenissent, de pactionibus faciendis verba fecerunt. Alcibiades verò (nec enim Tissaphernis fides spem admodũ certam ipsi afferebat, quia Peloponnesios magis, [*quam Athenienses,*] formidabat, & vtrosque adhuc atterere volebat, quemadmodũ etiam ab Alcibiade edoctus fuerat) ad huiusmodi [*fraudis*] genus [*comminiscendum*] se conuertit, vt Tissaphernes, quippe quòd ab Atheniensibus res maximas peteret, nullam [*cum ipsis*] compositionem faceret. Videtur autem mihi & Tissaphernes idem voluisse, ipse quidem, propter metum; Alcibiades verò, postquàm animaduertit illum vel sic, [*quòd vtrosque magis atterere vellet,*] compositionis cupidum non esse, nolebat Atheniensibus videri inualidus ad hoc [*illi*] persuadendum: sed [*hoc ab hominibus existimari volebat,*] vt iam persuaso Tissapherni, & [*Atheniensibus*] se adiungere volenti, [*ipsos*] Athenienses non offerre quantum sat esset. Alcibiades enim tot [*res ab Athenienſibus*] modum excedens postulabat (nam pro Tissapherne, qui præsens aderat, ipse verba faciebat) vt per Athenienses, quamuis magnam partem rerum, quas postulabat, [*ei*] concederent, tamen steterit, [*quominus inter eos compositio fieret.*] Nam postulabat vt & omnis Ionia traderetur, & præterea insulæ [*Ioniæ*] adiacentes, & alia, quibus cùm Athenienses non aduersarentur, tandem in tertio congressu, veritus ne iam planè deprehenderetur præstare non posse, [*quæ Athenienſibus antè promisisset,*] petiit vt sinerent Regem ædificare naues, & ipsorum agrum obire, [*&*] quocunque, & [*cum tot nauibus,*] quot libuisset, [*liberè proficiſci permitterent.*] Tunc verò Athenienses non amplius [*cunctati, nec quicquam præterea concedere volentes:*] sed existimantes [*hæc, quæ postulabantur,*] nulla ratione

fieri

fieri posse, & se ab Alcibiade deceptos esse, cum irâ digressi, Samum se receperunt. Post hæc autem Tissaphernes statim, & eadem hyeme in Caunum se contulit, quia volebat Peloponnesios Miletum rursus reducere, aliisque pactionibus, quascunque [*facere*] posset, adhuc factis, & stipendium [*illis*] præbere, nec [*sibi*] prorsus hostes fieri. Veritus ne, si laborarēt inopia stipendij, quod magnā classi dare possent, aut coacti nauale prœlium cū Atheniensibus committere, superarentur, aut classe [*propter inopiam stipendij, nautis, & defensoribus*] nudata, Athenienses sine se res ex animi sententia succederent. Præterea verò maximè metuebat ne [*illi*] stipendij quærendi gratia continētem popularentur. Harum igitur omnium rerum rationem prouidè habens, vt (quemadmodum optabat) Græcos inter se coæquaret, Peloponnesiis accitis stipendium numerat, & fœdera [*cum ipsis*] tertiò facit, in hæc verba: Tertiodecimo regni Darij anno, Alexippida Lacedæmone Ephoro, pactiones factæ fuerūt in Mœandri planitie inter Lacedæmonios, & socios ac Tissaphernem, & Hieramenē, & Pharnaci liberos, de Regis & Lacedæmoniorum, sociorumque negotiis. Quæcunque regio Regis est in Asia, Regis esto. Deque sua regione Rex arbitratu suo statuat. Lacedæmonij verò, sociive in Regis regionem ne eunto, vllius maleficij causa: Vicissim etiam ne Rex in Lacedæmoniorum, sociorumue regionem ito, vllius maleficij causa. Quòd si quis Lacedæmoniorum, aut sociorum in Regis regionem nocendi gratia iuerit, Lacedæmonij, sociique prohibento. Et siquis è ditione Regis ad Lacedæmonios, aut socios ierit, Rex prohibeto. Classi autem, quæ nunc adest, stipendium ex pacto Tissaphernes suppeditato, donec regia classis venerit.

Vbi autem regia classis aduenerit, si Lacedæmonij, sociique suam classem [*suis sumptibus*] alere velint, [*hoc*] ipsis liceat. Sin à Tissapherne stipendium accipere velint, Tissaphernes [*hoc illis*] præbeto. Lacedæmonij verò, sociique finito bello pecunias Tissapherni reddunto, quascunque [*ab eo*] acceperint. Postquàm autem classis regia venerit, Lacedæmoniorum, & sociorum, & Regis naues cõmuniter bellum gerunto, prout Tissapherni, & Lacedæmoniis, & sociis videbitur. Quòd si [*belli*] aduersus Athenienses [*susceptum*] deponere velint, [*hoc*] pariter, [*& de communi sententia*] deponant. Atque hæc sunt fœdera, quæ tunc facta fuerunt. Postea verò Tissaphernes operam dare cœpit, vt & naues Phœnissas (quemadmodum [*in fœderum conditionibus*] dictum fuerat) adduceret, & cætera [*præstaret.*] quæcunque promiserat. Volebat autem saltem manifestè demonstrare se præparare [*ea, quæ promisisset.*] Iam autem sub extremam hyemem Bœoti Oropum, in quo erat Atheniensium præsidium, per proditionem ceperunt. Nonnulli autem Eretrienſium, & ipsorum Oropiorum [*eos in eo capiendo*] adiuuerunt, qui operam clandestinè dabant, vt Eubœam ad defectionem inducerent. Fieri enim non poterat quin hoc oppidum, quod Eretriæ imminebat, [*& ab Atheniensibus aduersus eam munitum fuerat.*] Athenienſibus [*hoc*] tenentibus, magnis detrimentis & Eretriam, & cæteram Eubœam afficeret. Eretrienses igitur Oropo iam potiti, in Rhodum iuerunt, vt Peloponnesios in Eubœam accirent. Illi verò Chio potius, quæ vexabatur, succurrere statuerunt, & cum omni classe è Rhodo soluentes [*eò*] nauigare cœperunt. Cùm autem ad Triopium peruenissent, Atheniensium classem, quæ ex Chalce veniebat, in alto

nauí-

nauigantem prospexerunt. Sed cùm neutri in alteros incursionem classe fecissent, hi quidem Samum, illi verò Miletum se receperunt. Videbant enim se non amplius in Chium ad opem [*Chiis obsessis*] ferendam, sine nauali prœlio proficisci posse. Atque hæc hyems exiit, huiusque belli, quod Thucydides conscripsit, vicesimus annus excessit. Insequentis autè æstatis vere statim ineunte, Dercylidas vir Spartanus, cum non magna militum manu, itinere pedestri in Hellespontũ missus fuit, vt Abydum ad defectionem [*ab Athenien sibus*] faciendam solicitaret. Sunt autem [*Abydeni*] Milesiorum coloni. Interea verò Chij, dum Astyochus dubitaret qua ratione [*ipsi*] opem ferret, cùm obsidione premerentur, nauale prœlium committere coacti fuerunt. Dum autem Astyochus apud Rhodum adhuc esset, [*Chij*] Leontem, virum Spartanum Mileto profectum, qui cum Antisthene illinc vector, [*nauisq; defensor*] venerat, post Pædariti mortem, ducem acceperant, & duodecim naues, quæ præsidij causa Mileti stabant. Quarum erant quinque Thuriæ, & Syracusanæ quatuor, & vna Anæitis, vna Milesia, & Leontis vna. Cùm igitur Chij cum omnibus totius populi copiis eruptionem in hostem fecissent, & quendam locum natura munitum occupassent, & simul ipsorum sex, & triginta naues aduersus duas, & triginta Athenien sium [*naues*] in altum prodiissent, prœlium nauale cõmiserunt. Cùm autem atrox prœlium nauale commissum fuisset, Chij, sociisque non deteriore conditione, [*quam hostes,*] re in eo prœlio gesta (iam enim etiam vesper erat) in vrbem redierunt. Postea verò statim, cùm Dercylidas itinere pedestri Mileto discessisset, Abydus, quæ est in Hellespon to, ad Dercylidam, & Pharnabazum defecit, & Lampsacus duobus pòst diebus. Strombichides

verò, cùm [*hoc*] ex Chio cognouisset, celeriter cũ quatuor, & viginti Athenienſium nauibus (inter quas erant etiam militares, quæ grauis armaturæ milites vehebant) ad opem [*ſuũ*] ferendam accurrit. Cùm autem Lampſacenos, qui obuiam ei prodierant, prœlio ſuperaſſet, & Lapſacum nullis muris cinctam primo impetu, ſublato clamore cepiſſet, & vaſa quidem, ac mancipia diripuiſſet, [*ac prædam abegiſſet,*] ſed [*homines*] liberos in ſuas priſtinas ſedes reſtituiſſet, Abydum petiit. Sed cùm neque deditionem facerent [*Abydeni,*] neq; [*Strombichides eorum vrbem*] aggreſſus expugnare poſſet, in vlteriorem regionem Abydo oppoſitam traiecit, & Seſtum vrbem in Cherſoneſo ſitam (quam olim Medi tenuerant) totius Helleſponti præſidium, & cuſtodiã conſtituit. Interea verò & Chij mare magis obtinuerunt, [*eoq́, liberius vtebantur,*] & qui Mileti erant, & Aſtyochus, cùm audiſſet prœlium nauale commiſſum, & Strombichidem, & naues [*hoſtiles*] diſceſſiſſe, fiduciam animo concepit. Quamobrem Aſtyochus cum duabus nauibus in Chium profectus, naues illinc deduxit, & iam cum tota claſſe aduerſus Samum contendit. Cùm autem [*hoſtes,*] quòd inter ſe ſuſpecti eſſent, obuiam ei non prodirent, Miletum rediit. Nam per id temporis, atque etiam prius, popularis ſtatus Athenis eſt ſublatus. Poſtquàm enim Piſander, eiusque collegæ [*Athenienſium*] legati, à Triſſapherne Samum redierunt, res in caſtris longè firmiùs obſtrinxerunt, [*firmiusq́, ſtabiliuerunt,*] quòd vel ipſi Samij [*ſuæ ciuitatis viros*] potentes hortarentur, vt ſecum paucorum dominatum [*in vrbe*] conſtituere conarentur, quamuis ipſimet [*prius*] alij aduerſus alios ſurrexiſſent, [*armisq́, ſumptis inter ſe contendiſſent,*] ne paucorum dominatu regerentur,

Quin-

Quinetiam Athenienſes, qui Sami erant, cùm & ipſi colloquium inter ſe habuiſſent, & rem contuliſſent, ſtatuerunt Alcibiadem quidem (quandoquidem hoc ei non eſſet cordi) miſſum facere, (Etenim [*exiſtimabant*] ipſum idoneum non eſſe, qui ad paucorum dominatum veniret, [*quòd eius ingenium et Reipub. non conueniret, quæ paucorum dominatu regeretur.*]) ſed ſe ipſos, quòd etiam in periculo iam verſarentur, per ſe diſpicere [*oportere.*] quónam modo res iſtæ non remitterentur, & ſimul res bellicæ ſuſtinerentur, ipſíque pecuniam ex ſuis priuatis ædibus alacriter conferrent, & ſi quid aliud opus eſſet, [*ſuppeditarent.*] quòd nõ amplius aliorum, quàm ſua ipſorum cauſa labores, ac ærumnas perferrent. Cùm igitur his [*verbis ſe mutuo*] adhortati fuiſſent, tunc ſtatim Piſandrum, & dimidiam legatorum partẽ domum dimiſerunt ad res ibi tranſigendas (ipſis autem negotium datum fuerat, vt in ſubditorum ciuitatibus, ad quas appellerent, paucorum dominatum conſtituerent) alteram verò dimidiam [*legatorum*] partem in alia ſubditorum oppida, alium alió dimiſerunt. Et Diottephẽ, qui circa Chiũ agebat, qui delectus fuerat, vt Thraciam gubernaret, ad [*ſuum*] magiſtratum gerendum miſerunt. Hic autem Thaſum profectus, ſtatum popularem ſuſtulit. Poſt eius autẽ diſceſſum altero fere menſe Thaſij vrbem muris cingere cœperunt, quaſi nequaquam iam indigerent optimatum ſtatu, qui apud Athenienſes eſſet: ſed quotidie libertatem à Lacedæmoniis expectarent. Nam eorum etiam exules ab Athenienſibus [*ex vrbe*] pulſi, foris apud Lacedæmonios erant, atque iſti cum neceſſariis, qui in vrbe erant, totis viribus operam dabant, vt & naues [*illuc Lacedæmone*] adducerent, & Thaſum ad defectionem impellerent.

ipsis igitur accidit, quod maximè cupiebant, vt & sine periculo ciuitas rem feliciter gereret, [*ac in libertatem assereretur,*] & popularis status tolleretur, qui [*paucorum dominatui, nisi ipsimet Athenienses illis eum constituissent,*] aduersaturus fuisset. In Thaso igitur res cecidit contra vota illorum Atheniensium, qui paucorum dominatum constituere volebant. Quinetiam & apud multos alios, qui [*Atheniensium*] imperio parebant, [*idem accidisse*] mihi videtur. Ciuitates enim attentiores ad rem suam factæ, & excusso metu rerum, quas gerendas suscipiebant, ad apertam, [*certamq;*] libertatem progressæ sunt, illam [*speciosam, ac*] fallacem Reipub. rectè administrandæ formam ab Atheniensibus [*propositam, certæ libertati*] non anteponentes. At Pisander, eiusque collegæ, dum præterueherentur, quemadmodum statutum fuerat, ex vrbibus, [*quas adibant,*] statum popularem tollebant, quinetiam cùm ex nonnullis vrbibus grauis armaturæ milites sibi socios adiunxissent; quos secum ducebant, Athenas reuerterunt, & pleraque à [*suis*] sodalibus ante [*suum reditum iam*] confecta deprehenderunt. Etenim Androclé quendam acerrimũ status popularis propugnatorẽ, qui etiã inter primos extiterat autor Alcibiadis expellẽdi, quidam ex iunioribus conspiratione facta, clàm interfecerunt. Ipsum autem duabus de causis interfecerunt, tum quòd populum suis concionibus ductaret, [*eiusq; beneuolentiã, gratiamq; sibi conciliaret,*] tum etiam, idque multo magis, quòd eum Alcibiadi, tanquam [*in patriam*] reuersuro, & Tissaphernis amicitiam [*Athenensibus*] conciliaturo gratificaturum existimarent. Aliosque nonnullos [*ad paucorum dominatum*] non aptos, eodem modo clàm sustulerunt. Et orationem præmeditati fuerant, quam propalam habe-

habebant, stipendium non esse dandum vllis aliis, nisi iis, qui militarent, nec plures, quàm quinque hominum millia, ad Reipub. administrationem admittendos esse, eosque, qui & pecuniis, & corporibus, [*Reipub.*] maximè iuuare possent. Hæc autem res apud plerosque speciosum prætextum habebat, si quidem qui Reipubl. statum erant immutaturi, iidem ciuitatis administrationem erant habituri. Veruntamen & populus, & Senatus adhuc de more congregabatur, [*ita vt suffragiorum ius retineret, in quibus ferendis vti solebat fabis.*] Sed nihil consultando statuebant, quin coniuratis placeret. Quinetiam illi, qui concionabantur, erant ex horum [*coniuratorum*] numero, & quæ dicenda erant, prius, [*quàm apud populum efferrentur,*] ab ipsis perpendebantur, nec aliorum vllus amplius contradicebat, quòd magnum coniuratorum numerum metueret, ac videret. Quòd si quis contradixisset, confestim aliquo idoneo modo necabatur. neque de percussoribus inquirebatur; neque, si suspecti erant, supplicium sumebatur. Sed populus quiescebat, [*& ne hiscere quidem audebat,*] adeoque perterrefactus erat, vt si quis esset, cui nulla vis afferretur, is hoc in lucro poneret, etiam si taceret. Cùm autem longè maiorem coniuratorum numerum esse ducerent, quàm erat, animis succumbebant. Eum enim compertum habere non poterat tum propter ciuitatis magnitudinem, tum propter mutuam ignorationem. Quinetiam hac ipsa de causa non licebat cuiquam apud alium miserari, ac lamentari vicem suam, ita vt inito consilio [*aduersus inimicos, communiter eos*] vlciscereturr. Aut enim ignotum inuenisset, cui [*suum consilium*] dicturus esset, aut notum: [*sed*] infidum. Nam singuli de populo ita se mutuò adibant, vt alij aliis essent suspe-

mi, quasi [*eorum*] vnus quisq; particeps esset rerum, quæ agebantur. Nam [*in hoc coniuratorum numero*] inerant etiam [*nonnulli,*] quos nullus vnquam suspicatus fuisset se ad paucorum dominatum conuersuros. [*eiq; constituendo operam daturos,*] & isti in primis effecerunt, vt nulla fides populo haberetur, & plurimum contulerunt ad confirmandum paucorum dominatum, quòd populares ad mutuam, eamq; minimè dubiam diffidentiam induxissent. Interea verò Pisander, eiusque collegæ [*Athenas*] reuersi, confestim cæteris peragendis operam dare cœperunt. Ac primùm quidem populo coacto sententiam dixerunt, decem viros legum conscribendarum causa deligendos, qui summam [*huius rei*] potestatem haberent. Hi verò [*leges à se conditas, & conscriptas, atq;*] rogationem conscriptam ad populum ad certam diem ferrent, qua ratione Respub. optimè administrari posset. Vbi autem [*dicta*] dies aduenit, concionem conuocarunt in Colonum. (est autem [*hic locus editus, &*] Neptuno sacer, extra vrbem, decem fermè stadiis [*ab ea*] distans.) Atque hi legislatores nihil quidem aliud promulgarunt: sed hoc ipsum: Cuiuis Athenienſium licere sententiam pronuntiare quancunque vellet. Si quis autem aut legum violatarum accusasset, aut quoquo alio modo læsisset eum, qui [*suam sententiam liberè*] pronuntiasset, ingentibus pœnis sanxerunt. Hìc verò apertè dixerunt, iam nec vllum magistratum amplius ex pristino [*ciuitatis*] instituto gerendum, nec stipendium [*aliis, nisi illis, qui militarent,*] dandum esse: sed quinque præsides deligendos, à quibus rursus centum [*alij*] viri deligerentur, quorum singuli tres [*alios*] sibi cooptarēt. Hi verò numero quadringenti in curiam ingressi, summa potestate præditi, imperarent prout optimum esse cognoscerēt, & quin-

& quinque millia [*ciuium*] congregarent, quoties ipsis videretur. Qui autem hanc quidem sententiam dixit, fuit Pisander, qui etiam cæteris in rebus propalam, maximoque studio cum aliis eiusdem coniurationis sociis populare statum euertit. Qui verò totum negotium composuerat, & iamprídem præmeditatus fuerat rationem, qua [*res*] in eum statum deuenit, fuit Antiphon, vir Athenienſium ſui temporis nulli ſecundus, & in rebus excogitandis, & in iis, quæ ſenſiſſet, exprimendis, præſtantiſſimus: qui ad populum quidem, aut ad [*vllum*] aliud concilium, in quo aliquid ſermonibus agitaretur, ſua ſponte non prodibat: ſed propter eloquentiam multitudini ſuſpectus erat. Eos tamen, qui vel in iudicio, vel apud populum certabant, [*& aliquam cauſam agebant,*] quiſquis eum aliqua de re conſuluiſſet, hic vnus vir plurimum iuuare poterat. Atque hic ipſe, poſtquàm quadringentorum ſtatus collapſus, à populo vexari, [*plectiq;*] cœpit, cùm in iudicium vocatus fuiſſet harum ipſarum [*rerum in paucorum dominatu geſtarum*] cauſa, quaſi [*cum cæteris coniuratis paucorum dominatum*] conſtituiſſet, optimè omnium, ad meam vſque memoriam, capitis cauſam dixiſſe videtur. Phrynicus etiam ſeſe omnium longè ſtudioſiſſimum præſtitit in paucorum dominatu [*conſtituendo,*] quòd Alcibiadem metueret, ac ſciret eum ſcire quęcunque Sami cum Aſtyocho tractaſſet, exiſtimans eum (vt credibile erat) nũquam [*in patriam*] reuerſurum. [*vt*] ſub paucorum dominatu [*viueret.*] In periculis autem ſuſtinendis, poſtquàm [*ſemel ea*] ſuſcepit, longè fortiſſimus eſt viſus. Theramenes etiã Agnonis [*filius,*] vir nec infacundus, nec imprudens, inter illos, qui popularem ſtatum euerterunt, primus fuit. Quam obrem opus à multis, & prudentibus viris tracta-

tum, quamuis esset arduum, [*tamen*] haud immeritò succesſit. Arduum enim erat populũ Athenienſem centeſimo ferè ab exactis tyrannis anno libertate priuare, qui non ſolùm nullius imperio parebat: ſed etiam pluſquàm huius temporis dimidio ipſe aliis imperare conſueuerat. Poſtquàm autem concio nemine refragãte hæc, [*quæ promulgata fuerant,*] rata habuit, & dimiſſa fuit, [*coniuratorum principes*] aliquanto pòſt illos quadringentos [*Reipub. adminiſtrandæ cauſa delectos,*] in curiam hoc modo introduxerũt. Athenienſes omnes, partim quidem in muris, partim verò in ſtationibus, acie inſtructa aſſiduè ſtabant, propter hoſtes apud Deceleam agentes. Illo igitur die eos quidem, qui [*coniurationi*] conſcij non erant, abire permiſerunt, quemadmodum conſueuerant. Illis verò, qui coniurationis erant ſocij, clàm præceptum fuerat, ne in ipſis ſtationibus, in quibus armati excubias agere ſolebant, permanerent: ſed procul [*ab his ſtarent,*] &, ſi quis iis, quæ fierent,, aduerſaretur, [*ac ſeſe opponeret,*] ſumptis armis [*hoc ab eo fieri*] non permitterent. Quibus autem hæc præcepta fuerant, & qui ad hoc ipſum [*peragendum,*] cum ſuis armis [*Athenas*] venerant, fuerunt & Andrij, & Tenij, & Caryſtiorum trecenti, & ex Ægineti illi colóni, quos Athenienſes [*in Æginam, illic*] habitatutos miſerãt. His autem ita diſpoſitis, illi quadringenti viri cum occulto quique pugione profecti, comitantibus centum, & viginti Græcis adoleſcentibus (quibus vtebantur, ſicubi manu illorũ ad cædem aliquam faciendam opus erat) ſenatores, qui in curia erant, & qui in ſuffragiis ferendis vti ſolebant fabis, circunſteterunt, ipſoſque ſumpta [*ſua*] mercede exire iuſſerunt. Attulerant autem ipſi [*mercedem*] reliqui totius [*ſuperioris*] temporis, ipſiſque exeunti-

bus

bus [*eam*] dederunt. Cùm igitur Senatus ex curia nihil refragatus hoc modo se subduxisset, & cæteri ciues nihil innouarent: sed quiescerent, illi quadringenti in curiam ingressi, tunc quidem quæstores è suo corpore sortitò constituerunt, & quibuscunque votis, atque sacrificiis diuini cultus gratia magistratus initi solent, vsi sunt. Postea verò valde immutata Reipub. administrandæ ratione, qua populus antè vtebatur, præterquàm quòd exules, Alcibiadis gratia, non restituerunt, cæteris in rebus ciuitatem imperiosè regebant. Nonnullos etiam viros, haud multos tamen, interfecerunt, qui digni videbantur, qui clàm de medio tollerentur, nonnullos etiam in vincula coniecerunt, quinetiam nonnullos relegauerunt. Ad Agidem quoque Lacedæmoniorum Regem, qui erat apud Deceleam, caduceatorem miserunt, per quem significarunt [*se cum Lacedæmoniis*] in gratiam redire velle, & consentaneum esse ipsum sibi, non autem amplius infido populo, [*cuius dominatus sublatus esset, nunc*] magis, [*quam prius,*] assentiri. Ille verò existimans ciuitatem nondum quietam esse, nec tam citò populum antiquam libertatem traditurum, nec quieturum, si magnum Lacedæmoniorum exercitum, conspexisset, quinetiam ne in præsentia quidem admodum credens eos non amplius turbari, [*neo vllo motu amplius agitari,*] illis quidem, qui à quadringentis missi fuerant, nullum de compositione responsum dedit: sed cùm præterea magnum exercitum ex Peloponneso accersisset, non multo pòst & ipse cum illo præsidio, quod ad Deceleam erat, & cum nouis copiis, quæ venerant, ad ipsa Atheniensium mœnia descendit, sperans vel ipsos, dum essent turbati, in suam potestatem arbitratu suo faciliùs venturos, vel etiam primo statim impetu,

simul ac sui milites clamorem sustulissent, propter tumultum, quem intrà, pariter & extrà fore credibile esset. Sibi enim non defuturam aliquam facultatem capiēdi longos mūros, propter solitudinem, quæ esset in ipsis. Sed cū [*suas copias*] propius mœnia admouisset, & Athenienses vrbana præsidia ne vel minimum quidem mouissent; sed emisso equitatu, ac parte quadam grauis, & leuis armaturæ, & sagittariorum, nonnullos ipsorum [*hostium*] prostrauissent, quòd [*ad vrbem*] propius accessissent, & armis quibusdam, & cadaueribus potiti fuissent, ita demum [*Agis re et difficultate*] cognita, rursus exercitum [*illinc*] reduxit. Atque ipse quidem, & qui cum ipso [*prius illic*] fuerant, in [*suo, & consueto*] loco apud Deceleam manserunt. Illos verò, qui præterea venerāt, postquàm aliquot dies in eo agro commorati sunt, domum remiserunt. Postea verò quadringenti viri legatos ad Agin nihilominus miserunt. Cùm autem ille iam facilius, [*ac lubentius compositionibus ab illis oblatæ mentionem*] admitteret, ac [*ipsos ad hoc*] adhortaretur, Lacedæmonem etiam legatos de compositione [*acturos*] emiserunt, quòd pacem facere cuperent. Samum etiam decem viros miserunt, vt milites delinirent, ac docerent non in perniciem Reipub. atque ciuium, paucorum dominatum constitutum fuisse: sed ad vniuersæ Reipub. salutem stabiliendam, & esse quinque millia [*ciuium.*] non autem quadringentos tantùm, qui Rempub. administrarent; cùm tamen Athenienses nunquam antea propter expeditiones, & in exteris regionibus occupationes ad vllam cōsultationem de re quantumuis ardua veniissent, ad quam quinque millia [*ciuium*] conueniissent. Cùm autem & cætera, quæ dicere decebat, [*suis legatis*] præcepissent, [*eos illuc*] statim ab ipsa sui status constitutione

ne miserunt, veriti ne (quod accidit) nautica multitudo, cùm ipsa in eo paucorum dominatus statu manere nollet, tum etiam se ipsos, malo illinc initium sumente, [*de eo statu illi*] deturbarent. Etenim iam apud Samum de rebus nouandis, & de paucorum dominatu constituendo agebatur, & contigit, vt per idem tempus, quo illi quadringenti [*Athenis*] constituti sunt, hæc [*apud Samum*] fierent. Qui enim ex Samiis in proceres insurrexerant, & qui statum popularem fouebant, quòd is ex ipsorum multitudine constaret, rursus immutati, & à Pisandro, quum venit, & ab Athenien sibus coniuratis, qui Sami erant, inducti, ad trecentos coniurationem fecerunt, & cæteros vt factionem popularem aggredi statuerant. Et Hyperbolum quendam ciuem Athenien sem, improbum hominem, qui non propter potentiæ, ac dignitatis metum: sed propter improbitatem, & dedecus ciuitatis in exilium per ostracismum pulsus fuerat, interfecerunt, eos adiuuantibus Charmino, vno è ducibus, & quibusdam Athenien sibus, qui apud ipsos erant, quibus fidem dederant. Et alia huiusmodi [*facinora*] cum ipsis perpetrarunt. Et factionem popularem aggredi statuerant. Illa verò, cùm [*ipsorum consilium*] sensisset, cùm Leonti, & Diomedonti ducibus (hi enim, quòd à populari factione colerentur, inuiti paucorum dominatum ferebant) id, quod futurum erat, significauit, tum Thrasybulo, & Thrasyllo, quorum alter quidem erat trierarchus, alter verò grauis armaturæ dux, tum etiam cæteris, qui videbantur semper maximè aduersari illis coniuratis. Ipsos autem rogauit ne paterentur se perire, & Samum ab Athenien sibus alienari, propter quam vnam ipsorum imperium ad id vsque tempus in eo statu permansisset. Illi

verò his auditis, singulos milites adierunt, [*& orarunt*,] ne [*hoc fieri*] permitterent, præcipuè verò Paralos, homines Athenienses, atque liberos omnes, qui in [*Paralo*] naui vehebantur, qui paucorum dominatui, vel antequàm constitutus fuisset, semper infesti fuerant. Quamobrem Leon, & Diomedon, quoties aliquò nauigabant, aliquot naues relinquebant, quæ ipsis [*Samis propter illam aduersa factionis coniurationem in periculo versantibus*] præsidio essent. Quare, postquàm illi trecenti [*coniurati*] ipsos inuaserunt, cùm isti omnes, præcipuè verò Parali, opem ipsis tulissent, Samij, qui factionem popularem sequebantur, [*horum præsidio muniti, eos, qui paucorum dominatus fautores erant,*] superarunt. Et è trecentorum [*coniuratorum*] numero ad triginta interfecerunt, tres verò præcipuos [*illius coniurationis*] autores exilio mulctarunt. Cæteris verò deposita iniuriatum acceptarum memoria ignouerunt, & restituto populari statu, Rempub. in posterum communiter administrauerunt. Paralum autem nauem, & Chæream Archestrati [*filium*] in eam impositum, virum Athenienſem, qui statui mutando egregiam operam nauauerat, Samij, militesque [*Athenienſium*] confestim Athenas miserũt, res [*Samı*] gestas [*Athenienſibus*] nuntiaturum. Nondum enim resciuerant quadringentos viros imperio potitos. Cùm autem illi [*Athenas*] peruenissent, illi quadringenti nonnullos quidem de Paralis, duos, trésve in vincula coniecerunt, cæteros verò, cùm eam nauem [*ipsis*] abstulissent, & [*ipsos*] in aliam militarem nauem illinc transportatos imposuissent, circum Eubœam agere custodiam iusserunt. Chæreas verò, simul ac animaduertit præsentem rerum statum, [*& quæ tunc Athenis gererentur,*] confestim clandestina quadam ratione se subducens,

Samum

Samum reuersus, retulit militibus quæ fierent Athenis, omnia verbis asperioribus exaggerans, omnes verberibus [*ab illis quadringentis*] mulctari, nec licere quicquam aduersus eos dicere, qui Rempub. administrarent, quinetiam ipsorum vxores, liberosque vim [*ab illis*] cum contumelia pati. In animo etiam habere, propinquos eorum omnium, qui apud Samum militarent, quotquot ab ipsis dissentirēt, comprehensos in vincula coniicere, vt, si [*milites, qui apud Samum essent, illorum imperio*] non parerent, [*ipsorum propinqui*] capite plecterentur. Alia etiam permulta mentiens adiecit. Milites autem his auditis, primùm quidem in eos, qui præcipuè paucorum dominatum constituerant, & in cæteros, qui [*eius conspirationis*] participes fuerant, impetum fecerunt, vt [*eos*] percurerent, [*ac interficerent.*] Deinde tamen ab illis, qui se interposuerūt, impediti, ac edocti, ne hostibus cum infesta classe stationem aduersus [*Athenienses*] prope [*Samum*] habentibus, res [*omnes*] perderent, [*ab incœpto, conatuq; suo*] destiterunt. Postea verò Thrasybulus Lyci [*filius,*] & Thrasyllus (Isti enim huius mutationis præcipui autores extiterant) iam apertè res Samias ad popularem statum reuocare cupientes, omnes milites, & illos præcipuè, qui ex paucorum dominatu erant, ad maximum iusiurandum adegerunt, quo promiserunt se populari statu in Reipub. administratione [*posthac*] vsuros, & concordes futuros, & bellum aduersus Peloponnesios alacriter gesturos, & illis quadringentis, [*qui Athenis erant,*] hostes futuros, nec vlla de re per caduceatorem cum illis acturos. Omnes etiam Samij, qui per ætatem arma ferre poterant, idem iusiurandum cum [*cæteris*] iurauerunt, & [*Atheniensium*] milites omnia negotia, & quæ ex periculis euentura

forent, cum Samiis communicauerunt, existimantes nec illis, nec sibi salutis [*vllum*] refugium esse [*reliquum:*] sed [*vtrosque*] perituros, siue illi quadringenti vicissent, siue hostes, qui Mileti erant. Atque tunc temporis in [*certamen, &*] contentionem descenderunt: hi quidē, [*qui Sami erant,*] quòd vrbem [*Athenas*] populari statu regi cogere conarentur: illi verò, [*qui Athenis erant, quod*] exercitum, [*qui Sami erat,*] paucorum dominatu regi [*cogere conarentur.*] Confestim etiam milites concionem coëgerunt, in qua superiores duces, & si quem trierachum suspectum habebant magistratu amouerunt, & in eorum locum alios suffecerunt & trierarchos, & duces, quo in numero fuerunt Thrasybulus, & Thrasyllus. Et surgentes, [*ac in medium prodeuntes*] cùm aliis adhortationibus se mutuò adhortabantur, tum [*hac, qua dicebant*] animum non esse abiiciendum, quòd ciuitas à se defecisset. Illos enim, quorum numerus minor esset, à se, qui numero plures essent, & qui maiore rerum omnium copia abundarent, secessionem fecisse. Se enim, qui totam classem haberent, cæteras ciuitates suo imperio subiectas adacturos ad pendendas pecunias, æquè, ac si illinc, [*ex ipsa Athenarum vrbe, ad eas exigendas*] proficiscerentur (Se enim habere Samum, ciuitatem non parum potentem: sed à qua minimum abfuerat, quin Athenienses suo maritimo imperio spoliarentur, dum bellum [*cum ipsis*] gereret) & hostium impetum ex eodem, quo & antè loco, propulsaturos. Quinetiam se quòd penes se classem haberent, maiorem commeatus comparandi facultatem habituros, quàm illos, qui Athenis essent. Præterea [*dicebant*] ipsos, [*qui Athenis essent,*] propter se, qui apud Samum commorarentur, ingressu in Piræum potiri, [*suoq; beneficio obti-*

nuisse

nuisse, vt commeatus Athenas conueheretur.] & nunc eò redactum iri, vt, nisi suam Rempub. sibi restituere vellent, ipsi faciliùs illos maris vsu quàm ab illis ipsi prohiberi possent. Adiumentum etiam, quod ad superandos hostes ipsa ciuitas sibi [*prius*] afferebat, paruum, & planè contemnendum esse, seque nihil amisisse, [*quòd ab illis deserti fuissent,*] qui nullam pecuniam amplius haberent, quam [*ad suos milites*] mitterent: sed ipsimet milites sibi quæritarent, neque salubre consilium cuius causa ciuitas imperium in exercitus obtinet. Quinetiam illos quidem hac in re peccasse [*dicebant,*] quòd patrias leges violassent, se verò [*eas*] seruare & præterea se operam daturos, vt illos etiam [*has*] seruare cogerent. Quare ne hos quidem, qui apud se aliquod salubre consilium darent, [*quamuis essent plebeij.*] deteriores esse [*illis, qui erant ordinis senatorij.*] Alcibiadem quoque, si impunitatem, ac restitutionem ei decreuissent, Regis societatem [*sibi*] lubéter conciliaturũ. Quod autem maximũ esset, si omnibus [*rebus antè cõmemoratis*] frustrarentur, non deesse multa loca, in quibus & vrbes, & agrũ inuenirent. Cùm igitur his verbis in concione se mutuò alloquuti fuissent, & se ipsos ad fiduciam animo concipendam adhortati fuissent, res etiam ad bellum necessarias nihilo segnius apparare cœperunt. Illi verò decem legati, qui à quadringentis Samum missi fuerant, postquàm hæc senserunt, cùm iam in Delo essent, quieuerunt, [*nec vlterius progressi sunt.*] Per idem autem tempus & illi classiarij Peloponnesiorum milites, qui Miletũ erant, rumorem inter se spargebãt, res [*Peloponnesiacas*] ab Astyocho, & Tissapherne perdi. Quòd ille quidem nec antea nauale prœlium committere voluisset, donec adhuc & ipsi vires maiores haberent, [*quam tunc,*] & Athe-

nienſium claſſis parua eſſet, neque nunc [*pugnare vellet,*] dum [*Athenienſes*] ſeditione laborare dicerentur, nec dum [*omnes*] ipſorum naues in eodem [*loco*] eſſent: ſed [*ipſi Peloponeſij*] propemodum attererentur, dum Phœniſſas naues à Tiſſaphetue, verbis, non re ipſa [*mittendas,*] fruſtrà operirentur. Tiſſaphernes verò, quòd naues iſtas, [*quas promiſiſſet,*] non adduceret, & [*Peloponneſiorum*] claſſem affligeret, quòd ſtipendium nec aſſiduè, nec integrum [*claſſi*] perſolueret. Nequaquam igitur diutius cunctandum: ſed [*quamprimum*] nauali prœlio dimicandum eſſe dicebant. Syracuſani autem præcipuè [*ad hoc milites*] inſtigabant. Socij verò, & Aſtyochus, cum rumorem iſtum ſenſiſſent, habitoque concilio prœlium nauale committendum eſſe cenſuiſſent, quandoquidē & ſeditio, quæ Sami erat, ipſis nuntiabatur, [*illinc*] ſoluentes cum omnibus nauibus, quæ numero centum, ac duodecim erant, Mycalen verſus nauigare cœperunt, & Mileſios itinere pedeſtri eodem proficiſci iuſſerunt. Athenienſes verò cùm illis duabus, & octoginta nauibus, [*quas*] è Samo [*ſecum duxerant,*] quæ in Glaucagri Mycaleſij ſtationem habebant (ab hac autem parte, quæ Mycalen ſpectat, Samus à continente parum diſtat) cùm Peloponneſiorum naues contra [*ſe*] venientes vidiſſent, in Samum ſe receperunt, exiſtimantes ſuarum numerum non ſatis eſſe firmum ad belli fortunam de ſumma rerum periclitandam. Simul etiam (præſenſerant enim ipſos [*hoſtes*] Mileto [*venire,*] prœlium nauale committere cupientes) expectabant & ipſum Strombichidem ex Helleſponto venturum ad opem ſibi ferendam cum ea claſſe, quæ ex Chio Abydum profecta fuerat. Nuntius enim ad ipſum præmiſſus fuerat. Atq; illi quidem ſic in Samum ſe receperunt. Peloponneſij,

nesij verò classe ad Mycalen appulsa, [*illic*] castra posuerunt, & [*cum ipsis*] Milesiorum, & accolarum peditatus. Postridie verò, cum aduersus Samum nauigare statuissent, nuntiatum est [*ipsis*] Strombichidem ex Hellesponto cum sua classe [*Samum*] reuertisse. Quare confestim Miletum redierunt. Sed Athenienses, post alterius classis accessionem, ipsi cum centum, & octo nauibus Miletum inuadere statuerunt, eo animo, vt nauali prœlio dimicarent. Sed cùm nullus ipsis obuiam proditet, rursus in Samum se receperunt. Post hæc autem, eadem æstate, statim Peloponnesij, quoniam cum omnibus suis nauibus obuiam hostibus non prodierant, existimantes se nõ satis virium habere ad prœlium [*cum illis*] committendum, inopes consilij vnde pecunias haberent, [*quas*] tot nauibus [*suppeditarent*,] præsertim quòd Tissaphernes [*classi stipendium*] malè persolueret, mittunt ad Pharnabazum (quemadmodum & initiò ex Peloponneso præceptum fuerat) Clearchum Rhamphij [*filium*] cum quadraginta nauibus. Pharnabazus enim ipsos euocauerat, & stipendium præbere paratus erat. Simul etiam per legatos ipsis significabat Byzantium defectionem facturum. Hæ autem Peloponnesiorum naues, cùm è portu soluissent, & altum petiissent, vt Athenienses in cõficiendo nauigationis cursu laterent, tempestate iactatæ, atque aliæ quidem, atque adeo illarum pleræque quibus Clearchus præerat, cùm Delum tenuissent, & postea Miletũ rediissent (Clearchus autem in Hellespontum itinere terrestri reuersus imperium obtinebat) illæ verò decem, quibus Helixus Megarensis præerat, cùm in Hellespontum euasissent, Byzantium ad defectionem faciendam impulerunt. Postea verò, Athenienses, qui Sami statiua habebant, cùm [*hoc*] intellexis-

sent, auxilio, præsidioque loci classem in Hellespontum miserunt. Quinetiam leue quoddam nauale prœlium [*inter Peloponnesios, & Athenienses,*] octonis vtrinque nauibus ante Byzantium commissum est. Qui autem apud Samum rebus præerant, præcipuè verò Thrasybulus, cùm semper aliàs, tum verò postquàm Reipub. statum immutauit, in sua [*pristina*] sententia permansit, vt Alcibiadem reduceret, ac tandem militum multitudinem in concione [*ad hoc faciendum*] induxit. Cùm autem illi restitutionem, ac impunitatem Alcibiadi decreuissent, [*Thrasybulus*] ad Tissaphernem profectus, Alcibiadem Samum deduxit, existimans [*hanc*] vnam esse salutis spem, si [*Alcibiades*] Tissaphernem à Peloponnesiis alienatum ad se traduceret. Concione autem coacta, Alcibiades exilij sui calamitatem questus est, ac deplorauit, multaque loquutus de Repub. ipsos in non paruam futurorum spem adduxit: & supra modum suam apud Tissaphernem gratiam amplificauit, vt & illi, qui domi paucorum dominatum habebant, ipsum formidarent, & coniurationes magis dissoluerentur, & qui Sami erant, ipsum magis honorarent, ipsique maiorem fiduciam animis conciperent, vtque Tissaphernis hostes in maximam inuidiam incurrerent, & ex spe, quam conceperant, deiicerentur. Alcibiades igitur maxima cum iactatione hæc pollicebatur, [*asseuerans*] Tissaphernem sibi recepisse nimirum, quoad aliquid suarum facultatum reliquũ foret, si modò Athenienses cõfideret, ipsos nulla stipendij inopia laboraturos, ne si oporteret quidem ad extremum suum ipsius lectum ad pecuniã inde cogendam vendere. Naues quoque Phœnicum, quæ iam Aspendi essent, ad Athenienses, non ad Peloponnesios adducturum. Se autem ita demum

mum fidem Athenienſibus habiturum, ſi ipſe [*Alcibiades in patriam*] reuerſus, ipſi [*Tiſſapherni Athenienſium nomine*] recepiſſet, [*ac illos id facturos ſpopondiſſet, quod ab illis fieri poſtulaſſet.*] Illi vero, cum & hæc, & alia multa audiſſent, confeſtim & ipſum in ſuperiorum imperatorum collegium cooptauerunt, & res omnes [*ad illos*] detulerunt, [*& illarum arbitratu ſuo adminiſtrandarum ius, ac poteſtatem illis permiſerunt.*] Spem autem, quam ſinguli cùm de ſua ſalute, tum de quadringentis vlciſcendis, ſubitò conceperunt, cum nulla [*alia vel maxima re*] commutaſſent. Et propter ea, quæ dicta fuerant, iam tum erant parati contemptis hoſtibus, qui aderant, in Piræum nauigare. Ille verò, quamuis [*alij*] multi inſtarent, nauigationem quidem in Piræum, omiſſis hoſtibus, qui propius eſſent, vel maximè impediuit. Sed, quandoquidem ipſe creatus eſſet imperator, ſe primùm ad Tiſſaphernem iturum, & belli negotia confecturum [*dixit.*] Confeſtim autem poſt iſtam concionem abiit, vt videretur omnia cum illo communicare, ſimul etiam quòd apud illũ in maiore honore eſſe cuperet, & oſtentare ſe etiam imperatorem iam creatum eſſe, illiq́ue & prodeſſe, & obeſſe poſſe. Contigit autem Alcibiadi, vt per Tiſſapherné quidem Athenienſes terrefaceret, per illos verò Tiſſaphernem. Peloponneſij autem, qui Mileti erant, audito Alcibiadis reditu, cùm & antea Tiſſapherni diffiderẽt, tunc verò multo magis [*ei*] obtrectare, [*eumq́; criminari*] cœperunt. Accidit enim ipſis, vt Tiſſaphernes (quòd, quo tempore Athenienſes cum infeſta claſſe aduerſus Miletum iuerunt, obuiam [*illis*] prodire, & nauale prœlium committere noluiſſent) ad ſtipendium [*ipſis*] perſoluendum longè languidior factus, ipſis etiã Alcibiadis

opera, vel multo ante hæc, longè magis, [*quàm prius*,] esset inuisus. Quamobrem milites inter se conuenientes considerabant quæ vel prius [*secum ipsi reputabant.*] quinetiam alij quidam autoritatis non contemnendæ viri nec soli [*gregarij*] milites, quòd nec integrum stipendium vnquam acciperent, & quod daretur, exiguum esset, & ne hoc quidem assiduè [*persolueretur.*] Et nisi quis aut nauali prælio dimicaret, aut [*illinc*] discederet, [*ac eò proficisceretur.*] vnde stipendium haberet, naues ab hominibus desertum iri [*dicebant.*] Omnium autem [*horum incommodorum*] Astyochum autorem esse, qui quæstus priuati gratia Tissapherni morem gereret. Dum autem ipsi secum ita ratiocinarentur, quidam etiam huiusmodi tumultus in Astyochum concitatus est. Nam Syracusanorum, ac Thuriorum nautæ, quo liberior multitudo erat, eo etiam confidentiùs ingruentes stipendium reposcebant. Ille verò quoddam arrogantius responsum [*ipsis*] reddidit, quinetiam interminatus est Dorieo, qui suis nautis patrocinabatur, & scipionem sustulit [*eum percussurus.*] Cùm autem multitudo [*hoc*] animaduertisset, vt nautæ, clamore simul sublato in Astyochum impetum fecerunt, vt [*eum*] ferirent. Quod ille præuidens, ad aram quandam confugit. Non tamen percussus fuit: sed alij ab aliis dirempti discesserunt. Quinetiam Milesij Tissaphernis castellum Miletj extructum, clàm aggressi ceperunt, & præsidium, quod illic erat, eiecerunt. Hæc autem cùm alij socij, tùm verò præcipuè Syracusani comprobauerunt. Licheţ tamen hæc displicebant, & dicebat oportere Milesios, & alios, qui essent in Regis [*ditione,*] Tissipherni inseruire, ac obsequi in iis, quæ moderata essent, donec bellum feliciter administrassent.

Milesij

Milesij verò ipsi succensebant, & cùm ob ista, tum ob alia huiusmodi ipsum postea morbo defunctum humari non permiserunt [*in eo loco*.] vbi Lacedæmonij, qui præsentes aderant, [*eum humari*] volebant. Cùm igitur ipsi [*Peloponnesij*] res in huiusmodi controuersia aduersus Astyochum, & Tissaphernem exorta constitutas haberent, Mindarus Astyochi nauarchiæ successor Lacedæmone superuenit, ac imperium accepit. Astyochus verò discessit. Cum ipso autem Tissaphernes quendã ex iis, quos secum habebat, Gauletem nomine, Cara, legatum misit, vtriusq; linguæ gnarum, cùm Milesios de castello [*clam ab ipsis occupato*] accusaturum, tum etiam simul se purgaturum. Sciebat enim Milesios [*illuc*] proficisci eo potissimùm animo, vt in se inuehérétur, & Hermocraté cum ipsis, qui demonstraturus esset Tissapherné cum Alcibiade res Peloponesiorum labefactare, & ancipitis, [*ac dubiæ*] fidei esse. Inimicitiç enim ipsi cũ illo semper intercedebãt propter stipendij solutionẽ. Quinetiã tandẽ, cùm Hermocrates Syracusis exularet, aliiq; duces, Potamis, Myscõ, & Demarchus Miletũ ad Syracusanorũ classem veniissent, Tissaphernes Hermocrati iã exulãti, multo acriùs instabat, ipsiq; cũ alia crimini dabat, tũ verò quòd, cùm aliquando pecuniam à se postulasset, nec impetrasset, inimicitias secũ gereret. Astyochus igitur, & Milesij, & Hermocrates Lacedæmonẽ petierunt. Alcibiades verò iã à Tissapherne Samũ redierat. Legati autẽ, quos quadringenti tũc miserant ad deliniendos, & accuratè docendos eos, qui Sami erant, dũ Alcibiades [*illic*] adesset, ex Delo aduenerunt. Et coacta concione, verba facere conabãtur. Milites verò primùm quidem eos audire nolebant: sed eos, qui popularem statum sustulissent, interficiendos esse vociferabantur. Deinde

tamen ægrè sedato tumultu, [*eos*] audierunt. Illi verò nuntiarunt hanc status immutationem non in Reipub. perniciem: sed [*publicæ*] salutis causa factam fuisse, nec vt [*ciuitas*] hostibus proderetur. Se enim, cùm [*hostes in agrum Atticum*] irrupissent, facere potuisse, quòd imperium iam obtinerent. Futurum autem, vt quotquot è quinq; millium numero essent, per vices, [*eiusdem dignitatis*] participes essent. Neque verò propinquos ipsorum aut contumeliam pati (quemadmodum Chæreas criminando retulisset) aut vllo malo affici: sed vnum quenque in suis [*possessionibus, & suo*] loco [*quietè*] manere. Cùm autem & alia multa commemorassent, nihilo magis [*tamen eos*] audire, [*illis q, morem gerere*] voluerunt: sed indignabantur. Et alij alias sententias dicebant: præcipuè verò de nauigatione in Piræum suscipienda. Tunc autem Alcibiades primus, & ita, vt nemo magis, de Repub. bene meritus fuisse visus est. Cùm enim Athenienses, qui Sami erant, aduersus se ipsos animi quodam impetu nauigare statuissent, (quod si fecissent, hostes confestim Ioniam, & Hellespontum in suam potestatem planissimè redegissent) [*hoc illorum consilium, atq, conatum visus est*] impediuisse. Tunc autem nullus alius illam multitudinem compescere potuisset. Ille verò & [*publicum*] illud nauigationis infestæ studium sedauit, & eos, qui legatis priuatim irascebantur, increpans, [*à molestia illis exhibenda*] deterruit. Ipse autem [*solus legatos*] dimisit, cùm ipsis respondisset, se non impedire quin illa quidem quinque millia [*ciuium*] imperium obtinerét. [*ac Rempub. administrarent*] ipsis tamen imperare, vt illos quadringentos [*à Reipub. administratione*] amouerent, & Senatum restituerent, quemadmodum & prius [*fuisset*] quingento-

gentorum. Porrò si quos sumptus, parsimoniæ studentes contraxissent, vt milites [*iustum*] stipendium facilius haberent, se magnopere probare. Cæterùm [*illos*] hortabatur, vt hostibus [*fortiter*] resisterent, nec vllo modo cederent. Si enim ciuitas incolumis staret, magnam spem esse [*dicebat*,] fore vt [*hostes*] compositionem secum facerent. Si verò semel altera [*Athenienſium pars*] succumberet, vel illa, quæ Sami erat, vel illa, [*quæ Athenis erat*,] nullum amplius fore, cum quo quis in mutuam gratiam rediret. Aderant autem & Argiuorum legati, qui populari Athenienſium factioni, quæ Sami erat, se opem laturos pollicebantur. Sed Alcibiades eos collaudatos, & quum quis eos vocaret, vt adesſent, rogatos, ita dimisit. Venerant autem Argiui cum Paralis, quibus à quadringentis viris tunc imperatum fuerat, vt militari naui Euboeam [*custodiæ causa*] circumueherentur, & Athenienſium legatos à quadringenti missos, Læspodiam, & Aristophontem, & Meleſiam, Lacedæmonem deducerent. At isti, cùm Argos appulisſent, legatos quidem comprehenſos Argiuis tradiderunt, quippe quòd essent ex numero illorum, qui in primis popularem statum sustulissent. Ipsi verò nequaquam amplius Athenas redierunt: sed hos legatos Argis adducentes [*ea*] quam habebant, triremi, Samum appulerunt. Eadem autem æstate Tiſſaphernes, eo tempore, quo Peloponneſij, cùm ob alia [*multa*,] tùm verò propter Alcibiadis restitutionem, ipsi, vt Athenienſium partibus apertè iam fauenti, maximè infensi erant, cupiens (vt saltem tunc videbatur) has criminationes apud ipsos diluere, [*& se purgare*,] præparabat profectionem ad classem Phœniſſam, quæ ad Aſpendum stabat, Lichamque secum venire iuſſit.

Dixit autem se substituturum Tamum suum præfectum, qui, quoad ipse abesset, stipendium exercitui præberet. Variè autem [*res*] narratur, nec facilè sciri potest qua mente petierit Aspendum, & [*illuc*] profectus, classem [*illinc*] non adduxerit. Nam constat quidem centum quadraginta septem Phœnissas naues Aspendum vsque peruenisse. Cur verò [*ad Peloponnesios*] non iuerint, variæ sunt coniecturæ. Alij enim [*hoc à Tissapherne factum fuisse coniiciunt.*] vt suo discessu (quemadmodum constituerat) Peloponnesiorum res attereret. Tamus enim, cui negotium datum fuerat, stipendium nihilo meliùs, [*quàm ipse Tissaphernes:*] sed etiam peiùs præbebat. Alij verò, vt Phœnices Aspendum vsque perductos exacta pecunia dimitteret. Ipsis enim vti non statuerat. Alij verò, vt [*Phœnissæ classis ad Peloponnesios ventura*] rumor Lacedæmonem perueniret, vt diceretur [*ipsum Tissaphernem*] non iniustè facere: sed [lanè ad classem verè instructam iuisse. Mihi verò manifestissimum esse videtur, [*Tissaphernem ideo*] classem [*ad Peloponnesios*] non adduxisse, vt res Græcorum attereret, bellumque duceret. Vtque, dum illuc proficisceretur, & cunctaretur, [*res Græcorum*] labefactaret, & [*vtrosque, Lacedæmonios, ac Athenienses*] exæquaret, vt neutros potentiores redderet, se [*vel his, vel illis*] adiungens. Nam si bellum conficere voluisset, [*illud*] profectò manifestum [*est, ipsum id*] sine dubio [*conficere potuisse.*] Nam (vt est verisimile) si [*classem*] adduxisset, victoriam Lacedæmoniis præbuisset, quippe qui vel tunc pati potius, quàm inferiori classe aduersus [*hostem*] in statione starent. Illa etiam specioſa causa, quam [*Tissaphernes*] attulit, cur classem [*ad Lacedæmonios*] non adduxisset.

[*res*

[*res illorum*] maximè attriuit. Dicebat enim ipsam minori numero, quàm Rex iussisset, contractam fuisse. Atqui profectò Tissaphernes hoc modo maiorem gratiam [*apud Regem*] iniuisset, si non magnam regiæ pecuniæ vim consumpsisset: sed eadem [*negotia*] minoribus [*sumptibus*] confecisset. Tissaphernes igitur (quocunque tandem consilio [*hoc fecerit*]) Aspendum iuit, & in Phœnicũ congressum, [*colloquiumq́;*] venit, & Peloponnesij, illius iussu, Philippum, virum Lacedæmonium, cum duabus triremibus, vt ad classem miserunt. Alcibiades verò, postquàm audiuit Tissaphernem Aspendum petiisse, ipse quoq; cum tredecim nauibus, quas assumpsit, [*eò*] contendit, pollicitus iis, qui Sami erant, tutum, magnumq́ue beneficium, [*quod se in eos collaturum dicebat.*] Aut enim se Phœnissam classem ad Atheniẽses adducturum, aut saltem ad Peloponnesios venire prohibiturum. Quòd (vt erat verisimile) Tissaphernis mentem ex longa consuetudine cognosceret, quòd [*classem ad Peloponnesios*] adducturus non esset, simul etiam quòd quàm maximam inuidiam illi apud Peloponnesios ob illius in ipsum, & Athenienses studium conflare vellet, vt hac ipsa de causa [*Tissaphernes*] ad ipsos [*Athenienses*] accedere, [*seq́; illis adiungere.*] magis cogeretur. Et hic quidẽ confestim Phaselide, Caunoq́; soluens, in altũ nauigare cœpit. Legati autẽ à quadringẽtis viris missi, cùm è Samo peruenissent Athenas, Alcibiadis mãdata [*Atheniẽsibus*] renũtiarunt, [*& dixerũt illum ipsos*] hortari, vt hostibus resisterẽt, nulloq́; modo cederẽt, maximãq́; spẽ habere, fore vt exercitũ, [*qui Sami esset.*] ipsis etiã recõciliaret, & Pelopõnesios superaret, atq; [*his verbis*] multos eorũ, qui paucorũ dominatus erant participes, & qui vel prius [*hunc rerũ statum*] grauiter ferebant,

& lubenter, dum tamen tutò, aliquo modo se hac molestia liberassent, tunc multo magis corroborarunt. Quare iam coire, & de illo rerum statu queri cœperunt. Habebant autem [*huius rei*] duces eos, qui paucorum dominatus longè principes erant, & qui magistratus gerebant, quo in numero erant Theramenes Agnonis, & Aristocrates Sicelij [*filius*] & alij, qui inter primos quidem rerum participes erant: sed (vt aiebant) metuentes exercitum, qui Sami erat, & Alcibiadem, legatos Lacedæmonem miserant, ne [*ciues*] ciuitatem sine maiori [*ciuium*] parte, aliquo maleficio afficerent. Sic enim se impedituros [*dicebant,*] quin dominatus perquàm paucorum constitueretur. Quamobrem quinq; millia, [*quæ Rempub. administrarent,*] re, non autem nomine designanda, & æquabiliorè Reipub. statum constituendum esse. Hæc autè erat speciosa quidem ratio, qua popularem statum à se constitui simulabant: sed [*tamen*] eorũ pleriq; propter priuatam ambitionem [*ei rei*] dabant operam, qua potissimùm interit paucorum dominatus ex populari statu constitutus. Omnes enim eo ipso die, [*quo rerum potiri cœperunt,*] non solùm [*ceteris*] pares sed etiam singuli longè principes [*totius suæ ciuitatis*] esse volũt. At in populari statu, in quo magistratus per electionem creantur, quisq; facilius fert ea, quę eueniunt, vtpote qui non à paribus: [*sed ab hominibus dignitate præstantioribus*] se superatum esse putet. Ipsorum autem animos manifestissimè erexerunt tum magna Alcibiadis potentia, quam Sami habebat, tum etiam quòd hic paucorum dominatus ipsis haud stabilis futurus esse videbatur. Certatim igitur vnus quisque, ipse potissimùm popularis status patronus, [*ac propugnator*] esse conabatur. Sed quadringenti viri huic [*Reipub. administran-*

ministrandæ] formæ maximè aduersabantur, & qui [*paucorum dominatus*] principes erant, cùm Phrynicus (cui etiam, cùm olim Sami prætutam gessisset, cum Alcibiade dissidium tunc fuit) tum Aristarchus, qui in primis, ac iampridem statui populari aduersabatur, & Pisander, & Antiphon, & potentissimi quique alij, cùm antea, simul ac [*paucorum dominatum Athenis*] constituerunt, tum etiam postquàm paucorum ille dominatus ab ipsis Sami constitutus in statum popularem rursus est commutatus, legatosque de suo corpore Lacedæmonem miserunt, & paucorum dominatui [*stabiliendo*] operam studiosè dabant, & murum in ea, quę Eetionea vocatur, excitabant. Sed etiam multo magis, [*quàm antè,*] postquàm & ipsorum legati Samo redierunt, quia videbant cùm ipsam plebem, tum etiam ex suis eos, qui prius fidi esse videbantur, [*tam*] immutatos esse. Et miserunt quidem properè Antiphontem, & Phrynicum, aliosque decem (quòd & res vrbanas, & res Samias metuerent) cum mandatis, vt quauis ratione, modò conditio tolerabilis esset, cum Lacedæmoniis reconciliarentur. Multo autem studiosiùs, [*quàm antè,*] murum in Eetionea ædificabant. Huius autem muri [*extruendi*] consilium hoc fuit (vt aiebat Theramenes, eiusque socij) non vt eos, qui Sami erant, si per vim cum infesta classe venirent, in Piræum non reciperent: sed potius vt hostium, quoties vellent, & classem, & peditatum reciperent. Nam Eetionea est [*è duobus alterum*] Piræi promontorium, & iuxta ipsam statim sunt fauces, quâ naues ingrediuntur. Hic igitur cum eo muro, qui prius continentem versus extructus erat, sic extruebatur, vt pauci homines illic stationem habentes, introitus nauium arbitri

essent. Nam ad ipsam alteram turrim in angusti portus ostio sitam terminabatur. Et murus antiquus continentem versus, & nouus, qui intra [*antiquum*] murum, mare versus extruebatur, [*ad eandem turrim vterque terminabatur.*] Quinetiam proximè hunc [*nouum murum*] statim, maximam porticum intra Piræum ædificauerunt, cuius ipsi potiebantur. In quam cogebant omnes suum frumentum seponere tam id, quod iam erat [*in vrbe,*] quàm quod mari aduehebatur, illincque promentes venundare. Theramenes igitur hæc & iamptidem cum quiritatione dicebat, & postquàm legati Lacedæmone rédierunt nulla pactione cum vniuersis [*Lacedæmonijs*] facta, dicebat fore, vt propter hanc [*nouam*] munitionem ciuitas etiam in salutis discrimen adduceretur. Nam sub hoc idem tempus affuerunt etiam pariter ex Peloponneso duæ, & quadraginta naues ab Euboënsibus accitę (quarum nonnullæ erant è Tarento, & Locris, Italicæ, & Sicilienses) quæ iam in ora Laconica stationem habebant, & nauigationem in Eubœam præparabant. Præerat autem ipsis Hegesandridas Hegesandri [*filius.*] Spartanus, quas Theramenes non tam in Eubœam, quàm in eos, qui Eetioneam muniebant, nauigare dicebat, &, nisi quis iam [*sibi*] caueret, [*illos ab hoste præter expectationem oppressos,*] per imprudentiam perituros. Proficiscebatur autem etiam tale quippiam ab illis, qui criminationem istam sustinebant, [*& qui à Theramene accusabantur, quandam huiusmodi suspicionis non leuem occasionem ei præbebant,*] nec, [*quod illis ab eo tunc obiiciebatur,*] omnino obtrectandi tantùm studio dicebatur. Illi enim potissimùm quidem in paucorum dominatu [*& ciuitate*], & sociis imperare cupiebant: sin minus, certè classem, & munitio-

munitiones illas habere, ac arbitratu suo viuere [*volebant.*] Quòd si hac quoque re excluderentur, [*cupiebant*] saltem non profligari ipsi potissimùm ante alios à populari statu rursus restituto: sed vel hostibus [*in vrbem*] introductis, sine munitionibus, & [*sine*] classe pactionem [*cum illis*] facere, vt qualemcunque ciuitatis statum haberent, dummodo de suis corporibus securi essent. Quãobrem etiam hanc munitionem, quæ & portulas, & introitus, & hostium receptacula habebat, studiosè ædificabant, & prius absoluere cupiebant, [*quàm ab aduersa factione præuenirentur, ac opprimerentur.*] Ac initio quidem inter paucos, & clàm potius, [*quàm palàm,*] hæc dicebantur. At vbi Phrynicus reuersus ex legatione, quam ad Lacedæmonios obierat, à quodam circitorum ex insidiis in foro frequenti vulneratus, nec procul à curia digressus, continuò decessit: & percussor quidem [*ipsius*] euasit: at [*eius*] adiutor, homo Argiuus, à quadringentis comprehensus, tortusque, nullius, à quo [*facinus hoc perpetrare*] iussus esset, nomen protulit, nec aliud quippiam [*dixit,*] nisi quòd sciret multos homines & in circitorum præfecti, & in alias ædes conuenire solitos; tunc verò, cùm nihil noui hinc, [*post istam Phryniehi cædem,*] accidisset, iam confidentius & Theramenes, & Aristocrates, & alij quotquot vel ex ipsis quadringentis, vel extra hos, eiusdem sententiæ erant, eum rerum statum inuaserunt. Simul enim & ex agro Laconico naues illæ iam circumuectæ, & Epidaurum appulsæ, AEginam excursionibus infestauerant. Quare Theramenes dicebat verisimile non esse, [*naues*] eas, si in Euboeam nauigarent, in AEginæ sinum fuisse deflexuras, & rursus Epidauri sta-

tionem habituras, nisi accitæ venirent ad [*ea peragenda.*] quæ & ipse semper criminabatur. Nequaquam igitur amplius quiescendum, [*nec ab armis diutius abstinendum aiebat.*] Tandé verò multis præterea seditiosis, ac suspiciosis sermonibus habitis, iam & factis eum rerum statum aggredi cœperunt. Nam grauis armaturæ milites, qui Eetioneæ munitionem in Piræo ædificabant (inter quos erat & Aristocrates centurio, qui suam centuriam secum habebat) comprehendunt Alexiclem inter paucorum dominatus collegas præcipua dignitate præditum, & in alterius factionis homines maximè propensum & domum adductum in vincula coniiciunt. Ipsos autem simul adiuuerunt cùm alij, tum Hermon quidam circitorum apud Munychiam excubantium præfectus. Sed (quod maximum erat) armatorum agmen eadem consilia agitabat. Cùm autem [*hoc*] quadringentis renuntiatum fuisset (considebant autem in curia) confestim [*omnes,*] præter eos, quibus ista non placebant, parati erant ire ad arma, & Therameni, ac iis, qui cum eo erant, minitabantur. Ille verò, se purgans, dicebat se paratum esse iam ire cum [*ipsis*] ad [*Alexiclem ex vinculis*] eripiendum. Et assumpto vno è ducibus, qui erant eiusdem sententiæ, cuius & ipse, ad Piræum perrexit. Adiuuabat autem [*ipsum*] Aristarchus, & equitum iuuentus. Erat autem ingens, ac terribilis tumultus. Nam & qui in vrbe degebant, Piræum iam occupatum, & [*Alexiclem*] illum, qui comprehensus fuerat, morte mulctatum putabant. Et qui in Piræo erant, eos, qui in vrbe erant, contra se tantum non adesse [*suspicabantur.*] Cùm autem seniores ægrè impedirent eos, qui per vrbem discurrebant, & ad arma [*corripienda*] ferebantur.

bantur, cùm etiam Thucydides Pharsalius, hospes publicus, qui [*tunc*] aderat, & officiosè singulos impediret, & exclamaret ne, hostibus prope insidiantibus, patriam perderent, quieuerunt, & à manibus mutuò sibi afferendis abstinuerunt. Et Theramenes quidem in Piræum profectus (præturam autem ipse quoque gerebat) voce tenus, grauis armaturæ militibus iratscebatur. Aristarchus verò, & qui [*populari*] multitudini aduersarij erant, indignabantur. Illorum verò grauis armaturæ militum plerique manum ad opus admouere cœperunt, nec eos [*facti*] pœnitebat. Theramenem interrogabant nunquid ei videretur hæc munitio [*publici*] boni causa extrui, & an satius esset eam demoliri. Ille verò, si & ipsis [*eam*] demoliri placeret, sibi quoque placere respondit. Hinc autem è vestigio cùm illi grauis armaturæ milites, tum etiam multi eorum, qui erant in Piræo, munitionem conscenderunt, & demoliri cœperunt. Hac autem adhortatione ad vulgus vtebantur, oportere [*eum,*] quicunque quinque millia [*ciuium,*] quadringentorum loco, Reipub. præesse vellet, ad hoc opus accedere, [*& munitionem istam secum demoliri.*] Nam [*quamuis populárem statum restituere vellent,*] tamen [*suum consilium*] adhuc tegebant nomine quinque millium, ita vt non aperte dicerent, Quicunque vellet populum Reipub. præesse: quia metuebant ne re vera essent [*quinque millia ciuium, quibus ad Reipub. administrationem aditus per vices pateret,*] néve quis [*de suo numero*] per inscitiam aliquid apud aliquem [*de quinque millium numero*] dicens laberetur, [*ac in capitis discrimen adduceretur.*] Et idcirco illi quadringenti neque volebant illos quinquies mille [*ciues*] esse, neque

constare illos non esse. Nam existimabant, tot quidem [*viros Reipub. administrationis*] participes constituere, haud dubiè statum esse popularem. Sed si incertum esset, [*neque constaret esse quinque millia ciuium, quibus ad Reipub. administrationem aditus pateret, hoc*] mutuò terrorem esse incussurum. Postridie autem illi quadringenti, etsi animis perturbati, in curiam tamen conuenerunt. At illi grauis armaturæ milites, qui in Piræo erant, cùm Alexiclem dimisissent, quem comprehenderant, ac munitionem demoliti fuissent, ad Dionysiacum theatrum prope Munychiam situm concesserunt, & [*illic*] extra locum ordinarium armati concilium habuerunt, & ex communi ipsorum decreto confestim in vrbem iuerunt, & arma illic, in Anaceo, [*id est, templo Castoris, & Pollucis*] deposuerunt. Quidam autem à quadringentis electi ad ipsos venerunt, & singuli singulos alloqui cœperunt, & quos animaduertissent homines esse mites, [*ipsis*] suadebant, vt & ipsi quiescerent, & alios [*in officio*] præterea continerent. Dicentes fore, vt [*quadringenti*] quinque millia [*ciuium*] designarent, & ex horum [*quinque millium*] numero quadringenti per vices constituerentur, prout ipsis quinque millibus placeret. Interea verò nullo modo ciuitatem perderent, néve eam funditus euersam hostibus traderent. His autem verbis, quæ & multa erant, & ad multos fiebant, vniuersa armatorum multitudo placatior, quàm antè fuerat, reddita est, ac de vniuerso Reipub. statu maximè timebat. Et inter eos conuenit, vt ad dictam, [*certamq;*] diem in Bacchi templo cõcilium de concordia haberetur. Cùm autem concilij in Bacchi templo habendi dies aduenisset, & tantum non concio [*iam*] coacta esset, nuntiatur illas

illas duas, & quadraginta naues cum Hegesandrida Megaris venientes, Salaminem cursum tenere. Quamobrem quilibet ex illis grauis armaturæ militibus hoc ipsum esse ducebat, quod iampridem à Theramene, & ab iis, qui cum eo erant, dicebatur, illam classem aduersus istam munitionem venire, & [*ideo hæc*] vtiliter diruta fuisse videbatur. Hegesandridas autem forsitan quidem ex composito, & circum Epidaurum & circum illa loca versabatur: sed tamen credibile videtur esse ipsum etiam propter præsentem Athenienſium seditionem, & adductum sui opportuni aduentus spe, illic substitisse. Athenienses verò, postquàm [*hoc*] ipsis nuntiatum est, confestim vniuersi citato cursu in Piræum contenderunt, quòd bellum domesticum non esset maius, quàm quod ab hostibus inferebatur, quod non procul: at ad ipsum portum esset. Quamobrem alij quidem naues, quæ aderant, conscendebant, alij verò alias deducebant nonnulli etiam ad muros, & portus ostium, ad vim hostilem arcendam accurrebant. At Peloponnesiorum classis aduentans, & Sunium circumuecta, portum inter Thoricum, & Prasias subiit. Postea verò Oropum appulit. Athenienses autem raptim, & iis, qui ad manus erant, nautis vti coacti, quippe quòd ciuitas seditione laboraret, & [*ciues*] in maximo [*discrimine positi, rebus suis*] opem celeriter ferre vellent (nam quòd Attica intercluſa esset, ipsorum omnis spes in Eubœa erat posita) Thymocharin ducem cum classe, [*quam raptim coegerant,*] in Eretriam mittunt. Quæ cùm [*illuc*] peruenisset, cum illis [*nauibus,*] quæ prius in Eubœa erant, sex & triginta [*nauium*] numerum effecit. Et protinus prœlio nauali dimicare coacta fuit. Nam Hegesandridas iam pransus, ab Oropo

classem in altum duxerat. Abest autem Oropus ab Eretrienſium vrbe, ſtadiis fere ſexaginta, maris tractu. Dum igitur ille cum infesta classe [*eam*] veniret, Athenienſes quoque [*ſuas*] naues inſtruere cœperunt, exiſtimantes ſuos milites apud naues esse. Sed illi cibaria in prandium mercabantur, non ex foro: ſed ex [*priuatis*] ædibus in extrema vrbis parte ſitis. Nihil enim [*in foro*] vendebatur, quod ab Eretrienſibus conſultò factum fuerat, vt, dum cunctanter [*naues militibus*] implerentur, hoſtes prius, [*quàm illis naues conſcendiſſent,*] impreſſionem [*in eos*] facerent, & Athenienſes ſic, vtcunque inſtructi fuiſſent, in altum prodire cogerent. Quinetiam ex Eretria ſignum Oropum verſus ipſis [*Lacedæmonis*] ſublatum, [*datumq;*] fuit, [*vt ſignificaretur*] quandónam [*aduerſus hoſtem illinc*] in altum prouehi deberent. Athenienſes igitur propter huiuſmodi fraudem [*in ipſorum perniciem ab Eretrienſibus excogitatam, ac*] præparatam, in altum prouecti, naualique prœlio ſupra portum Eretrienſem commiſſo, [*quamuis ad hoc imparati veniſſent,*] tamen aliquantiſper etiam [*hoſtis*] reſtiterunt. Deinde in fugam verſos [*hoſtis*] ad littus vſque eſt inſequutus. Et quotquot ipſorum ad Eretrienſium vrbem, vt amicam, confugerunt, aſperrimè tractati fuerunt, quia ab ipſis [*Eretrienſibus*] interfecti fuerunt. Alij verò in munitionem, quam ipſi in Eretria tenebant, incolumes euaſerunt, itemque naues, quotquot in Chalcidem peruenerunt. Peloponneſij verò, duabus & viginti Athenienſium nauibus captis, virisque, partim interfectis, partim captis, trophæum ſtatuerunt. Nec multo poſt, cùm totam Eubœam ad defectionem compuliſſent, præter Oreum (hoc enim Athenienſes ipſi tenebant) cæteras quoque res ad eius

ſtatum

ſtatum pertinentes componere cœperunt. Cùm autem rerum ad Eubœam geſtarum nũtius Athenienſibus allatus fuiſſet, pauor omnium ad illum vſque diem maximus [eos] inuaſit. Nam nec illa clades, quam in Sicilia acceperant, quamuis tunc ingens viſa fuiſſet, nec vlla alia calamitas [eos] vnquam adeò terruit. Cùm enim eo tempore, quo & exercitus, qui Sami erat, defecerat, nec aliæ naues, nec qui eas conſcenderent, ſupererant, ipſíque [præterea] ſeditione laborabant, & incertum erat, quando inter ſe concurſuri eſſent, iſta calamitas, quæ tanta erat, propter quam & claſſem, & (quod maximum [erat malum]) Eubœam (ex qua plus vtilitatis, quàm ex Attica percipiebant) amiſerant, [illis] ſuperueniſſet, nónne meritò animis erant conſternati? Sed hoc potiſſimùm eos turbabat, idque propter maximam locorum propinquitatem, ſi hoſtes auſuri eſſent, victoria potiti, confeſtim in ipſorum Piræum nauibus vacuum tendere. Et tantumnon ipſos iam adeſſe ſuſpicabantur. Id, quod [illi] ſi audaciores fuiſſent, facilè feciſſent, & longè maius diſſidium in vrbe excitaſſet, ſi [eam illic] manentes obſediſſent, & claſſem ab Ionia, licet dominatui paucorum infeſtam, [tamen] illis ſecum cognatione coniunctis, & vniuerſæ ciuitati ſuccurrere coegiſſent. Interea verò & Helleſpontus, & Ionia, & Inſulæ, & [omnia] loca ad Eubœam vſque pertinentia, & (vt ita loquar) omne Athenienſium imperium in ipſorum poteſtatem veniſſet. Verùm non in ea [re] tantùm Lacedæmonij Athenienſibus omnium [aduerſariorum] maximè commodi in bello [cum ipſis] gerendo fuerunt; ſed & in aliis multis. Cùm enim moribus maxime differrent (nam illi quidem, celeres, hi verò, tardi. Et illi quidem, ad res aggrediendas prompti, hi verò, timidi, præcipuè

verò aduersus eos, qui classe multum poterant, plurimum [*Athenienſibus*] proderant. Syracuſani autem [*hoc*] demonſtrarunt. Nam cùm moribus maximè ſimiles [*illis*] eſſent, optimè etiam aduerſus [*illos*] bellum adminiſtrarunt. Athenienſes igitur propter hunc nuntium, [*quamuis eſſent animo conſternati, maximamq; nauium partem amiſiſſent,*] viginti tamen naues inſtruxerunt, & concionem coëgerunt, vnam quidem ſtatim, tunc primùm, in eum locum, quem Pycna vocant, vbi etiam aliàs [*comitia habere*] conſueuerant. In qua [*concione*] quadringentis viris [*à Reipub. adminiſtratione*] amotis, rerum adminiſtrationem quinque millibus tradere decreuerunt. Ex hoc autem [*quinque millium*] numero [*illos omnes*] eſſe [*voluerunt,*] quotquot arma geſtarent, [*ac Reipub. cauſa militarent.*] Nec vllam mercedem vllius magiſtratus gratia [*ab vllo*] accipiendã eſſe [*cenſuerunt.*] Niſi verò [*qui magiſtratus geſſiſſent, ita feciſſent, eum, qui mercedẽ accepiſſet,*] execrabilem eſſe iuſſerunt. Poſtea verò & aliæ crebræ cõciones habitæ ſunt, in quibus & legumlatores, & cætera ad Reip. adminiſtrationẽ pertinentia cõſtituerunt. Atq; initio quidem (meo ſaltem iudicio) Athenienſes Remp. non parum cõmodè videntur adminiſtraſſe. Nam vtriuſq; factionis, paucorũ, & multitudinis, in vnum redactæ, moderatum exſtitit temperamentũ. Hoc autem primũ ciuitatẽ ob res aduerſas afflictã erexit, [*ac erectã ſuſtentauit.*] Decreuerunt etiam Alcibiadem, cæteroſq; , qui cum eo erant, [*in patriã*] reuocandos. Quare cùm ad illum, tum ad exercitũ, qui Sami erat, miſſo [*nuntio*] res capeſſere, [*& manus ad opus admouere, ac patriæ laborãti ſuccurrere*] iuſſerunt. In hac autem [*rerum*] mutatione ſtatim Piſander, & Alexicles cum ſuis, & qui præcipui erant è pauorum dominatu, in Decc-

leam

leam se subduxerunt. Solus autem ex illis Aristarchus (adhuc enim dux erat) repentè sumptis aliquot sagittariis, qui erant maximè barbari, ad OEnoen contendit. Erat autem Athenienſium munitio in Bœotiæ confiniis ſita. Corinthij autem, voluntarij quique, Bœotis accitis, eam obſidebant, propter ſuorum ex Decelea ſe recipientium cladem, cædemque [*factam ab Athenienſibus egreſſis*] ex OEnoë. Ariſtarchus igitur colloquio cum ipſis habito, eos decepit, qui apud OEnoen erant, dicés eos quoque, qui in vrbe erant, de cæteris [*rebus*] cum Lacedæmoniis tranſegiſſe, & oportere ipſos quoque locum illum Bœotis tradere. His enim cõditionibus compoſitionem factam [*dicebat.*] Illi verò, cùm [*ipſi*] vt duci, fidem habuiſſent, & prorſus ignari eſſent [*rerum, quæ ab Athenienſibus & in vrbe, & alibi gerebantur,*] quòd obſiderétur, fide publica interpoſita [*illinc*] exierunt. Hoc igitur modo captam OEnoen Bœoti receperũt, & Athenis paucorum dominatus [*ſublatus eſt.*] & ſeditio ceſſauit. Per eadẽ huius ætatis tempora, Peloponneſij quoque, qui Mileti erant, cùm à nullo illorum, quibus à Tiſſapherne tunc, quum Aſpendum petiit, negotiũ datum fuerat, ſtipendium [*ipſis*] daretur, cùm etiã neq; Phæniſſæ naues, neque Tiſſaphernes vllo modo veniret, & Philippus, qui cũ ipſo miſſus fuerat, Mindaro Nauarcho ſcripſiſſet, & alius Hippocrates, vir Spartanus, & qui apud Phaſelidem erat, [*idem ei ſcripſiſſet,*] neque claſſem illam venturam eſſe, & [*res*] omnes [*Peloponneſiacas*] à Tiſſapherne iniuſtè labefactari, ipſosque à Pharnabazo acciti, eumque paratum eſſe naues [*ad eos*] adducere, & cæteras ſuæ prouinciæ ciuitates ad defectionem ab Athenienſibus faciendam compellere, quemadmodum & Tiſſaphernes [*fecerat*].

quòd ex hac re commodum aliquod se perceptu-
rum speraret: sic igitur Mindarus militari disci-
plina accuratè seruata, & profectione subitò indi-
ta, vt lateret hostes, qui Sami erant, cum tribus &
septuaginta nauibus Mileto soluens, in Helles-
pontum nauigauit. Illuc autem prius per hanc eandem
æstatem [*alias*] sexdecim naues [*illi regioni*] bellum il-
laturæ iuerant, & quandam Cherroneſi partem in-
cursionibus infestauerant. Sed tempestate iactatus,
ad scarum appellere coactus est. Cùm autem pro-
pter nauigandi difficultatem illic quinque, séx-
ve dies moratus fuisset, Chium peruenit. Thrasyl-
lus verò, cùm ipsum Mileto discessisse intellexis-
set, ipse quoque cum quinque, & quinquaginta na-
uibus Samo discessit, properans, ne ille ocius in
Hellespontum ingrederetur. Sed cùm audisset
[*Mindarum*] apud Chium esse, cùm etiam existi-
masset ipsum illic subsessurum, [*atque aliquandiu
commoraturum,*] speculatores quidem & in Lesbo,
& in opposita continente collocauit, ne naues illç,
si fortè aliquò proficiscerétur, [*ipsum*] lateret. Ipse
verò cum classe Methymnâ profectus, farinam, &
cætera [*ad victum*] necessaria [*à Methymnæis*] appa-
rari iussit, vt, si maior mora fieret, [*hostig, diutius illic
maneret,*] ex Lesbo Chium infesta classe petiturus,
[*& incursionibus eam infestaturus.*] Simul etiam (Eres-
sus enim à Lesbo defecerat) volebat aduersus eam
profectus, si posset, expugnare. Nam Methymnæo-
rum exules, qui non minimæ autoritatis erant [*a-
pud suos populares,*] cùm ad quinquaginta grauis ar-
maturæ milites, qui amicitiæ causa, [*sine mercede*]
eos sequuti fuerant, Cuma [*illuc*] nauibus trans-
portassent, & è continente alios mercede conduxis-
sent, cunctis ad trecentos, Anaxarcho Thebano
propter cognationem duce delecto, Methymnam

pri-

primùm adorti fuerant. Sed de eo conatu deiecti propter Atheniẽsium præsidium [*aduersus eos*] Mitylene progressum, rursus prœlio extra [*vrbem ab eodem præsidio*] repulsi, & per montem itinere facto, Eressum ad defectionem compulerant. Thrasyllus igitur aduersus eam cũ tota classe profectus, [*eam*] aggredi statuerat. Sed & Thrasybulus cum quinque nauibus è Samo ante [*ipsius aduentum*] illuc profectus fuerat, cùm de hoc exulũ traiectu nuntius ipsis allatus fuisset. Sed cùm serius [*eo*] venisset, [*nec ipsos exules assequutus fuisset,*] aduersus Eressum profectus, stationem contra [*eam*] habebat. Accessere præterea duæ quædam naues ex Hellespõto domum redeuntes, & Methymnææ. Naues autem vniuersæ, quæ [*tunc illic*] aderant, erant numero septem, & sexaginta, ex quibus milites sumpserunt, & [*ad vrbis oppugnationem*] se præparare cœperunt, vt Eressum & machinis, & quauis ratione, si possent, expugnarent. Interea verò Mindarus, & Peloponnesiorum naues ex Chio profectæ, cùm duorũ dierũ cibaria sumpsissent, & singuli [*milites*] à Chiis accepissent tres tessaracostas Chias, [*nummos antiquos sic appellatos, quibus Chij vtebantur,*] tertio die ex Chio soluentes, in altum vela fecerunt, ne incidere nt in naues quæ ad Eressum stabant: sed à sinistra Lesbum habentes, in continentẽ nauigarunt. Cùm autem ad [*agri*] Phocaici portum in Cratereis situm appulissent, & prandium [*ibi*] sumpsissent, [*oram*] Cumanam præteruecti, cœnauerunt in Arginusis, quæ sunt in continente, è regione Mitylenes. Hinc autem, cùm adhuc nox esset intempesta, præteruecti, & ad Harmatuntem in continente è regione Methymnæ sitam profecti, sumpto prandio, celeriter præteruecti Lectum, & Lariſſam, & Hamaxitum, & [*alia*] illius regionis oppida, ad Rhœtium,

quòd iam est Hellesponti, ante mediam noctem peruenerunt. Harum autem nauium nonnullæ & ad Sigeum, & ad alia illius regionis loca appulerunt. Athenienses verò, qui apud Sestum erant cum duodeuiginti nauibus, postquàm & ipsi speculatores ignibus sublatis, [*hostilis classis aduentum*] ipsis significauerunt, & [*ipsi*] multos ignes in hostili [*agro*] repentè collucentes conspexerunt, Peloponnesios [*in Hellespontum*] ingredi cognouerũt. Quamobrem hac ipsa nocte, celeritate quanta maxima potuerunt, maritimam Chersonesi oram legentes, ad Elæuntem præteruecti contenderunt, quòd hostium classem in apertum mare nauigantes vitare vellent. Et illas quidem sexdecim [*Peloponnesiorum*] naues, quæ ad Abydum erant, latuerunt, quamuis ab amica [*suorum*] classe præmonitę fuissent, vt ipsos [*Athenienses*] diligenter obseruarent, si [*ex sua statione*] exirent. Cùm autem [*Athenienses*] primo statim diluculo illas [*naues, quæ*] cum Mindaro [*erant,*] conspexissent, & è vestigio [*Peloponnesij naues hostiles*] insequi cœpissent, non omnes [*quidem hostium naues*] ocius euasserunt: sed pleræque in continentem, & in Lemnum diffugerunt: at quatuor naues, quæ postremæ nauigabant, prope Elæuntem interceptæ fuerunt. Atque [*Peloponnesij*] vnam quidem [*hostium nauem*] ad Proresilai delubrum impactam, cum ipsis hominibus, [*qui in ea vehebantur*] ceperunt, & duas sine viris. Vnam etiam [*vectoribus*] vacuam ad Imbrum combusserunt. Postea verò coniunctis & iis, [*quas*] ex Abydo [*secum duxerant*] & aliis [*nauibus,*] cum vniuersis, [*quæ erant numero*] sex, & octoginta, hoc ipso die Elæuntem oppugnauerunt: sed cùm [*hæc*] deditionem facere nollet, Abydum redierunt. Athenienses verò à [*suis*] speculatoribus frustrati,

strati, & existimantes hostium classem nequaquam eam se præterituram: sed per otium, [*& nullo tunc ipsos prohibente, Eresi*] mœnia oppugnantes, postquam [*hostes aduenisse*] cognouerunt, protinus omissa Eresso, [*eiusq; oppugnatione,*] celeriter in Hellespontum ad opem [*loco periclitanti*] ferendam accurrerunt. Duas autem Peloponnesiorum naues ceperunt, quæ tunc in hostib. audaciùs persequendis in altum prouectæ, in ipsos inciderant. Postero die Elæuntem profecti, stationem [*illic*] habuerũt, & ex Imbro [*naues,*] quotquot [*eò*] confugerant, receperunt, & quinque dies in prœlij naualis apparatu consumpserunt. Postea verò nauale prœlium hoc modo commiserunt. Athenienses [*quidem*] acie in cornu instructa, [*ita vt classis cornu exporrectum præret*] ipsam oram legebant, Sestum versus [*nauigantes.*] Peloponnesij verò, cùm [*illorum aduentum,*] ex Abydo cognouissent, & ipsi obuiam [*illis*] prodierunt. Postquam autem [*vtrique*] nauale prœlium commissum iri animaduerterunt, cornua [*classis*] exporrexerunt. Athenienses quidem, iuxta Chersonesum, initio ducto ab Idaco vsque ad Arrhiana, nauibus sex & octoginta. Contrà verò Peloponnesij, ab Abydo vsq; ad Dardanum, nauibus octo & sexaginta. Apud Peloponnesios autem cornu tenebant dextrum quidem, Syracusani, alterum verò, ipse Mindarus, & velocissimę quæque naues. At apud Athenienses, sinistrum quidem [*cornu*] Thrasyllus [*regebat,*] Thrasybulus verò, dextrum. Cæteri verò duces in assignato quique loco steterunt. Cùm autem Peloponnesij initiũ [*cum hostibus*] confligendi facere properarent, & dextrum quidem Athenienſiũ [*cornu*] ipsi [*suo*] sinistro superare, ac illos extrinsecus prodeundi facultate, si possent, intercludere [*maturarẽt,*] mediũ verò [*agmen*] ad ter-

ram non procul distantem propellere [*studerent,*] Athenienses [*hac re*] cognita, qua quidem parte aduersarij ipsos intercludere volebant, obuiam [*illis*] prodierunt & nauigatione, [*nauium q, celeritate illos*] superabant. At sinistrum ipsorum [*cornu*] promontorium, quod Canis sepulchrum appellatur, iam superauerat. Hoc autem modo medium [*ipsorum agmen, propter aliarum absentiam,*] ex infirmis, ac dissipatis nauibus constabat, præsertim quòd [*Athenienses*] minorem [*quàm hostes, nauium*] numerum haberent, & locus ille, qui circa Canis sepulchrum erat, acutum & angularem ambitum haberet, ita vt ea, quæ in vlteriore illius parte fiebant, [*ab his*] conspici non possent. Peloponnesij igitur impressione in medium [*illorum agmen*] facta, naues Atheniensium in siccum propulerunt, & in terram exscenderunt prœlio longè superiores. Neque verò huic medio [*nauium agmini*] succurrere poterant, aut à dextro, qui cum Thrasybulo erant, propter nauium in ipsos ingruentium multitudinem, aut à sinistro, qui cum Thrasyllo erant. Nam propter illud promontorium, quod Canis sepulchrum appellatur, [*res ab ipsis*] cerni non poterat, simul etiam Syracusani, & cæteri, qui non pauciores numero post ipsos in acie stabant, illos [*opem suis ferre*] prohibebant. Donec Peloponnesij, dum victoria freti, securè alij aliam nauem insequerentur, quadam suæ classis parte ordines soluere cœperunt. Thrasybulus autem, & qui cum eo erant, cùm animaduertissent [*hostium*] naues sibi oppositas, [*insestæ nauigationis cursum*] inhibere, [*neq, contrà se ferri,*] omissa iam contentione circumagendi cornu, & conuersi confestim [*eas*] repellunt, ac in fugam vertunt. Illas autem [*naues*] nacti, quæ in victrici Peloponnesiorum parte dispersæ erant, ferire cœperunt,

runt, & [*illarum*] plerisque vel sine prœlio terrorem incussérunt. Syracusani quoque & ipsi iam cessantes iis, qui cum Thrasyllo erant, & in fugam [*eo*] magis se coniecerunt, postquàm alios etiam [*fugere*] viderunt. Cùm autem hostes in fugam verti fuissent & Peloponnesij primùm [*quidem*] ad flumen Pydium præcipuè confugissent, deinde verò Abydum, Athenienses paucas quidem [*illorum*] naues ceperunt (Hellespontus enim, quòd esset angustus, breuia hostibus effugia præbebat) hanc tamen naualis prœlij victoriam opportunissimam tunc obtinuerunt. Cùm enim ad eum vsque diem formidarent Peloponnesiorum classem, cùm propter clades paulatim [*acceptas*,] tum etiam propter calamitatem, quæ [*ipsis*] in Sicilia contigerat, & se ipsos, [*quasi neque prudenter, neque fortiter in superioribus prœliis se gessissent*,] accusare, & hostes in rebus nauticis iam magnificere, [*& adeò formidare, vt ante*,] desierunt. Aduersariorum tamen [*has*] naues ceperunt, Chias quidem octo, Corinthias verò quinq;, & Ambracioticas binas, & totidè Bœoticas, Leucadiorum verò, & Lacedæmoniorum, & Syracusanorum, & Pellenæorum, singulas singulorum. Ipsi verò [*Athenienses*] quindecim naues amiserunt. Cùm autem in promontorio, vbi erat Canis sepulchrum, trophæum statuissent, & naufragia ad se attraxissent, & hostibus cadauera fide publica interposita reddidissent, Athenas etiam victoriæ nuntium triremi miserunt. Illi verò, [*qui Athenis erant*,] cum hæc nauis [*eò*] peruenisset, audita felicitate insperata, propter clades, quæ & circum Eubœam, & per seditionem nuper [*ipsis*] contigerant, vehementer animo confirmati sunt. & existimarunt res suas adhuc (si impigrè [*eas*] capessérent) superiores euadere posse. Quarto autè post hoc nauale prœlium

die, Athenienſes, qui apud Seſtum erant, nauibus properanter refectis, nauigarũt aduerſos Cyzicum, quæ [*ab ipſis*] defecerat. Conſpicati autem illas octo naues à Byzantio [*reuerſus*,] quæ ad Harpagium, & Priapum in ſtatione ſtabãt, [*illuc*] infeſta claſſe profecti, prælioq; ſuperatis iis, qui erant in terra, naues illas ceperunt. Cùm autem ad Cyzicum nullis muris munitam peruenijſſent, [*eam*] rurſus in ſuam poteſtatem redegerunt, & pecunias [*ab oppidanis*] exegerunt. Interea verò & Peloponeſij ex Abydo aduerſus Elæuntem nauigarunt, & ſuas naues captiuas, quotquot erant integræ, receperunt (cæteras. n. Elæuſij concremarãt) & Hippocratem, & Epiclem in Eubæam miſerunt, vt illas naues, [*quæ illic erant*] illinc adducerent. Per hæc eadem tempora Alcibiades etiam cum illis tredecim nauibus, [*quas ſecum duxerat*] è Cauno, & Phaſelide Samũ rediit, nuntiãs ſe Phœniſſas naues auertiſſe, ne ad Peloponneſios irent, & effeciſſe, vt Tiſſaphernes in Athenienſium beneuolẽtiam propenſior eſſet, quàm antè. Inſtructis autem præter eas, quas habebat, nouem nauib. ingentem pecuniã ab Halicarnaſſeis exegit, & Conmunire cœpit. His autem peractis, [&] magiſtratibus ibi cõſtitutis, Samum iam ſub autumnum rediit. Et Tiſſaphernes, cùm audiſſet Peloponneſiorum claſſem è Mileto in Helleſpontum profectam, ex Aſpendo ſoluens, in Ioniam properauit. Dum autem Peloponneſij in Helleſponto eſſent, Antandrii (ſunt autem Æoles) grauis armaturæ milites ex Abydo per mõtem Idam itinere pedeſtri clàm deductos, in vrbem introduxerunt, quòd ab Arſaco Perſa, Tiſſaphernis præfecto, iniuria afficerentur, qui Delios quoque (qui Atramyttium incolebant, quo tempore ab Athenienſibus, Deli luſtrandæ cauſa, ſuis ſedibus pulſi fuerunt, [& eò cõmigrarunt])

occulto

occulto odio dissimulato, & illorum præstantissimis quibusque indicta expeditione, per amicitiæ, ac societatis speciem eductos, cum [*eos*] prandentes obseruasset, ac suorum manu circundedisset, sagittis confixerat. Cùm igitur [*Antandrij*] propter hoc facinus, ipsum formidarent, [*ac vererentur*] nequid [*in*] se quoque aliquando scelerate perpetraret, cùm etiam idem alia [*onera ipsis*] imponeret, quæ ferre non poterant, eius præsidium ex arce eiecerunt. Tissaphernes verò, cùm hoc quoque Peloponnesiorum facinus audisset, nec id solùm, quod in Mileto, Cnidoque fecerant (nam hinc etiã ipsius præsidia fuerant eiecta) existimans se insigni contumelia ab ipsis affectum fuisse, veritusque ne quo alio præterea damno [*se*] afficerent, simul etiam ægrè ferens, si Pharnabazus minore & tempore, & sumptu conductis ipsis [*Peloponnesijs*] aliquid felicius aduersus Athenienses gereret, ad ipsos in Hellespontum proficisci statuit, vt [*cum ipsis*] expostularet de rebus, quas ad Antandrum gessissent, & crimina [*sibi ab illis obiecta*] dilueret, ac de Phœnissis nauibus, aliisque [*rebus,*] quàm honestissimè [*posset, ipsis*] se purgaret. Ac primùm Ephesum profectus, Dianæ sacrificium fecit. Quum [*autem*] hyems hanc æstatem insequuta finietur, primus etiam, ac vicesimus [*huius belli a Thucydide conscripti*] annus finietur.

FINIS.

INDEX RERVM, ET VERBORVM IN OCTO THVCYD. LIB. OBSERuatione dignorum.

Hæ literæ P. M. F. paginæ principium, medium, finem, significant.

ABdera, Abderorum, vrbs. 200.M.
Abydeni, Milesiorum coloni. 719.P.
Abydus in Hellesponto sita, ab Athenienſibus ad Lacedæmonios deficit. 719.F.
Acanthus Andriorum colonia, cui Braſidas bellum infert. 368.
Cur in hanc vrbem ſolus intrarit. 368.
Quibus conditionibus cũ toto ſuo exercitu in vrbẽ ab Acanthiis ſit receptus. 371.F.
Acanthiorum opes, auctoritas, prudentia. 369.
Acarnania. Lacedæmonij verbis Ambraciotarum adducti, Cnemum in Acarnaniam mittunt, eam ſubacturi. 182.P.M.F.
Acarnania ab Acarnane Alcmæonis filio dicta. 207.P.
Acarnanes. Quo pugnæ genere potiſſimum excellerent. 184.F.
Accipere, & dare munera. Apud Odryſas honeſtius habebatur accipere, quã dare munera. 201.P.
Accuſatio. Quid, & in quos locum habeat. 51.F.
Accuſator. In legitimis iudiciis accuſatores conſtituendi ſunt, quorum criminationes a reis vel cõcedi, vel refelli poſſint. hoc ni fiat, iniquum eſt iudicium. 249.F.250.P.
Acharnæ maximum Atticæ oppidum. 132.P. ab Archidamo obſidentur. ibid.
Acharnenſes quot militum millia efficerent. 132.F.

Magna

Magna erãt ciuitatis Atheniensium pars. 132. F. 133. F.
Achelous fluuius ex Pindo monte per Dolopiam fluit. 205. F.
Achelous quantus, & qualis. 206. P. M.
Acheron fluuius agri Thesprotici. 36. M.
Acherusia palus. 36. M.
Ab Acheronte fluuio dicta. ibidem.
Acræ vrbs Siciliæ. 495. T.
Acræum Lepas. 663.
Acragas Siciliæ vrbs quando, & a quibus condita, & vnde dicta. 494. M.
Acrothois vrbs. 388.
Actææ ciuitates. 342. P.
Actæ quas vrbes contineret. 388.
Actium agri Anactorij. 23. F.
In eo templum erat Apollinis. ibidem.
Admetus Molossorum Rex. 102. M.
Administratio. Rerum aggressio, & administratio, quantum ab ipsa consultatione de illis facta differat. 90. P. Vide bellum non eodem. Et, Res, de quibus.
Idem 107. M.
Admirari. Quæ sunt à nobis remotissima, & de quibus optimam opinionem concepimus, ea solemus admirari. 501.
Æantides Lampsacenus tyrannus. 543.
Ægina. Athenienses Æginetis hinc expulsis, colon ã de suis huc miserunt, & Ægina occupat. cur. 137. M. F.
Æginetæ, quotquot ab Atheniensibus in vrbe Thyrea capti fuerant, quomodo tractati. 345. 346.
Æginetæ. Qualem, quantamq; classem olim habuerint. 13. P.
Belli aduersus Atheniensis quomodo suaserint. 48. F. 49. P.
Ab Atheniẽsibus ad Æginam nauali prælio victi obsidentur. 79. P.
Quãdo, quibusue conditionibus se Atheniensibus dediderint. 81. F.
Quãdo, & cur ex Ægina ab Atheniensibus electi. 137. P. M.
A Lacedæmoniis Thyream incolendam accipiunt. 137. M.
Ægitium Ætoliæ oppidum. 286. F.
Ægaleos mons. 132. P.

Ægyptiorum bellacissimi qui 82
Ægyptus à Græcis occupata, quando, quomodo, & cuius opera in Regis Persarum ditionem redierit. 82. F. 83. P.
Æneſias Sparta Ephorus. 115. M.
Æoli insulæ 279. F.
Æolis, Æolidis, nunc Calydon. 289. F.
Æqualitas. Sola mutui metus æqualitas fidelem, firmamq; societatem facit, & conseruat. 214. F.
Ætna, maximus Siciliæ mons, ex quo sæpe fluunt ignis rivi, qui magna damna dant regionis incolis. 301.
Ætolorum gens, eius domicilia, sermo, victus, corporis cultus, mores, studia, genus armorum, & vires. 284. 288. 287.
Agamemnonis imperiū quàm latè pateret. pag. 8. M.
Agamimnon quomodo coacta classe Græcos ad Troiam duxerit. pag. 7. M. 8. M.
Agatharchidas dux Corinth. 186. P.
Agatharchus Syracusanus. 607.
Agis, Archidami filius, Lacedæmoniorum Rex. 273. F. 280
Agis ob res aduersus Argiuos malè gestas quomodo à Lacedæmoniis tractatus fuerit. 463. 464.
Agis, quandiu cum suis copiis apud Decelcam egit, quantam imperij potestatem habuerit. 675. 676.
Agis cum maximis copiis Athenas petit, sperans fore, vt eas caperet: sed aliquot militibus amissis, infecta re discessit. 727. F. 728. P.
Agno 87. P.
Niciæ filius, Periclis in prætura collega. 160. F.
Agrai. 205. F.
Agræi. 297. P.
Agrais, Agraidos, Agræorum regio. 297. P.
Agri quomodo à priscis Græciæ incolis colerentur. pag. 2. M.
Agrianes. 199. F.
Agrigentum Siciliæ vrbs. ciues agrigentini. 629. F.
Agrorum habitatio quam vetustas. 208. M.

Alci-

Alcibiades Cliniæ filius. Eius maiores, dignitas, mores, studia. Cur fœdus cum Lacedæmoniis initum frangere, bellumq; facere cuperet. 446. F. 447. Quafraude Legatos Lacedæmoniorum deceperit, vt illis inuidiam apud omnem Athenienſem populũ conflaret. 448. Athenienſium dux creatus quid fecerit. 456.
Alcibiades cur Niciæ ſemper aduerſaretur, & expeditionem in Siciliam Athenienſibus ſuaderet, ac vrgeret. 503, 504. 505, & d.
Alcibiadis ingenium, vita, mores, ſtudia, dignitas, ac autoritas in Athen. Rep. 504. 505. 506. & d.
Alcibiades accuſatur, quòd Mercurij ſimulachra concidiſſet. 515. 516. 544. 545.
Alc. ab Athen. qui Salaminiam nauem in Siciliam miſerant, cur reuocaretur. 537. F. 538. 544.
Alcib. quò vſque cum ſuis ſociis nauem Salaminiam ſit ſequutus, & cur Athenas redire noluerit, & quò ſe contulerit. 545. 546.
Alcib. Lacedæmonium it, & apud Lacedæmonios concionem habet, qua eos ad opem Syracuſanis ferendam, & ad bellum Athenienſibus acriter inferendum hortatur, omnemq; ſuam operam illis offert, ac pollicetur. 571. 572. 573. 574. & d.
Alcib. Lac. ad claſſem in inſulam Chium, quæ defectionem ab Athenienſibus moliebatur, mittendam hortatur. 681.
Alcib. cũ Chalcidee, & quinque nauibus in Chium à Lacedæmoniis mittitur. Et res illic ab eo geſtæ. 682.
Alc. poſt Chalcidei mortem cur in ſuſpicionem Peloponneſij venerit: Quid Peloponneſij contra ipſum: & quid ipſe contra Peloponneſios molitus fuerit, ac fecerit, 705. 706. 707. 708. 709. 710. 711. & deinceps.
Alcibiades cur Peloponneſiis aduerſaretur, & Tiſſapherni, Regiq; Perſarum faueret, ipſoſq; à Peloponneſiis alienaret. Cur etiam, & quibus conditionibus in patriam redire vellet. Et ſtratage-

ma, quo vsus est, vt vota compos fieret. 708. 709. 710. 711. 712. & deinceps.
Alcib. quando, cur, & quorũ opera in patriam reuocatus, ac reductus fuerit. Et quid postea fecerit. 736. 737. 754. 755. 759. 760.
Alcibiadis ingenium arrogans, superbum, ac iactabũdum. 736. 737. 740. 741.
Alc. quando, & quomodo de sua patria optimè meritus esse visus est. 740. F.
Alc. Aspẽdum ad Issaphernem cur iuerit. 741. 742.
Alcæus, Athenis Archon. 427. P.
Alcamenes Sthenelaidæ filius. 675. Ab Atheniensibus cæditur. 680. F.
Alcidas Lacedæmoniorum nauarchus 226. M. 229. 230.
Alcmæon Amphiarai filius. 206. F.
Alexander Perdiccæ pater ex vrbe Argis oriundus. 202. F.
Alexicles. 450. F. 452.
Alluuiones variæ varijs in locis olim extiterunt. & quid singulæ singulis locis, populisq; fecerint. 280.
Almopes. & Almopia. 203. P.
Ambitio quot. & quantorum malorum causa. 168. P. M. F. 275. M.
Ambraciotæ expeditionem aduersus Argos Amphilochicum, cæteramq; Amphilochiam quando, cur & quibus ad belli societatem assumptis, fecerint. 171. P. M. F. Argiuos Amphilochicos, à quibus olim in ciuitatis communionem recepti fuerant, vrbe pellunt. 171. F.
In seruitutem illinc ab Argiuis Amphilochicis abstrahuntur. 172. P.
Inimicitias cũ Argiuis quãdo, cur susceperint. 172. P.
Argos rursus oppugnant: sed infecta re domum redeunt. 172. M.
Pugnacissimi censebantur. 295.
Cladẽ ab Argiuis accipiũt, quando, quomodo, cur. 295.
Ab Acarnanibus cæduntur. quot. 297.
Quo stratagemate à Demosthene decepti, grauissimaq; clade affecti. 297. 298. 299.
Ambracia, vrbs. 292. F. 299.
Ambraciam Acarnanes, & Amphilochi cur expugnare noluerint. 299. M.
Ambra-

Ambraciam à Corinthiis præsidium mittitur. 300. M.
Amicitia constans inter quos iniri possit. 213. M.
Amicus quis censendus. 33. F. 34. P. F.
Aminocles Corinthius nauium fabricator. pag. 11. F. *Quatuor naues Samis fecit. ibidem. Quando ad Samios iuerit. Ibidem*
Ammeas Corabi filius, 223. P.
Amor quot, & quantorũ malorum autor & quomodo. 243. F. 244.
Amorges, Pissuthnæ filius nothus, à Persarum Rege defecit. 676. F. *à Peloponnesiis vbi, quando, cur, quomodo captus, & Tissapherni traditus.* 693. F. 694. P.
Amphilochiæ in sinu Ambracio ab Amphilocho Amphiarai filio quando condita. 171. M.
Amphilochi quinam, & quales. 171. F. *Vrbe ab Ambraciotis pulsi quid fecerint.* 171. F. 172. P.
Amphipolis vrbs olim Ἐννέα ὁδοὶ, id est, Nouem-viæ vocabatur. 76. P. 383.
Amphipolis vbi, quando, & à quibus condita fuerit. 382. 383.
Amphipoli Brasidas bellum infert. Quis fuerit exitus belli. 382. 383. 384. & deinceps.
Amphipolis vnde sic vocata. 383. M.
Amphipolin Brasidas quomodo in suam potestatem redegerit. 384. 395. 386
Amphipoli capta cur Athenienses trepidare cœperint. 386. 387.
Amphissenses. 288. F.
Amyclæum, templum, quod erat Spartæ. 426. F. 430. P.
Amyntas Philippi filius. 199. P. 203. F.
Amyrtæus Rex in paludibus Ægypti regnans. 82. F. 83. F. 84. P.
Anæi. 229. F.
Anæa contra Samum ab exulibus Samiorum munita. 361.
Anaceum, Castoris & Pollucis templum. 750.
Anaitorum in Ambracij sinus ore situm Corinthij per fraudem ceperunt. 42. P. *Hanc vrbem Corinthiorũ Athenienses quando postea per proditionem ceperint.* 341. P.
Anapus fluuius. 184. F.
Androcles, acerrimus status

populariu propugnator, ab aduersa factione cæsus. 722.
Androcratu fanum. 225. M.
Antandrus vrbs. 342. P.
Antandri munitionem Athenienses cur impedierint. 361.
Antandrij quando, quomodo, cur Arsaci Persæ præsidia ex sua arce expulerint. 763.
Anthemus. 203. P.
Antiochus Oreſtarum Rex. 183. P.
Antiphon Athenienſis propter inſignem eloquentiam multitudini ſuſpectus erat. Hic fuit præcipuus autor mutati ſtatus populariu. Et quomodo poſtea ſublato quadringentorum virorum dominatu, & reſtituto populari dominatu, ſe de rebus ante geſtis, apud populum purgarit. 725.
Antiſſa, Lesbi vrbs 220. M.
Antiſſam Methymnæi armis infeſtis petunt: ſed ab Antiſſæis, eorumq; copijs auxiliaris magnam cladem accipiunt, domumq; multis amiſſis repetunt. 220. M.
Antitanes. 183. P.
Apidanus Theſſaliæ fluuius. 364. M.
Apodoti. 284. f.
Apollonia. Corinthiorum colonia. 21. M.
Aræ Deorum, non voluntariu hominum delictiu refugium. 380. T.
Archelaus Perdiccæ filius, & res ab eo geſtæ. 203. M.
Archetimus Eurytimi. 23. M.
Archidamus Lacedæmoniorum Rex, prudens, & modeſtus vir. 61. M. Zeuxidami filius. 132. P. Prima expeditionis aduerſus Athen. factæ dux. 123. P. 131. P. 132. P. Ob Oenoen Atticæ caſtellum non expugnatum, in grauem ſuſpicionem apud Lacedæmonios incidit. 131. p. m. f. Cur apud Oenoen, & cæt. in rebus tanta cunctatione ſit vſus. 131. f.
Archonides 589. P.
Archontes. Nouem Archontes, eorum Magiſtratus, ac poteſtas. 95. M.
Argenteo vomere terram arare. 423. F.
Argilus. 100. f. Pauſaniæ quondam amaſius, illum ad Lacedæmoniorum magiſtratus cur detulerit. & quomodo ſuum indicium manifeſtum reddiderit. ibid.

ibid. & 101. P.
Argilij, Andriorum coloni. 383. f.
Argilus vrbs. 425. f.
Argiui quomodo quondam opibus floruerint. 433. M.
Argiui quida populare suæ Reipub. dominatū abolere cupientes, cū Lacedæmoniis, quibus fauebant, hac de re clam agunt. 473. 474.
Argiui compositionem cum Lacedæm. faciunt. conditiones. 474.
Argiua plebs quando & quomodo paucos, qui Rep. administrabant, adorta superarit, & partim interfecerit, partim ex vrbe populerit, ac populare statum in ea restituerit. 477. 478.
Argiuis Lacedæmonij cur bellum intulerint. 479.
Argiui trecenti quando, & cur ab Alcibiade comprehensi, & vbi ab Atheniensibus depositi. 479 f.
Argos Amphilochicū. 171. P. vnde dictum. 171. M. Vrbis amplitudo, potentia 171. m. f. ab Athen. capitur, & ab Amphilochis rursus incolitur. 172. P. ab Ambraciotis ager eius vastatur: at vrbs expugnari nequit. 172. M. Argos. Quando Lacedæmonij cū maximis copiis, & cur aduersus Argos iuerint. Et quis fuerit illius expeditionis exitus. 459. 460. 461. 462.
Argis popularis status in paucorum dominatum mutatus. 477. M.
Aristagoras Milesius. 382.
Aristæus Pellicæ f. 23. M. Vnus ex ducibus Corinthiacæ classis contra Corcyræos missæ. ibid. Quando, vbi, à quo, cur captus, Athenas delatus, capitali supplicio affectus. 169 f. 170. p. m. f.
Aristeus Adimanti filius. 44 f. Quis, & res ab eo gestæ. 44. f. 45. p. m. f. 46. p. m. 47. f. 48. P. Potidæam tutaturus, quomodo sit ingressus. 46. M. Potidæa quando, quomodo, cur enata. 48. P.
Aristides Archippi filius. 341. P.
Aristogiton. Hic, & Harmodius Hipparchū interfecisse creditur. 16 m. Quando, quomodo, cur hoc ab ijs ausum fuerit. 538. 539. 540. 541. & d.
Ariston Pyrrhi filius, optimus nauium gubernator. 622. P.

Arma cur olim à Græcis gestarentur. pag. 5. M.
Arma quis primus in Græcia deposuerit, vt delicatius vitæ genus coleret. pag. 5. F.
Armorum gestandorum mos apud priscos Græcos vnde manarit. pag. 5. M.
Arne Thessaliæ vrbs. 11. P. In agro Chalcidensi sita. 383.
Arnissa. 404. F.
Arrhibæus Lyncestarũ Rex. 365.
Arrhi. Bromeri filius. 367.
Ars sine animi generositate nihil valet aduersus pericula. 190. F.
Artabazus Pharnaci filius. 97. F.
Artaphernes Persa vbi, quãdo, cur, à quo comprehensus, ac Athenas missus. 341. P.
Artaxerxes Xerxis filius. 104. F.
Artaxeres Xerxis filius quando obierit. 341. M.
Artemisium. 251. F.
Artynæ. 452.
Arx. Arcem Athenarum à Cylone captam quomodo tandem Athenienses receperint, 94. F. 95. P. M. F.
Athenarum ea, quæ nunc est arx, antè erat vrbs. 129. P. Quinetiam nunc vrbis arx, vrbs appellatur. cur. 129. F.
Asina. 311. F.
Asopius Phormionis filius, & res ab eo gestæ. 211. F. 212. T.
Ad Nericũ, dum se recipit, cum quadam suarum copiarum parte ab illius regionis incolis caditur. 212. M.
Asopus fluuius. 118. F.
Assinarus, Siciliæ fluuius. 668. P.
Astacus vrbs. 139. M. Huic bellum ab Athen. infertur 205. F.
Astyochus Lacedæmoniorum nauarchus. 686. 695.
Ast. Chiis auxilium ferre recusat. Ideo à Pædarito, quòd Remp. læderet, apud Lacedæmonios accusatur. 700. M. Causa cur hoc recusarit. 696. F. 697. P. 702. P. Phrynicum Athenensium ducem prodit, à quo de perniciosis Alcibiadis consiliis aduersus Lacedæmonios mitis monebatur. Cur. 711. 712.
Astyochus in capitis periculum quando, quomodo, cur inciderit, & quomodo illinc

illinc euaserit. 738.
Atalante insula vbi sita. quando, cur ab Athen. muro cincta. 140. P.
Athenagoras Syracusanus ob popularem facundiam apud plebem gratiosissimus. 525.
Athenæ propter concursum hominum ex variis Græciæ partibus eò factum, maximè creuerunt. pag. 3. P. Quomodo. ibidem. Post barbaros ex Græcia fugatos instaurantur. cur. quomodo. 68. P. 71. P.
Athenarum ambitus quantus esset. 127. M.
Athenarum laus. 144. F.
Athenis status popularis in paucorũ dominatum quãdo mutatus. qui fuerint huius mutationis autores. Vbi primùm hac de re consilium agitatum. quomodo, per quos, & cur pristina Reipub. forma mutata. quot mala mutationem istam sint secuuta. 708. 709. 710. 711. 712. & deinceps. 720. 721. 722. 723. 724. & d. tempus huius mutationis notatur. 726. P.
Athenienſium ſedes ſtabiles, ideoq; cæteri Græci ſuis ſedibus pulſi, eò confugiebant. pag 3. P.
Athenienſes. Quomodo tractarent eos, qui ex variis Græciæ partibus ad ipſos confugiebant. pag. 3. P. Primi ferro depoſito, delicatius vitæ genus coluerũt. pag. 5. F. Delum quando, & quomodo luſtrarint. 6. F. Quò, & quando colonias emiſerint. 11. M. Cum Medis in campis Marathoniis pugnarunt. 15. P. Vrbe relicta naues cum cõiugibus, liberis fortunisque conſcenderunt. 18. M. Quando, cur. 6. 37, 56. M. Quando à Lacedæmonijs diſſociati bellum inter ſe cum ſuis vtrique ſociis gerere cœperint. 15. F. Quomodo in hoc vtrique ſe geſſerint. ibidem. & 16. P. Quomodo ſociis ſuis imperarint. ibid. 59. M. 558. Non olim: ſed palàm iniuriam Græciæ faciebant. 49. F. 50. P. F.
Athenienſes quomodo paulatim ſuum imperium auxerint. 50. F. 57. F. 58. P. 67 F. 87. F.
Athenienſes imperium in ſocios quando, quomodo, cur, & quorum conceſſu

acceperint 57. f. 72. f. 73. f. 213. f. 558.
Athen. imperium semel acceptum cur postea deponere noluerint. 58. p. m. f.
Athenienses, & Lacedamonij inter se conferuntur, & vtriusq; ciuitatis ingenia, mores, instituta studiaq; pluribus egregiè declarãtur 52. p. m. f. 53. p. m. f. 391. p.
Athenienses rerum nauticarum peritissimi, omniq; bellico apparatu instructissimi 61. f. 62. p. In rerũ à se gestarũ laudibus prædicãdis nimiũ omnibus erant molesti. 55. f. 57. p. m. f. 66. p. Quales cõtra barbaros in prælio nauali se præstiterint 57. p.
Athenienses litigiosi esse censebantur. 59. M.
Animo excelso præditi, ac intrepidi. 62. f. 63. p.
Quomodo post imperium in Græcos acceptum, sociis imperarint, & quid in eo gesserint. 73. f. 74. p. m. f. 75. p. m. f. 213. 214. 215. 216. 558.
Ad Drabescum Edonicam profligati. 76. M.
Audaces, ingenioq; ad res nouandas prompto præditi. 77. M.
à Lacedæmoniis quando & cur dissentire cœperint. 77. P. M.
Lacedæmoniorum societate relicta fœdus cum Argiuis, & Thessalis faciunt cur. 77. m. f.
Cum Corinthiis æquo Marte pugnant. 79. M.
In Ægyptum profecti quid fecerint, & illius expeditionis exitus qualis 82. p. m. f. 83. P. M.
Ad Coroneã à Bœotiis magnam cladem acceperunt 84. f. 375.
Samios nauali prælio vincunt. 86. f.
Samiorum vrbem obsident, oppugnant, expugnant, illosq; certis conditionibus in deditionem recipiunt 87. P. M.
Athenienſium copiæ quales. 90. f. Vires quantæ. 91. f.
Athen. & Peloponnesiorum vires, administrandi belli ratio & vtriusque gentis collatio 109. p. m. f. 110. p. m. f. 111. p. m. f. 112. p. m. f. 145. 146. 147. Quando primum ad bellum contra Laced. gerendũ se strenuè parare cœperint. Modus. Societates 120. f. 121. p. f. 122. p. 638. 639. 640. 641. 642.

Athe-

Athenienſibus cur plerique Græcorum eſſent infenſi, adeò vt ſe Lacedæmoniis aduerſus eos iunxerint 121. f. In vrbem ex agris quando, quomodo, cur ſe receperint. 128. P. Quomodo, cúrve migrationem ex agris in vrbem iniquo tulerint animo. 128. P. M. 129. f. 130. p. Vrbis loca quænam quique habitandi cauſa occuparint. 130. p. m f. Centum nauium claſſem parant, quam in Peloponneſum mittant, 130. f. Eam mittunt. 135. P. Quidnam iſta claſſe vecti fecerint. 135. 136. 137. 139. In agrum Megarenſem duce Pericle faciunt irruptionem, eumque vaſtant. 139. f.

Atheni nſium Reſpub. qualis ciuium ſtudia, oblectamenta, & horum omnium laudatio. 144. 145. 146. & d. Claſſem aliam centum nauium aduerſus Peloponneſum mittunt 159. f. Quãdiu poſt cladem in Sicilia acceptam Lacedæmoniis reſtiterint 169. M. Chalcidenſibus, & Bottiæis bellum inferunt. Exitus belli 180. 181. Quando, cúrve maximo pauore conſternati fuerint. 198. P. Grauiſſimam cladem ab Ætolis accipiunt, 287, Cladem aliam, in Sicilia accipiunt, 290, M. Nihil ſibi impoſſibile quomodo, & cur putarent, 352, M. Ad Coronæã à Bæotis victi, 375, Cladem grauiſſimã in Thracia à Braſidæ militibus accipiunt, 419, 420. Cladesalias grauiſſimas à Syracuſanis acceperunt, 623, 624, 625, 627, 628, 629, 630, 635, 636, & deinceps vſque ad libri finem, à Syracuſanis expugnati, & in lapicidinas coniecti & quomodo ab illis ibi tractati fuerint, 670, 671.

Athenienſium Reſpub. quando, & quomodo poſt varias, easq; grauiſſimas clades acceptas, caput erigere, & melius habere ceperit, 753, 754. 755, 756, 757, 758.

Athos mons vbi ſitus, 388. f.

Atractos, Laconicè ſagitta, 334. f.

Atramittium in Aſia ſitum, 410, M.

Atreus quomodo Mycenarum regnum adeptus ſit, pag 7, f. 8, p.

Attica cur olim seditionis immunis, ac ab iisdem incolis habitata fuerit. pag. 2. F. Cur in Atticam Græci suis sedibus pulsi se reciperent. pag. 3. P. Attica quomodo paulatim creuerit. ibidem. Cur, & quando colonias in Ioniam miserit. 3. P. Quomodo olim incoleretur. 128. M.

Auaritia quot, & quantorum malorum causa. 168. P. M. F. 275. M. 640. F. 641. P.

Audacia. Quum improbis hominibus scelera patrantibus nullus resistit, illorum audacia magis, magisq; crescit. 50. F.

Audacia Atheniensiũ quanta. 147. F. 604.

Audaces ab audacibus quomodo terreantur. 604. M.

Auditor quomodo sit affectus quum laudes alienas audit. 142. M. F.

Auxilium. Quid faciendum, ac dicendum illis, qui auxilium ab aliis petunt. 25. M.

Axius fluuius. 203.

B

Bachanalia quando celebrarentur. 129. P.

Bacchus in Limnis 129. P.

Barbari vox apud Homerum non reperitur. pag. 4. P.

Barbari cur, & quando magna classe Græciam inuaserint. 15. P.

Barbari ante prælium, in prælio, post prælium, quomodo se gerant. 402. 403.

Bellum Peloponnesiacũ quantum motum per tota Græciam excitarit. pag. 1. F.

Bellum Peloponnesiacum durauit XXVII annos. 431. P.

Belli Peloponn. diuturnitas oraculis prædicta. 431. F.

Belli Peloponnesiaci longitudo, cladesq; toti Græciæ propter ipsum allata. 18. F.

Belli Peloponnesiaci initium, & causæ. 19. P. M. F. 48. M. F. 114. F. 115. P. M.

Bella priscorum Græcorum qualia. 13. F. 14. P.

Bellum Peloponnesiacum in æstates, ac hyemes à Thucydide distinctum. cur. 115. P. 427.

Bellum cum Medis gestum duobus nauali bus, totidemq; pedestribus prælijs celeriter est finitum. 18. M.

Bella pecunijs, opibusq; sustinentur. 109. M.

Bellum

Bellum ab hominibus plerunque temerè, & inconsultè susciptur. 60. F. Quomodo geratur. 64. P. Quomodo in eo nos gerere debeamus. 91. F. Cur nec temerè, nec facilè sit suscipiendum. 64. T.
Bellum sacrum à Lacedæmoniis quando, cur, & quomodo susceptum. 84. P. M.
Bellum non eodẽ animi impetu geritur, quo suscipitur. 90. M. Vide Res, de quibus, Et Administratio. Idem 107. M. 121. P.
Bellum apertum inter Ath. & Laced. post decennale fœdus ruptum redintegratur. 431. P.
Bellum quod primum inter Athenienses, & Lacedæmonios est gestum, decem integros annos durauit. 427. F.
Bellum consilio, & pecuniarum copia plerunque feliciter administratur. 126, M.
Belli inter Lacedæmonios, & Athenienses redintegrati causæ, 431. 439. 445. 446.
Belli Peloponnesiaci Annus primus. 152. T. Secundus 173. F. Tertius. 207. P. Quartus. 226. M. Quintus. 279. F. Sextus. 301. M. Septimus. 341. F. Octauus. 393. M. Nonus. 409. F. Decimus. 427. M. 430. M. Vndecimus. 430. M. 443. F. Duodecimus. 455. F. Decimus tertius. 458. F. Decimus quartus. 477. F. Decimus quintus. 479. F. Decimus Sextus. 497. F. Decimus septimus. 577. P. Decimus octauus. 602. P. Decimus nonus. 678. P. Vicesimus. 719. T. Vicesimus primus. 763. P.
Belli à Corinthiis aduersus Athenienses susceptí prima causa, quæ. 42. M.
Belli progressus quales. 91. M.
Belli euentus incerti. 60. F. 64. P. 90. P. 107. F. 315. 316. 644. F.
Belli, quod longum est, exitus plerunque funesti. 60. F.
Bello pax magis confirmatur. 93. F.
Belli occasiones nullam moram patiuntur. 110 M.
Beneficium. Postremum beneficium, opportunè collatum, licet sit paruum, maius tamen crimen diluere potest. 7. 14. In beneficio dando & accipiendo quid

fieri soleat, 146, f. 147, P,
Beneficiorum acceptorũ memoriam deponere non decet, 251, f,
Benefacto memoriam malefacti delere, 148, m, f,
Bisaltia, 203, P,
Bithyni Thraces, 361. f,
Bœum, 80, M,
Bœotij Arne pulsi Bœotium agrum incoluerunt, pag. 11, P,
Bœotius ager antè Cadmeus vocabatur. pag. 11, P,
Bœotij, duce Myronide ab Athenienſibus, prælio victi, 81, f, 377,
Bœotarchæ quot eſſent, 373, M,
Bœotorum quatuor erant conſilia, quæ ſummam rerum Bœotiarum poteſtatem habebant, 442, M,
Bolbe. Palus in agro Mygdonio ſita, 44, P, 383,
Bottiæis, qui ſunt in Thracia, bellum Athenienſes inferunt quando, quo duce, 180, f. Ab Athenienſibus vincuntur, 180, f, 181, P, à Bottiæis Athen. ſuperantur, 181 p. m. f,
Bottiæi fugatis Athenienſibus trophæum ſtatuunt, 181, f, Bottiæi à Bottia regione dicti, 261. f,
Braſidas Tellidis filius & res ab eo geſtæ, 136, P, M. Cur primus omnium qui bello Peloponneſiaco adminiſtrãdo interfuerunt Sparta col laudatus ſuerit, 136, M, In Pyli oppugnatione rem fortiſſimè gerit, 310, 311, Quomodo Megara conſeruarit, 357, 358, 359, 360, Quando & cur in Theſſaliam iuerit, & quomodo cum ſuis copiis eam pertranſiuerit, 363, 364,
Braſidæ encomium, 366, 387, Amphipoli bellum infert, Et quis fuerit belli exitus, 382, 383, 384, & deinceps,
Br. à Scionæis, vt Græciæ liberator, aurea corona coronatur, 397,
Braſ. in prælio vulneratur, illinc Amphipolin à ſuis importatur cognitaq; ſuorum victoria paulo poſt animam efflat, ac à ſociis honorificentiſſimè ſepelitur, 419, 420
Braure Pittacum maritum, Edonũ Regem cadit, 386,
Bricinniæ, 412, f,
Briliſſius mons, 135, P,
Budorũ propugnaculũ, 198, m,
Byzantij, ab Athen. deficiunt,

unt, 86, P, M, Cum illis compositionẽ faciunt 87, m,
Byzantium à Medis occupatum Athenienses cũ sociis, Pausaniæ ductu ceperunt, 72, f.

C

Cadmeus ager postea Bœotius appellatus, 11, P,
Cacyparis fluuius Siciliæ 665, P,
Caadas. In Caadam Lacedæmonij facinorosos homines deiicere solebant, 102, P,
Cæneum Eubœæ promontorium, 283, P,
Caicinus fluuius, 290, f,
Calamitas vicinorum nobis etiam impendet, nisi vicinis opem feramus, 89, M, 558, 559, 560, Vide Periculum, & Mala, calamitas repentina animos hominum deiicit, 163, P,
Calamitates quomodo sint ferendæ, 167, P, Incertum est cuinam vel immerenti calamitas sit euentura, 256, P,
Calamitatis alienæ nullius vult esse socius, 505, M,
Calamitatis grauissimæ descriptio, 658, 659, 660, & deinceps ad finem vsque libri,
Calendæ lunares, 137, f,
Calex fluuius, 361, f,
Callias Calliadis filius, & res ab eo gestæ, 45, P, In prælio cadit, 47, P,
Callicrates calliæ f, vnus ex ducibus Corinthiacæ classis, 23, f,
Calligetus, Laophontis filius, 676, f,
Calydon prius Æolis vocabatur, 289, f,
Camarina, Siciliæ vrbs 321, m, Quando, & à quibus condita, 495, M,
Canis sepulchrum, promontorium, 760, P. M.F. 761, F,
Capita quercus, loci nomen, 225, M,
Carcinus Xenotimi filius, 135, P,
Cardamyla, 689, f,
Cares olim latrocinia exercebant, 6, f, Cares in insula Delo sepulti, & quomodo ex armorum genere, cum quo fuerant sepulti, agniti sunt, pag. 6, f, 7, P,
Carneorum dies festi, 473, P,
Carthaginienses, à Phocensibus quando, & quomodo victi, pag. 12, f,
Casmenæ, 495, P,
Catana, Siciliæ vrbs sub

Ætna monte sita, cuius incolæ Catanæi vocantur. 301
Quando, & à quibus condita. 493. F.
Catanam Athen. in suam potestatem quomodo redegerint. 536. F. 537. P.
Cecrops. 122. M.
Cecryphalea. 78. F.
Cedere. Qui molliter cedit inimicis aliquid imperantibus, is postea longè deteriore conditione rem cum illis gerit. 108. F. 348. F. 374. 375.
Cedere quibus deceat, ac oporteat. 488. M.
Celeritas. In rebus peragendis celeritas plurimum prodest. 53. P.
Centoripa, Siculorum oppidum. 577. F.
Cephallenia insula vbi sita sit, & quot ciuitates habeat. 139. M. Ab Athenienſibus sine pugna capitur. ibid.
Ceramicus, quidam extra Athenarum vrbem locus. 341. F.
Cercine mons desertus, inter Sintos, & Pæones medius. 201. F.
Cerdylium. 413. F. 414. P.
Certamina varia apud priscos Græcos, & barbaros, & singulorum præmia. pag. 6. P.
Ceryces. 713. F.
Chærades Iapygiæ insulæ. 616.
Chæreas Archestrati filius. Et res ab eo gestæ. 730. 731.
Chæronea Bœotiæ oppidum. 14. M. ab Athenienſibus capta, ibid.
Chæronea oppidum in extremis Bœotiæ finibus situm. 362.
Chalcedon Megarenſium colonia in Ponti faucibus sita. 361. F.
Chalcidenſes, cum Eretrienſibus bellum gesserunt. 13. F. Ab Athenienſibus vincuntur. 180. F. 181. P. Athenienſibus fugatis tropheum statuunt. 181. F.
Chalcideus Lacedæmoniorum dux ab Athenienſibus vbi, & quando cæsus. 689. P.
Chalciœcæ Palladis templum. 102. P.
Chalcis Corinthiorum vrbs ab Athen. capta. 81. F.
Challæi. 288. F.
Chaones barbari. 172. P. 182. F. 183. P. M. F. Bellicoſiſſimi habebantur. 184. P. Propter ſuam temeritatem

tam cæduntur. 184. T. M.
Charadrus. 462. M.
Charicles Apollodori filius. 603.
Charminus Athenienſium dux. 702. F. 703. M.
Charœades Euphileti filius, Athenienſium dux. 278. M. A Syracuſanis in prælio cæſus. 280. F.
Charybdis, quâ Vlyſſes tranſiſſe fertur, quid, & vbi. 320. M.
Chimerium. Thesprotidis Chimerium. 24. F. 36. M. Portus erat, & ſupra eum extabat vrbs Ephyre. 36. M.
Chimerium promontorium. 36. M.
Chios vrbs. 683. P. 701. M.
Chij cur, & quando nouum vrbis ſuæ murum, Athenienſium iuſſu demoliti fuerint. 341. Ab Athenienſibus, quando, quomodo defecerint. 682. 683. Prælio vincuntur, variisque cladibus ab Athenienſibus afficiuntur. 689. 690.
Chiorum ingenium, mores, ſtudia, vita & diſſectionis ab Athenienſibus factæ cauſa. 689. 690. Aſtyochum Lacedæmoniorum nauarchum cur in vrbem accerſiuerint. 690. ab Athenienſibus grauiter preſſi, auxilium ab Aſtyocho petunt. 700. M. 701.
Chij cur, & quomodo plurimis detrimentis à ſuis ſeruis afficerentur. 701. F. 702.
Chromon Meſſenius. 287. P.
Chryſis ſacerdos Argis 115. M.
Quando, cur Phliuntem confugerit. 408. 409.
Cicadas aureas quomodo Græci olim ornatus cauſa in capite geſtarent. pag. 5. F.
Cimon Miltiadis filius, Athenienſium dux. & res ab eo geſtæ. 74. F. 75. P. eius mors. 84. T.
Citium Cypri vrbs. 84. P.
Ciuis. Boni ciuis officium. 162. M. 240. F. 241. 242. 498. 499.
Ciuitatis ſapientis officium erga bonos, malosq; conſultores. 240. F. 241. 242.
Clades, quam Ambraciotæ à Demoſthenis copiis acceperunt, fuit maxima omnium, quæ in bello Peloponneſiaco Græcis contigerunt. Cur, & quomodo. 299. M.

Cladium variarum, quas Athenienses a Syracusanis, tam terra, quam mari, variis in locis acceperunt, prolixa descriptio, 623. 624. 625. 626. 627. 628. 629. 630. & deinceps vsque ad finem libri. 753.
Classis antiquissima quænam apud Græcos, pag. 4. M. 7. P.
Classis ad insulas subigendas necessaria, pag. 8. M.
Classis ad Troiam profecta quot, & quantæ naues essent, pag. 9. f. 10. P.
Classis Græcorum ad Troiam appulsa quid gesserit, pag. 10. P. M.
Classes quænam omnium potentissimæ olim fuerint, pag. 12. f. Quomodo instructæ, ibidem. Quænam in Græcia memoratu dignæ, 13. P. Græcorum peruetustæ, & recentiores classes quales fuerint. 13. P.
Classes Græcorum memoratu dignæ tres. 29. f.
Classis centum nauium ab Athenienſibus potentiæ ostentandæ causa aduersus hostes instructa, præter alteram, quam ad Lesbum habebant, 216. f. 219. P.
Classis ab Athenienſibus in Siciliam missa quantus apparatus, quantusq; splendor fuerit, 514. 515. 516. 517. 518. 519. & d. 530. 531.
Classis Phœnicum quanta. Cur eam ad Lacedæmonios Tissaphernes non adduxerit. 741. 742.
Clazomenæ ab Athenienſibus deficiunt, 682.
Clazomenij cur Polichnam munierint. 682. Clazomenij ab Athenienſibus expugnantur, & ipsorũ vrbi Polichna vertitur in Athenienſium potestatem venit, 689.
Clearidas Cleonimi filius, 408.
Clearchus Rhamphij filius, 678. f.
Cleippides Diniæ filius. 209. p.
Cleobulus, & Xenares Spartæ Ephori. 440. f. 441. 442.
Cleomenes Lacedæmoniorum Rex, 96. P.
Cleon Cleæneti filius, eius ingenium, mores, & facundia populari, 233. P. 318.
Cleon expeditionẽ aduersus Lacedæmonios in insula Sphacteria obsessos suscipit, ac Athenienſibus pollicetur fore, vt eos intra XX dies vel viuos, vel mortuos in suam

in suã potestatem redigat. Quid autẽ, & quibus auxiliis fretus in illa expeditione præstiterit, & quomodo Lacedæmonios expugnarit, fusè demonstratur. 324. 325. 326. 327. 328. vsq; ad pag. 335. Cleon in Thraciã nauigat, & res illic ab eo gestæ, 410. 411. 412. 413. & deinceps.

Cleonis arrogãtia. 414. f. 415. p.

Cleon, dũ Brasidæ milites fugeret, à quodam Myrcinio peltato cæditur. 419. M. Cleon cur paci maximè aduersaretur. 422. f.

Cleonæ, vrbs. 388. f.

Cleopompus Cliniæ filius. 137. P. 160. f.

Cnemus Spartanus classis in Zacynthũ missæ præfectus, 169. f. In Acarnaniam à Lacedæmoniis, eam subacturus mittitur, 182. M.

Cnemo propter cladẽ à Phormione recens acceptã Lacedæmonij quosda Spartanos miserũt, quorum consilium in rebus nauticis sequeretur. 187. f.

Collidere ciuitates aliquas inter se, vt illas in nostra potestatẽ facilius redigamus. 35. M. 706. 707. 708. 742.

Colonæ agri Troiani, 99. P.

Colonia. Coloniæ deducendæ, condendæ, ac nominandæ mos priscus, 19. f. Quid suo duci, conditori, ac metropoli præstare debeat. 20. f.

Coloniæ, & metropolis mutuũ officium, 27. f. 31. P. M.

Colonos in agro Attico locus editus, Neptuno sacer, decẽ fermè stadiis ab Athenarũ vrbe distans, 724. M.

Colophon antiqua Colophoniorum patria. 231. P.

Colophonij quando, cũrve Notiũ se cõtulerint & quid ipsis illic acciderit. 231 p. m. f.

Commercia inter priscos Græcos qualia fuerint. pag. 2. p.

Concordiæ vires maximæ, 509. f.

Consiliis bonis, rectisq; ciuitas omnis est regenda, quæ imperium in exercitus habere ipit. 733. P.

Consultatio. Consultationi nullus locus est dandus in malis nullam cunctationem admittentibus. 50. f. in magnarum rerum consultatione multũ temporis ponendũ, 54. f. 55. m. 60. f.

De maximis rebus sæpius consultandum. 240. P. 488. f. 498. 499.

Consultatio res gerendas præcedere debet, non autem sequitur, quæ iam geruntur, aut gestæ sunt. 60. F. 61. P.
Consultatio de rebus gerendis audax, administratio timoris plena. 90. P. In bona consultatione celeritatem, & iram, vt res perniciosas, vitare debemus. 240. P. Cur ibidem. In publicis consultationibus quomodo boni ciues se gerere debeant. 240. F. 241. 242. 243.
Consultatio bona plus hosti nocet, quàm temeraria virium ferocitas, qua quis in eum fertur. 246. F.
Consultatio non de præsentibus: sed de futuris institui solet. 242. M.
Consultationis bonæ finis quis. 242. M.
Consultor. Respub. quando, quomodo, cur consultoribus destituantur. 240. F. Quomodo ciuitates se gerere debeant erga bonos, malosq; consultores. 240. F. 241. P. M. F. 242.
Consultores boni, maliq; quinam, & quomodo in publicis consultationibus se gerere soleant. 240. F. 241. 242.
Contemptio. Magnorum incommodorum, ac malorum causa. 92. M. 124. P. 521.
Contemptio in quo esse soleat. 164. F.
Contemnere. Hoc natura comparatum est, vt ab illis contemnamur, quos coimus, ab illis colamur, quos contemnimus 237. P.
Contemptione hostium quando, & quomodo sit vtendũ. 524. M.
Corcyra. Epidamni metropolis. 20. P.
Corcyra & insula, & vrbs, vt patet ex pag. 30. M. 50. P.
Corcyra vrbs 276. F. 277. M.
Corcyræ seditio. seditionis tempus, autores, causæ. 265. F. 266.
Corcyræ situs, opportunitas, & commoditas. 29. M. 35. F. 50. P.
Corcyræi. Cur cum aliis societatem olim facere nollent. 25. F. 26. P. 30. M. F.
Corcyræorum ingenium mores, vitæ genus, ac studia. 30. M. F. 31. P. M. F.
Corcyræorum exules quomodo vexarint cæteros, qui Corcyræ degebant. 277. F. 278. ab Athenien-

quando, quomodo quibus conditionibus in deditionem recepti, & quomodo postea à Corcyræis tractati. 338. 339. 340. 341.
Corcyræi à Corinthiis nauali prælio superantur. 39. P.
Corcyræi 800. qui serui erant, à Corinthiis venduntur. 250 vincti seruantur, & officiosè tractantur. cur. 42. P.
Corcyræi quando, quorũ verbis adducti, & cur seditione laborare cœperint. 265. F. 266.
Corcyræi. Epidamnum, missa colonia duce Phalio Corinthio, condiderunt. 19. M.
Corinthiorum coloni, Corinthios quomodo contemnerent. 20. F.
Quot naues habuerint quum bellum cum Corinthiis gerere cœperunt. 21. P. Quid fecerint post præsidia Epidamnum à Corinthiis missa. 21. P. M. F. Epidamniis bellum inferunt, ac Epidamnum obsident ibidem. Quid Corinthiis imperarint, ac minati fuerint. 22. F.
Corinthiis caduceatorem ad Actium ante constitutum præmittunt. 23. F.
Corinthios nauali prælio vincunt. 23. F. 24. P. Trophæum vbinã erexerint. & Corinthios quomodo tractarint. 24. P. Maris imperium Corinthiis superatis vbinam obtinuerint. 24. M. Societatem per legatos ab Athenienſibus petunt. 25. M. Eam ab illis impetrarunt. 35 f. Cur. ibid.
Corinthij. Nauium formam Corinthij primi feruntur immutasse, & ad eã, quæ nunc est in vsu, accommodasse. pag. 11. F. Pecunia præpotentes, adeò vt eorum vrbs à poëtis opulenta vocata fuerit. 12. P. Epidamnios cur in fidem, & clientelam receperint. 20. M F.
Corcyræos cur odissent. 20. F. 21. P. Epidamnum præsidia miserunt aduersus Coreyræos. 21. P. M. Bellum contra Corcyræos parant: & coloniam quã lege deducendam edixerint. 22. P. M. F.
Corinthiorum bellicus apparatus aduersus Corcyræos. 22. P. M. F. 23. P. M. F.
Corinthiis caduceatorem ad

Actium præmittunt ante conflictum, 23.f.
Cũ Corcyræis nauale prœliũ committunt, & vincuntur, 23.f. 24. P. Præsidiis Leucadem, cæterasq; ciuitates amicas tuentur, 24.f. Bellum aduersus Corcyræos instaurant, 24.m.f.
Corinthij cum Corcyræis, quibus aderant Athenienses, iterum nauale prœliũ cõmittunt, 36. m.f. 37.p.m.f. Exitus prœlij, 38. m. f. 39. p.m.f. 40. P. Quando, & cur Athenienses odio maximo prosequi ceperint, 78. M.
Cum Atheniensibus æquo Marte pugnant, 79. M. Grauissimã cladem ab illis vbi, quando, quomodo præter spem acceperint. 79. f. 80. p. à Thormione prœlio nauali superantur, 185.186. Quo stratagemate.
Cũ Athen. pugnant, & ab illis vincuntur, 336, 337.
Cor. quomodo maximum tumultum in Peloponneso excitarint, 434.
Corinthus, vrbs ad Isthmum sita, qualis & quàm potens, pag. 12. P.
Coronta. Fide: dubiæ homines ab Athen. euciuntur Corontis, 205.f.
Coryphasium, 304. P.
Cos Meropis. Astyochus Con Meropidẽ quomodo ceperit, ac diripuerit. 702. M.
Cranij, Cephalleniæ ciuitas. 139. M. 440. M.
Crissæus sinus, 80.f.
Crocylium Ætoliæ oppidum, 285.f.
Crommyo in agro Corinthiaco sita, 338. P.
Crudelitatis maximæ descriptio, 339.340.612.613. Vide seditio.
Cultus priscus Græcorum qualis, pag. 5. m.f.
Cuma Æolica. 229.P.
Cunctatio. Consultationi nullus locus est dandus in malis nullam cunctationem admittentibus, 50.f.
Cyclopes, 491.
Cydonia vrbs Cretæ. 188.f.
Cydoniatæ, 188.f.
Cyllene, Eleorũ nauali a. 24. M. Cur à Corcyræis incẽsa. ibid.
Cylonium piaculum à Cylone Atheniensi dictum. quale. 94. m.f. 95. p. m. f. 96. P.
Cynes Theolyti filius ab Ath. in oppidum Coronta reducitur, 205.f.
Cynurius ager. 345.P. 444.

Dea-

De agro Cynurio Lacedæmonij, & Argiui interse contendebant, & quomodo contentionem dirimendam vtrique censuerint. 444. f. 445. P.
Cypri multas vrbes Græci Pausaniæ ductu subegerũt. 72 f.
Cypro bellum inferunt Athenienses bellicig; apparatus descriptio. 83. f.
Cypsela. Munitionem in cypselis extructam Lacedæmonij demoliuntur. 438. M.
Cyrus. primus Persarum Rex, Cambysæ pater. pag. 12. m. cræsum profligauit, eiusq; res in suam potestatem redegit. 14. P.
Cythera. Insula agro Laconico adiacens, è regione Maleæ promontorij. 342. Huic Athenienses quando, cúrve bellum intulerint. 342. M. Quis fuerit huius belli exitus. 343.
Cytherij quando, quomodo, cur ab Athenienſibus ex suis sedibus in alias translati fuerint. 343.
Cytherodices Magistratus quis diceretur. 342. f.
Cytinium. 80. M. Cytinium Doricum. 285. P. 289. P.
Cyzicum Athenienses quando, quomodo receperint. 762 f.

D

Darius. Hic post Cambysem regnum Persarum obtinuit. pag. 12. f. Phœnicum classe victor varias insulas in suam potestatem redegit. 14. P.
Darius alter. Artaxerxis filius. 676.
Dascon. 549. f.
Dascylitis prouincia. 98. P.
Daulia vrbs in agro Phocensi. 138. M. hinc Daulias auis appellata, quæ luscinia vocatur. ibid.
Decelea. Alcibiades Lacedæmonios suadet, vt Decelean aduersus Athenienses muniant, firmoq; præsidio tutentur. Cur. 574. f. 575. p. f. Quando, & quomodo à Lacedæ. munirí cœpta. 602. 603. Quantum ab Athenis distaret. 602.
Decelea munitio quantum detrimentum Athenienſibus dederit, 610. p. m. f. 611. 612.
Decemuiri quando, quorum suasu, quomodo, legũ

conscribendarum causa Athenis creati. Eorum nomina, potestas, & res ab ipsis gestæ. 724. 725. 726. 727. & d.

Defectio. Quibus de causis Græci plerique defectionem ab Athenienſibus fecerint. 75. M.

Defectionis, quam vel ſocij à ſociis, vel ſubiecti à domino faciunt, variæ cauſæ. 75. M. F. 212. 213. 214. 215. 216.

Defectionem qui ab aliis faciunt, quales exiſtimentur ab illis, qui vel in ſocietatem, vel in fidem illos recipiunt. 212. F. 213. P.

Defectio de quibus propriè dicatur. 236. M.

Delium, Apollinis templum in agro Tanagræo ſitum. 362. ab Athenienſibus quando, quomodo, cur munitum. 372. 373. à Bœotis acriter oppugnatur 381. Quando ab illis expugnatum, ac receptum. 382.

Delos ab athenienſibus olim luſtrata. pag. 6. F. Ærarium pecuniæ à Græcis collatæ, ibi ab athenienſibus quando, & cur conſtitutum. 74. P. In eius templo conuentus fiebant. ibid. Quando primum tremuerit, cum prius eſſet immota. 121. M. Quando, quomodo cur iterum ab athenienſibus luſtrata. 290. F. 291. 410. M. In Delo quomodo magnus conuentus, atq; celebritas olim fieret. 291. P. 292. P.

Deliaci ludi quando primùm ab athenienſibus inſtituti. 291. P. Quales. ibid. & 292.

Deliy quando & cur ab athen. ex inſula Delo ſummoti. 410. P. Quonam ſe receperint. 410 M. Quando, & cur ab athen. in patriam reducti. 437. P.

Delphinium, locus à Chio non procul diſtans, portus habens, & à terra munitus, 700. 702. ab athen. cur munitum. 700. 702.

Demiourgi 452. P.

Democratia quid. eius laudatio. 143. F. 144. P. 145. 146. & d. 528. 710. 741. 744.

Democratia cur ad imperium in alios obtinendum minimè ſit apta. 233. M. & 235. 236.

Demo-

Demosthenes Alcisthenis filius 281. P. Ob clademin Ætolia acceptam athenas redire non audet: sed apud Naupactum, & in illius regionis locis remanet. 287. Totius socialis exercitus dux electus. 293. F. Qua ratione prioris cladis infamiam deleuerit, ac tutiorem in patriam reditum sibi pararit. 299. F. Post suum in patriam reditum vitam priuatam degebat. 303. In Pylo aduersus Lacedæmoniorum oppugnationem tuenda quomodo se gesserit. 307. 308. 309 310. In Siciliam quando, cur, cum quibus copiis ab athenienſi populo missus. Et res illic ab eo gestæ. 600. 601. 603. 624. 625. 626. 627. & deinceps. In Sicilia quãdo, quomodo, cur, & à quibus post deditionem factam interfectus fuerit. 669. F. 670. P.
Derdas. 43. P. Res ab eo gestæ. ibid. & 44. M.
Derdas quisnam esset, vide annot. 3. græcorum schol. pag. 38.
Derdæ fratres. 44 M.
Diasia. maximus Iouis Meilichij dies festus. 95. P.
Dicere. Quod potuit ab illis dici, qui in capitis periculo versantur nisi dictum fuerit, hominibus præbet occasionem existimandi, hoc ipsum si dictum fuisset, salutem illis dare potuisse. Quare salutis tuendæ causa nihil intentatũ nobis esse relinquendum. 250. F. Hominibus in minimè dubio capitis periculo versantibus, & causam agentibus, dicendi finem facere cur sit acerbissimum. 256. M. F.
Dicidienses, qui montem athon incolunt, ab atheniensibus ad Chalcidenses deficiunt. 477. F.
Didyme, una ex Æoli insulis. 279. M.
Diemporus Onetoridæ filius. 115. F.
Dij, ijdem & Macharophori, quinam essent, ac vbi habitarent. 199. F. 609.
Diodotus Eucratis filius. 239. F.
Diomedon athenienſium dux. 689. M.
Diomilus andrius exul. 579. P. Is præhenditur. 579. F.

Dion, oppidum Macedoniæ, 364. m, 388, f.
Dionysiacum Theatrum vbi situm, 750. m,
Discordia quot, & quantorũ malorum causa, 169. p, m, f. 748. In animorum discordia, factorum etiam diuersitas existit, 213, M,
Discordia ciuilis, ac inteſtina quot, & quantorum malorum causa, 265, f. 266, 267, 268, 269, 270, 271, 272, 273, 274, 275, 276, 277, 347, 348, 349.
Dissensionis inter Lacedæmonios, & Athenienses exortæ causa, 77. P,
Dobrus vrbs Pæonica, 202. P,
Dolopes insulam Scyrum in Ægæo sĩ incolebant 74. f.
Dolor quando, curve nos vehementer premat. 150. f.
Dona. Donorum dandorum, & accipiendorum lex quænam apud Odrysas esset, 201. P.
Dorcis Lacedæmonius, 73, M,
Dorienses quando Peloponnesum tenuerint, 11, P,
Dor. Lacedæmoniorum Metropolis, 80, M, 282
à Phocensibus bello premuntur & quis fuerit exitus belli, 80. m. f.
Dorieus Rhodius, 212. f, 738. M,
Dorieus Diagoræ filius, 691, P, 738. M.
Drabescus Edonica, 76, M,
Dyme, 187, M,

E

Echinades insulæ, quæ, & vbi sitæ, 206, P, M,
Eetionea, 747. f. quid, 738, P, 749,
Egesta vrbs Siciliæ. 492,
Egestæi cur bellum cum Selinuntiis gererent, 495. f, 496, P,
Egestæi quanam fraude legatos Athenienſium deceperint, vt illis persuaderent maximam cum publica, tum priuatæ pecuniæ vim sibi ad bellum gerendum esse, 533.
Eionem ad Strimonem fl. sitam, à Medis occupatam Athenienses duce Cimone Miltiadis filio obsident, expugnant, diripiunt & incolas in seruitutem abducunt, 74. f,
Eionem in Thracia sitam, Mendæorum coloniam, Athenienses per proditionem capiunt: sed paulo post ab hoste pulsi, multisq; militibus amissis eam dese-

deſerunt. 305.
Eleatis agri Theſprotici pars, 36. M.
Eleicur agrum Lepreatarum vaſtarint. 436.
Eleuſin Atticæ oppidum, 85. P.
Ellomenum 283. f.
Eloquentia ſæpe maiora damna, quam commoda ciuitatibus affert. quomodo. 234. p. m. f. 235. 240. m. f. 241 242.
Eloquentes homines quomodo Reſpub. euertant, 234. p. m. f. 235. 238. M. 240. 41. 242.
Elymi quinam dicerentur, 492. P.
Embatus Erythreæ, 228. M.
Endius Ephorus Spartanus, cur Alcibiadis filius appellatus, 677.
Enipeus Theſſaliæ fluuius, 363. f.
Eordia regio, 203. P.
Eordi, 203. P.
Ephori. Vel ipſum Lacedæmoniorum Regem in carcerem coniicere, per patrias leges ipſis licebat, 99. M.
Ephyre. Vrbs ſupra portum Chimerium in agro Theſprotico ſita, 36. M.
Epidamnus vrbs, eius ſitus & conditor, 19. M. Eius magnitudo, frequentia, ſeditiones, 19. f. à Corcyreis obſidetur, 21, f. 22. P.
Epidamnij. à finitimis barbaris bello vexati quid fecerint, 19. f. 20. p. Corcyræorum auxilium implorant, nec impetrant. Quare conſulto prius oraculo vrbem Corinthiis dedunt, 20. P. M.
Epidamnij exules orant Corcyræos vt in patriam ſe reducant, 21. m. f.
Epidamniis Corcyræi bellum inferunt, 21. f. à Corcyræis qua conditione ad deditionem redacti, 24. P.
Epidaurus Peloponneſi vrbs. 159. f. Ab Athen. fruſtra oppugnatur, 159. 160.
Epidaurus Limera, 345. P. 587 609.
Epidaurum Alcibiades, & Argiui occupare conantur. Cur, 456. 458. f. Lacedæmonij clam Athenienſibus præſidium huc mittunt. 458. Ab Eleis, & Athen. inuaditur, & circumualatur. 473.

Epidaurij. Quando bellum, & cur inter Epidaurios, & argiuos gestum fuerit. 456. 457. 458. Quando, cur, quomodo irruptionem in agrum argiuum fecerint. 473. M.
Epidemiourgi. Magistratus quidam sic appellati, quos Corinthij quotannis Potidæam mittebant, vt ciuitatem gubernarent. 42. F.
Epipolæ. 556. F. Vbi sitæ, quales, vnde sic appellatæ. 578. M. F.
Epistates quisnam athenis vocaretur. 395.
Epidatas Molobri filius. 307. M. In insula Sphacteria ab athenien sibus casus 333 P.
Epitelidas Hegesandri filius. 408.
Equites. Quot equites essent athenien sibus quum bellum contra Laced. susceperunt. 127. F.
Equites 600 in Sicilia ab athen. vnde, & quomodo collecti. 580. P.
Eræ, vrbs. 686. F.
Eressus, Lesbi vrbs. 220. M. ab athen. deficit. 756.
Eretrienses. Cum Chalcidensibus bellum gesserunt. 13. F.
Erineum. 30. M. achaiæ oppidum. 617. P.
Erineus, Siciliæ fluuius. 665. F. 667. P.
Erythræ. 225. M.
Eryx, vrbs Siciliæ
Euarchus tyrannus. 139. M. astacum (vnde ab athen. vrbe capta pulsus fuerat) quomodo redierit 140. M.
Euboea. ab athenien sibus quando defecerit. 84. F. ab illis tota subigitur 85. M In Lacedæmoniorum potestatem quando & quomodo venerit. 753.
Euenus fluuius. 185. F.
Euesperitæ 633. F.
Eupolium Locridis. 285. F.
Eupolpidas Daimachi filius. 221. M.
Eurycium. 579 M.
Europus oppugnatur: at expugnari nequit. 203. F.
Eurylochus Spartanus. 288. M In prælio cum athenien sibus, eorumq, sociis commisso cadit. 295. P.
Eurymachus Leontiadæ filius. 116. P. à Platæensibus cur cæsus. 119. F.
Eurymedon Pamphyliæ fluuius. 75. F.
Eurymedon Teuclis filius, attica classi prætor. 271. F. 301.

F. 301. Pecunia cur ab athenienſibus mulctatus. 352. M. In Siciliam quando cur, & cum quibus copiis ab athenienſi populo miſſus. Et res illic ab eo geſtæ. 600. 624. 625. & deinceps
Euryſtheus in attica ab Heraclidis cæſus. pag. 7. F.
Eurytanes. 284. F.
Exercitus. ſæpe magnus exercitus ab exigua militum manu quomodo vincatur. 123. F. 193. P.
Exercitus Athenienſium quis, ubi, quando maximus in vnum fuerit collectus. 139. F. Sæpe magni exercitus incertis de cauſis ſubitò terrentur, & in fugam ſe conticiunt, licet nullus hoſtis illos adoriatur, aut perſequatur. 401. P. 665. P.
Exercitus Græcorum quandonam omnium maximus, ac pulcherrimus in vnum conuenerit. 461. F.
Exercitus Lacedæmoniorum, paucis exceptis, ſunt duces ducum, & alij aliis imperant. vnde fit, vt Regis imperata celeriter per totum exercitum à primo ad nouiſſimum agmen ordine progrediantur. Modus 466. F. 467.
Exercitus omnes quibus ſtratagematis vti conſueuerint. 469. M. F.
Exercitus Athenienſium terra, mariq; ſuperatorum qualitas, & magnitudo. 659. M.
Exercitus Demoſthenis quantus eſſet, cur, & quibus conditionibus ſe Syracuſanis dediderit. 667.
Exercitus Athenienſium qui Sami erant, cur ab Athenienſibus, qui Athenis erant, diſſentiret. Vtrorumque conſilia, dicta, facta, conatus. Et quis fuerit harum diſcordiarum exitus. 732. 733.
Expeditio Troiana qualis, & quanta. pag. 8. M. 9. M.
Expeditiones ſuperiorum ſeculorum quales. pag. 8. M. 13 F.
Expeditionis ab Athenienſibus, eorumq; ſociis in Ægyptum ſuſceptæ, qualis fuerit exitus. 82. P. M. F. 83. P. M.
Expeditio in Siciliam ab Athen. facta, qualis. 169. P. Exitus infelix. 169. M.

Expostulatio. Quid, & in quos locum habeat. 51. f.

F

Facilia. Homines facilia sectantur, difficilia fugiunt. 17. P.
Fama. Rerum olim gestarum famam homines quomodo accipiant. 16. M.
Fax. Qui noctu facem accensam gestat, alios non tam facile cernit, quàm ab ipsis cernitur. 224. f. 225. P. Vide Lumen,
Felici bellorum successu extolli non oportet. 89. f. Vide successus. 315. 316. 421. 422. 502. M.
Felicitas repentina plerunque parit insolentiam. 236. f. 315. 316. Felicitas quænam sit stabilis. 236. f. 237. 316. Felicitas, quæ nobis præter omnem expectationem contigit; facit vt difficillima quæque à nobis facilè confici posse credamus. 352. M.
Ferrum, & arma quis in Græcia primus deposuerit, vt delicatius vitæ genus coleret. pag. 5. f.
Festus dies. Festum diem Athenienses quid esse doceant. 53. T.
Festus dies maximus Iouis. 94. f.
Festus dies maximus Iouis Melichij. 95. P.
Festorum dierum nimis superstitiosa obseruatio quot clades Lacedæmonijs attulerit, 304. 305. 477. 478.
Fides. Nuntijs quibuslibet haud inconsideratè fides habenda. 548. f.
Flamma. Quoties flammarum eructatio in Sicilia ex Ætna monte contigerit. 301.
Fœdifragi quinam censendi, 54. M. 93. P.
Fœdus inter Athenienses, & Argiuos initum. 450. 451. 475. 476.
Fœdus. fœdus quinquennale inter Peloponnesios, & Athenienses initum. 83. f. fœdus tricennale inter eosdem quando, quibusve conditionibus initũ. 85. M.
Fœdus inter Acarnanes, & Amphilochos initum tempus, conditiones, 300. P.
Fœderum faciendorum formula, 424. 425. & d. 450. 451. 452. 475. 476.
Fœderain Athenienses, & Lace-

Lacedæm. inita, quando, & cur aperte rupta. 120. M. 431. P.

Fœdus inter Athenienſes, & Lacedæm. initum, 424. 425. & d. Quandiu fœdus hoc, & quomodo ſeruatum durarit. 430. f. 431.

Fons ἐννεάκρουνος & id. eſt. nouem fiſtulas habens. qualis, ubi, quando, quorum iuſſu ſic extructus. antè Callirroe dictus. Vſus eius aquæ quis. 129. m. f.

Fontes, Amphilochiæ locus, 292. M. 293. M

Formidabiles hominum vires quænam exiſtimari ſoleant, 501. 524. 535. 604. P. M. 624. f. 625.

Fortitudo ſine arte parum prodeſt. 190. f.

Fortium virorum officium. 89. F. 308. f. 309. 374. 375. 402. 403. 416. f. 646. 652. 653.

Fortiſſimus quisnam ſit cenſendus. 146. f. 148 f. 149. P.

Fortuna. Fortunæ caſus, & rerũ euentus incerti. Quare verbis exprimi nequeũt, 65. P. 315. 316. 350.

Fortuna quot, & quantorum malorum, & quomodo ſit autor. 244. P. M. In ſecunda, vel aduerſa fortuna quomodo vir ſapiens ſe gerere debeat. 315. 316.

Fortunæ quanta ſit vtilitas, ac potentia. 350. M. Fortunæ ſecundæ in aduerſam inſperata mutatio, quã grauis eſſe ſoleat. 660.

Foſſa. Quinam, quado, cur a Lacedæmoniis, & Athenienſibus in profundas foſſas deiecti. 170. f. 171. P.

Foſſa Regis Perſarum. 388.

Fraus. Illius, qui ampla dignitate ſunt præditi, turpius eſt ſpecioſa fraude res ampliſicare, quam vi aperta. Cur. 370.

Fretum Siculum cur ſæuum appellatum fuerit, 320. M.

Funebris oratio, quam Pericles habuit, vt laudaret eos, qui pro patria pugnantes in bello Peloponneſiaco primi fortiter ceciderant, 142. 143. 144. 145. 146. 147. 148. 149. 150. 151. 152.

Furtum. Belli furta, fraudesque, quibus hoſtes ſuperantur, pulcherrimam gloriã ducibus aſſerunt. 416. f.

Futurorum euentus eſt incertus. 489. P.

G.

Gampselus Thasiorum colonia 386. a Cleone quando fuerit expugnata. 413. f.
Gela quando, & à quibus condita. 494. Vnde dicta. ibid.
Gelo Syracusanorum Rex. 493. f. 495.
Geraneæ iugæ. 79. P.
Geranea mons in agro Megar. situs. 357. P.
Geranea transitu difficilius Atheniensium præsidio custoditur. 80. f.
Getæ Scythis finitimi, cultu similes, omnes q; hippotoxotæ. 199. f.
Goaxis liberi cum Braure, Pittacum Edonorum Regem cædunt. 386.
Gongylus, 97. M. 589.
Gortynia, vrbs. 203. f.
Græci. 200. P.
Græcia, quæ nunc ita vocatur, quomodo olim habitata fuerit, pag. 2. P.
Græcia propter assiduas incolarum migrationes olim in omnibus partibus crescere non potuit æquè, ac Attica, quæ migrationibus ob agri sterilitatem non erat obnoxia, pag. 3. P. Ante bellum Troianum nihil coniunctis opibus gessit. 3. M. Quando colonias emiserit. 11. M.
Græci prisci quo vitæ genere vsi fuerint. pag. 6. M.
Græci quomodo ad Troianam expeditionem sint profecti. pag. 7. M. Ad Troiam appulsi quid gesserint. 10. P. M.
Græci Quando classem parare, rebus q; maritimis operam serio dare cœperint. pag. 11. f. Latrocinia ex mari quando, & quomodo sustulerint. 12. P. M. Quomodo bellum olim gererent. 13. f. Quando curve post barbaros communibus auspiciis, armisq; ex Græcia pulsos, partim ad Athenienses, partim ad Lacedæmonios diuisi transierint. 15. M. Res à Græcis contra Græcos, aut barbaros gestæ, fermè intra quinquaginta annos à Xerxis discessu vsq; ad belli Peloponnesiaci initium sunt confectæ. 87. f.
Græcorum ab Ilio seruis in patriam reditus res multas in Græcia ciuitatibus innouauit. pag. 10. f. 11. P. Turpius est non referre

ferre similem gratiam, quam referre eam, quæ iuste quidem debetur sed tamen iniuste refertur. 259. f.
Grestonia. 203. P.
Gylippus Cleandridæ filius in Siciliam à Lacedæmonis mittitur, vt Syracusanis cæterisq; sociis in bello adnersus Athenienses gerendo præsit. 576. f. 577. In Siciliam quando, & quomodo nauigarit. 586. 587. Res illic ab eo gestæ 588. 589. 590. & deinceps. 603. 604.

H.

Halex fluuius. 288.
Haliensis ager. 106.
Halys fluuius. 14. P.
Harmodius. Hipparchum Harmodius, & Aristogiton interfecisse creditur. 16. M. Quando, quomodo, cur hoc ab istis ausum fuerit. 538. 539. 540. 541. & d.
Hegesandridas Hegesandri filius. 746. f. 747. P.
Hegesippidas Lacedæmonius. 455. f.
Helimiotæ, Macedoniæ populi 262. M.
Hellanicus quis, & res ab eo scriptæ quales. 74. f.
Hellas ante bellum Troianum nihil coniunctis opibus communiter gesit. pag. 3. P. pag. 4. M.
Helladis nomen olim vniuersæ Græciæ non erat commune. pag. 3. M.
Helladis nomen ab Hellene Deucalionis f. deductum. ibidem.
Hellenes, qui græcè Ἕλληνες, ab Hellene D. f. sic appellati, quando, quomodo, cur. pag. 3. m. f.
Hellenes) (barbari. ibid.
Hellenotamiæ, quis Magistratus, ubi, quando primum, cur, & à quibus constitutus. 74. P.
Helorina via. 550. P. 553. f. 665. P.
Helotes à Lacedæmonis deficientes Ithomen secesserunt. 76. m. f. Cur Messenij fuerint vocati. ibid.
Helotibus Lacedæmonij, sociorum auxilijs assumptis bellum intulerunt. 76. f. 77. p.
Helotum magna pars ad militiam ex agro Laconico cur à Lacedæmonis emissa. 365. 366.
Helotum ad duo millia cur Lacedæmonij per insignem

fraudem de medio clàm sustulerint, 365.366.
Heracleam in agro Trachinio sitam quando, cùrve missa colonia Lacedæmonij condiderint. 282. P. 363.
Heraclex vrbis conditores. & coloniæ eò missæ duces. 282. F.
Heracleotæ quando, cur, à quibus prælio superati, 282, 283.
Heracleam Bœoti quando, & cur in fidem suam recepe-rint. 455. F.
Heræenses. 467. T.
Hermæonidas Thebanus. 211. P
Hermionensis ager, 160. P.
Hermocrates Hermonis filius, Syracusanus, concione Siculos ad reconciliationem inter se faciendam adhortatur, 346. & deinceps.
Idem Syracusanos hortatur ad se præparandum aduersus infestum Atticæ Hipparchus, & Thessalus Hipclassis aduentum, 520. 521.
Vir prudentissimus Syracusanos, qui cladem ab Athen. acceperant, consolatur, & quid in posterum sit faciendum demonstrat, vt hostibus resistatur. 554. 555. & d.
Hermocrates quo stratagemate copias Atheniensium nauali prælio superatas, ac alio proficisci cupientes, in eodem loco retinuerit vt eas si posset, funditus deleret, 656. F. 657. P.
Hermocrates quando, & cur Syracusis exularit. 739. F.
Hesiodus in Iouis Nemæi templo creditur obisse, 285. F.
Hesiq, 288. F.
Hesti æenses. Ab Athen. sua sede pulsi, 85. M.
Hiera, vna ex Æoli insulis, vbi Vulcanus artem fabrilem exercere credebatur. 279, M.
Hierenses, 282, T.
Himera Siciliæ vrbs, 495, P.
Hipparchus tyrannus. à Harmodio & Aristogitone cæsus vulgò putatur. 16, M.
Tempus, modus causa, 538. 539. 540, 541. & d.
Hipparchus, & Thessalus Hipparchi fratres, 16, M.
Vir prudentissimus Hippias. Pisistrati filius natu maximus, 16, M. 538. 539. 540.
Hipparchi, & Thessali frater, 16, M. Hippias quomodo in sua tyrannide se gesserit, 542. 543. 544.

Quis fuerit eius vitæ finis 543.
Hippias Arcadum dux per insignem fraudem à Pachete classis Atticæ prætore sagittis confossus. 231, M. F.
Hippocrates Ariphronis filius, 353. à Bœotis in prælio cæsus, 382.
Hippotoxotæ qui, & quot belli Peloponn. initio Athenienſibus eſſent, 127, F.
Hiſtoria Thucydidis qualis, 18 p. m. ſ. Hiſtoriæ Thucydideæ anni quomodo ſint ſpectandi, ac numerandi. 427. M. F.
Homeri verſus, 291.
Homines. Alius alij ſunt ſimiles, nec magnum eſt inter eos diſcrimen. 65. P. M. Quis præſtantiſſimus ſit cenſendus, 65. M. Homines quando, curve conceptam de ſe opinionem amittant, animumq; deſpondeant, 648. M. F. Ingenioſiſſimorum hominum pulcherrima deſcriptio, 105, M. F. Homines inopes. ad bellum gerendum, corporibus, quam pecuniis, ſunt promptiores. 109, M. Cur. ibid.
Hominis in Repub. regenda ſapientiſſimi deſcriptio. 134. P. M. 168. P. M. F.
Homines, quod cupiunt, id etiam ſperant, quod nolunt, id etiam non credunt. 387, 489, P.
Honores. maximis periculis hon res maximæ parantur, 113. F.
Honoris ſtudium non ſeneſcit, 151. M.
Hoſtis quis cenſendus, 33. F. 34. P. F.
Hoſtis non ſolùm pro maleficiis ſed etiam pro conſiliis adverſus nos initis eſt ulciſcendus, 527, F.
Hoſti quomodo maximè nocere poſſimus, 574. F.
Hoſtis metuentis, & hoſtem expectare non audentis indicium, & argumenta, 418. F.
Hyæi, 288. F.
Hybla; urbs in Sicilia, 547 P.
Hyblon Siculus Rex, unde Hyblæa Megara. 493. F.
Hyccara, Sicanicum oppidum, 546. M.
Hylias fluuius, 618. F.
Hyllaicus portus, 267. F. 272. P.
Hyperbolus, ciuis Athenienſis, quando, cur, & à quibus Sami cæſus. 729. M.

Hyſiæ. 225. M.

I

Iapygia promontorium. 517. 523. 616.
Iaſus, Ioniæ oppidum locuples à Peloponneſiis captum, ac direptum. 693. f. 694. P.
Iberi belliceſiſſimi. 573. P.
Icarus. 228. M.
Idomene per vim à Thracibus capta. 203. f.
Idomene ſunt duo excelſi tumuli, quorum vnus eſt maior, alter minor. 297. P.
Iegæ, Siculorum munitio. 589. f.
Ignis riuus ex Ætna monte quando fluxerit. 301. Quid damni regionis incolis dederit. ibid. Quoties in Sicilia hoc contigerit 301.
Ignoſcere. Quibus ignoſcendum, ſi peccarint. 237. f. 238. 380. P.
Imbecillior. Imbecillior, potentiori, iure naturæ parere debet. 58. f.
Impedire. qui, cùm poſſit, malum non impedit, malus eſt autor potius, quàm qui id facit, nec ab eo impeditur 50. M.
Imperare. Iure naturæ, potentiores infirmioribus imperare ſolent. 486. P.
Imperatoris officium. 416. 417. 418. 651.
Imperiti quomodo Rempub. ſæpe melius adminiſtrent, quam periti. 234. p. m. f.
Imperium ab hominibus cur pertinaciſſimè retineatur. 58. f.
Imperium. Imperium ſemel acceptum, ac ſuſceptum poſtea deponere periculoſum. 58. p. m. f. 165. M. 233. f.
Imperium Athenienſium quod, & quantum eſſet. 164. P. M. 166. M. Quando, quomodo, cur ſuum imperium amiſerint. 169. p. m. f.
Imperium quomodo retineri diu poſſit. 246. M.
In imperio quomodo nos gerere debeamus. 59. P. M. 508.
Imperio quinam à nobis premi ſoleant. 348. f. Qui imperium in alios affectant, non tam vituperandi, quam illi, qui per ſuam ſocordiam ad illorum imperata faciendum ſunt parati. Cur. 348. f.

Inarus Psammetichi filius, Rex Afrorum. & res ab eo gestæ, 78. M.
In crucem actus, 82. f.
Incendij maximi descriptio, 179. P. M. F.
Inducie inter Athenienses, & Lacedæmonios annuæ cur, & quando factæ. 393. M.
Inducierum factarum formula, 394. 395. 396. Inducie decemdiales, 431. F.
Infamia. Perpetrati facinoris infamiam delere difficillimum est, 254. F.
Ingenij præstantissimi descriptio, 105. m. f. 168. p. m. f.
Inimicitiarum, quæ cum hoste geruntur, deponendarum, ac firmæ reconciliationis vera ratio, 316. 317.
Inimicus quis censendus, 33. f. 34. p. f.
Iniuria. Nullam iniuriam aliis inferre quid boni nobis afferat. 34. F. Iniuria, & vis quid faciant, 60, P. Vtriusq; discrimen, & effecta, ibid.
Inopinata mala magis nos terrent, quam præuisa. 524. 535.
Instituta. Instituta varia, variis ciuitatibus conueniunt, nec omnibus omnia conducunt. 53. F.
Iusulæ, continens factæ, quæ. 206. P. M.
Inuadere. Quinam sint illi, quos infestis armis hostes confidenter inuadere solent. 374. F. 375.
Inuidia. Qui maximarum rerum gratia susceptit inuidiam, is recte sibi consulit. 166. F. Cur. ibidem. Inuidiæ quinã, & quandiu sint obnoxij, 505. F. Vide Iuniones magnam classem Cyri temporibus sibi pararunt. pag. 12. M.
Ipnenses. 288. F.
Ira. Quando potissimum homines ira ferantur ad certamen, 124. M.
Irruptio. Prima Lacedæmoniorum in Atticam irruptio, quo duce, quando, quomodo facta, 85. P. 125. M. F. 131. P. 132. P. Quid damni in hac irruptione datum Athenientibus, & quam diuturna fuerit. 135. P. M. Secunda Lacedæmoniorum irruptio in Aticam, 152. p. m. f. Quandiu in hac Lacedæmonij manserint, & quibus maleficiis Atticam afficerint, 160. M. Tertia irruptio in

Atticam à Lacedæmoniis, duce Archidamo facta, 207. f. Quam diuturna fuerit, 208. p. Quarta irruptio, 226. f. Hæc fuit omnium grauissima. cur. 226. F. Quinta, 292. M. Sexta. 303. 305. Septima, 602. P.

Isarchidas Isarchi F. 23. M.

Ischagoras Lacedæm. 408.

Isocrates dux Corinth. 186. P.

Istone mons Corcyræ. 278. p. 338.

Italiæ. 78. F.

Italia ab Italo Arcadum Rege dicta. 492. M.

Itamanes quis, & res ab eo gestæ. 231. p.

Ithome à Lacedæmoniis obsidetur. 77. P. Quando, cur, quibusve conditionibus se Lacedæmoniis dediderit. 77. F. 78. p.

Ithomita Iupiter, 78. p.

Itonenses, 413. F.

Ityi. 138. M.

Indicare. Si in ciuitate tam illi, quibus aliquid persuasum fuerit, quam illi, qui hoc ipsis persuaserint, aque plecterentur, omnes ciues, prudentius iudicarent, 242. p.

Iuniores à Reipub. administratione cur arceri soleant, 527. f. 528. p.

Iupiter. Iupiter Ithomita. 78. P.

Iurisiurandi, quod in fœderibus faciendis iurabatur, formula, 426. F. 452. P.

Ius. De Iure inter quos oratione disceptari soleat, 481.

L

Labor. Homines sunt laboris impatientes. 17. P.

Lacedæmon, siue Sparta quando condita, & quomodo condita, ac habitata. pag. 8. F. 9. p. à Dorensibus condita: seditionibus diuturnis conflictata: bonis legibus vsa: tyrannidi semper immunis 14. F. Lacedæmonij quo vestitus, victus, cultuque genere sint vsi. pag. 5. F. 6. p. Primi corpora nudarunt, & certaturi corpus vnxerunt. pag. 6. P. Duas Peloponnesi partes obtinebant, totiusq; principatum habebant, multique socios extra Peloponnesum imperabant, 9. p. Plerosq; tyrannos ex Græcia sustulerunt. 14. f. Cur Græcorum contra barbarum duces olim creati, 15. p. Lacedæmoniorum

vrbs, & potentia qualis, & quanta. pag. 8. f. p. Administrandæ Reipub. forma, qua vtebantur, potentiæ partæ causa. 14. f. Lacedæmoniorum Reges in suffragiis ferendis quot calculis vterentur. 16. F. Quando ab Athenienſibus diſſociati bellum inter ſe cum ſuis vtrique ſocijs gerere cœperint. 15. f. Quomodo vtriq; in eo ſe geſſerint, ibid. & 6. p. Quomodo ſocijs imperarint, ibid. Bellum Athenienſibus illaturi, legitimũ ſuæ gentis. concilium conuocant, vt in eo cũ ſociis hac de re conſulteẽt. 49. p. Cur non facile crederent ea, quæ de Athenienſibus à Corinthijs dicebantur. 49. M. Lacedæmonij cunctatores, & hoſtes cunctatione vlciſcebantur. 51. P. Lacedæmonij voce, non calculis ſuffragia ferunt. 66. f. 67. P. In bello contra Medos gerendo Græcis præfuerunt. 60. M. à ſuarum concionum conſultationibus vulgus, & peregrinos arcebant, ſoliq; conſultabant. 61. M. Ab Athenienſibus quando, & cur diſſentire, cœperint. 77. p. m. Ad bellum tardi, nec ad id niſi coacti proficiſci ſolebant. 88. p. Bellum Athenienſibus illaturi, oraculum conſulunt. 88. m. Ad bellum aduerſus Athen. quando primum ſtrenuè ſe parare cœperint. Modus, ſocietates. 121. m. f. 122. p. 638. 639. 640. 641. 642. Cur plerique Græciſe Lacedæmonijs potius, quam Athenienſibus adiunxerint. 121. m. f. Lacedæmonij Pylum oppugnant, vt eam recipiant: ſed fruſtrà, clademq; grauem illic ab Athen. accipiunt. 310. 311. 312. 313. 314. Lac. quales eſſent erga ſe ipſos, & domi, & quales erga alios, & foris. 486. Lacedæmonij quando, cur, quibus conditionibus ſuas naues quas ad Pylum habebant, Athenienſibus tradiderint. 314. Cur has Athenienſes ipſis poſtea reddere noluerint. 319. Quando primum præter ſuum morem ęquitatu ſint vſi. 344. p. Quado primũ, & cur vehemẽtiſsimè timuerint, & ad bellũ ſegniores redditi fuerint. 344.

Quando, & cur aditu ad Iouis Olympij templum ab Eleis prohibiti. 453.454. Maximo timore percelluntur, 466. F. Lacedæmonij donec hostem in fugam verterint, acriter pugnant, fugatum verò, longè non persequuntur, 472. p. Lac. quando, & quomodo infamiæ notam, propter cladem in insula Sphacteria acceptam, sibi ab vniuersis Græcis inustam deleuerint, 473. P. Lacedæmoniorum, & Athenienſium collatio: ingenium, mores, institutа, studiaq, vtriusque ciuitatis, 52. p. m. f. 53. p. m. f. 60. m. f. 145. 146. 147. Lacedæmoniorum institutа aliis sunt ignota, Cur. 467. f.

Lacedæmoniorum vires quales, quantæ, & aduersus quos potissimum valerent, 61, f. 486. Lacedæmonij quomodo non essent nimium incommodi Athenienſibus aduersarij, 753. Lacedæmoniorum instituta, & disciplina, qualis, 65. p. m. f. 145. 146. 486. Lacæd. in festis agendis superstitio, quæ magnas clades ipsis attulit, 304. f. Lac. arrogantia, & contemptio, qua hostes, eorumq, conatus contemnebant, vnde sæpe clades accipiebant. 304, 305. Lac. naues ab Athen. in Præo, agri Corinthiaci portu obsidentur, 680, 681.

Laches Melanopi filius, 278

Lada. 689. P.

Læstrigones, 491.

Lamachus Atticæ classis dux, 361. Vbi, quando, quomodo suam classem amiserit. 361. In prælio à Syracusanis cæditur, 583. F.

Lampsacum, 106. P. pro vino Themistocli datum. ibid.

Laodicea in Oreſtide sita. 403. P.

Latmos insula, 230. F.

Latrones ex mari Græco à Minoe sublati. pag. 4. F. 7. P.

Latrocinia tam à Græcis, quàm à barbaris olim exercebantur, nec ipsis turpe censebatur, neq, cum contumelia exprobrabatur, imo verò gloriosum habebatur, siquis Latrocinia egregiè exercere nouisset. pag. 4. f. pag. 5. p. Latrocinia cur olim exercerentur.

tur. pag. 4. F. Latrocinia quinam potissimum exercerent. pag. 6. F. à Græcis quãdo, & quomodo sublata, 12. P. M.
Laudare. Viros fortes, qui pro patria pugnantes cecidêrunt, verbis laudare cur periculosum censeatur, 142. p. m. f. Laudationis modus difficilis. cur. 142. p. m. f.
Laudes, quæ aliis tribuuntur, quatenus tolerabiles censeantur. 142. m. f. Laudare mortuos cur soleamus, 151. m.
Laurium, mons. 159. p. 575. p.
Leæi, 199. F.
Lecythus, 391. p.
Lecythum Brasidas oppugnat, ac expugnat, 392. 393. Lecythum Brasidas euertit, ac reficit, & Palladi, vt victoriæ autori, dicat, 393
Legati Lacedæmoniorum ad Persarum Regem euntes, quomodo, quando, cur, vbi, à quo capti, Atheniensibus traditi, Athenas delati, & capitis supplicio affecti, 170. p. m. f.
Leges. Respub. quæ malis: at immotis legibus vtitur, est ea præstantior, quæ bonis: at mobilibus vtitur. 234. p. Ex bonis legibus, si immotæ seruentur, communis omnium salus pendet. quomodo, 277. F. Lex de potentiorum imperio in infirmiores qualis sit, 486. F.
Lenitas quibus tribuenda, 238. m.
Leo, quidam Siciliæ locus, 579. m.
Leocorium fanum, 16. F. 542. P.
Leon Athenienſium dux. 689.
Leontini, & Syracusani cur bellum inter se gesserint, & quibus in eo sociis vtrique sint vsi, 278. m. Leontinorũ seditio quẽ exitũ habuerit, 412. Leontinorum potentissimi quiq; quando, quomodo, cur vrbe sua vastata Syracusas migrarint, quomodoibi se gesserint, & quid postea fecerint, 412. Leontini vrbs quando, & à quibus condita. 493. m.
Leotychides Lacedæmoniorum Rex, Græcorum dux. 67. F.
Lepreatæ bellum cum Arcadibus quando, quomodo, cur gesserint, 435. F. 436.
Lepreum, 435. F.
Lesbus ab Athenienſibus

quando, quomodo, cur desecerit, 208. p. m. f.
Lesbij. In societatem à Lacedæmonijs recipiũtur, 218. p.
Leucas Corinthiorum colonia, 24. M. Athenienses hanc infesta classe petunt, 283. f. 284.
Leucas vrbs; 284.
Leucadius Isthmus, 271. f.
Leucimna Corcyræ promontorium, 24. p. 271. p.
Leuctra, 456. F.
Liberi homines si defectionem fecerint, quomodo sint tractandi, 245. m. f.
Liberi. Qui nullos habent liberos, quos pro patriæ conseruatione periculis obijciant, non solent Reipub. commodis æquè consulere, ac illi, qui liberos habent, 151. P. Liberi illorum, qui pro patria pugnantes ceciderant, olim Athenis ad pubertatem vsque publicis sumptibus alebantur, 152. p.
Libertas. Omnes homines sunt libertatis cupidi, eiusq; veluendæ, vel paradæ causa nihil intentatum relinquunt, 245. m. f. 484. m. Libertas firmè quomodo retineri possit, 374. m.
Lichas Arcesilas filius, Lacedæmonius, cur virgis ab Eleorum iudicibus publicè cæsus, 454. f. 455.
Quando, cur Argos à Lacedæmonijs missus, 474. p.
In Ioniam à Lacedæmonijs missus, vt Astyochus nauarchus, eius consilio vteretur. 700. f.
Licham morbo defunctum Milesij cur à Lacedæmonijs humari non permiserint in eo loco, vbi Lacedæmonij volebãt, 738 f. 739. p.
Limnæa pagus, 183. p. 293. m.
Lindij, loci nomen in Sicilia, 494. p.
Lipara, vna ex Æoli insulis, 279. m.
Liparæi, Cnidiorum coloni, 279. m.
Liuor est inter pares, ac æmulos quandiu viuunt, 151. M.
Locri Ozolæ, pag. 5. m.
Ludi Deliaci quales, & quando primùm ab Athenienſibus instituti, 291. 292. Ludi, quibus quis præter modum indulget, ei magnorum malorum sæpe sunt autores. 477 f. 478.
Lumen. Qui noctu lumen accensum gestat,

gestat, alios non tam facile cernit, quam ab ipsis cernitur, 224. F. 225. P. Vide Fax.
Lustralia festa, 291. p.
Lycophron Corinthiorum dux. 336. 337. In fuga ab Athen. cæsus. 337.
Lyncestæ, populi Macedoniæ, 202. m. Lyncestarum Macedonum Arrhibæus, Bromeri filius, Rex, 367.
Lynus & pro vrbe, & pro regione, quam Lyncestæ incolebant, accipi videtur. 408. p.
Lysicles, 221. p. Ab Athen. cum IIII. collegis, & XII. nauibus ad socios, pecuniæ colligendæ gratia mittitur, 221. à quibus, vbi, quando, quomodo cæsus, 221. P.
Lysimelia, Siciliæ palus, 636. M
Macedoniæ descriptio, 202. m. Macedoniæ, quæ vocetur, 203. p. m.
Macherophori Thraces, homines montani, suiq; iuris, qui Dij vocabantur, 199. F.
Rhodopen montem incolebant, ac torrim pedi-
tatus illarum regionum bellicosissimi censebantur. 292. M.
Machinæ variæ aduersus Lacedæmoniorum obsidionem à Platæensibus excogitatæ, 177. 178. 179. 180.
Machinæ flammam spargentis descriptio, 381.
Machon dux Corinthiorum, 186. p.
Mæander Cariæ campus, 221. p.
Magistratus erga subiectos quomodo se gerere debeant. 89. p. Magistratus boni quodnam sit officium. 503.
Magnesia Asiæ vrbs, 106. P. Artaxerxes hanc pro pane Themistocli dederat. ibid.
Mala vicinorum. nisi pro viribus ea propulsemus ab illis, nos etiam inuadent. 89. M. 558. 559. 560. Vide Periculum. & calamitas. Mala diuinitus immissa, necessario, ab hostibus illata, fortiter ferenda. 166. p.
Malum malo sanare. 465. m.
Malorum eorundem multos socios habere

quoddam ipsorum leuamẽ ac solatium videtur esse, 659. F. 660. p.
Malo suo plerique docti sapere coguntur, 487. F.
Malea, 210. m. Malea promontorium, nauium statio, & mercatus locus Athenensibus erat, 211. F.
Maloentis Apollinis dies festus, 209, p.
Mantinei, siue Mantinenses, 296, 297. Cur Argiuis se adiunxerint aduersus Lacedæmonios. 433, m. f. 434.
Marathonij campi. In his Athenienses quando cum Medis pugnarint. 15. p. 56. m.
Mare Gracum. pag. 4. m. Ex eo latrones a Minoe sublati, pag. 4. F. Mare ex tellure factum, id est, tellus in mare conuersa, 280. m. Maris exundatio quam cladem Euboeæ incolis olim attulerit, 280. p.
Marea vrbs supra Pharum sita, 78. m.
Mossarius, & Menedatus Spartani, 288, m. Vide Menedatus.
Massilia a Phocaensibus condita, pag. 12. F.
Mecyberna, 443.
Mecybernei, 425, F.
Medeon. Medeonis fines. 293. M.
Medi. cum Athenienſibus in campis Marathonis pugnarunt, 15. p. In Graciam prius venerunt, quam ipsis Lacedæmonij obuiam irent, 51. p.
Megabazus quis, & cur a Rege Persarum Lacedæmonem missus, 82. p. quid ibi fecerit, ibid. Megabazus Zopyrifilius, & res ab eo gestæ, 82, m. f.
Megara. In Athenensium potestatem quomodo venerint, 78. m. Ab Athenienſibus deficit, 85. p. Megara per proditionem Athenienses capere conantur: sed res ipsis non succedit. Rei peragendæ tempus, modus, causæ, 353 354, 355, 356, 357. Megara quomodo Brasidas conseruarit, 357. & deinceps vsque ad 361. Megaris Oligarchia quando primum, cur, a quibus, & quomodo constituta, & quam diu durarit, 361. Megarensis ager quando, quomodo, quo duce ab Athen. classe vasta-

vastatus, 139.f.140.p.
Megarenses, qui Megara Athenienſibus prodere voluerant, quando & cur ex vrbe fugerint, 360. m.f. Megarenſium exules quando, quomodo, quibus conditionibus in vrbem reducti fuerint. & quomodo erga factionem aduerſam ſe geſſerint, 360, 361. Megarenſes. cur à Lacedæmoniis defectione facta, ſocietatem cum Athenienſibus inierint, 78. p. Ab Athenienſibus deficiunt, eorumq; præſidium cædunt, 85. p. cur de vrbe Athenienſibus dedenda egerint. deditionis conditiones. Rei peragendæ tempus, & modus. 353. 354. 355. 356. 357. Megarenſibus longos muros ab vrbe ad Niſæam vſque Athenienſes ædificarunt, ſuoq; præſidio tutabantur, 78. p. Megarenſibus olim interdictum Atticæ portubus, & foro. 106. F. Decretum de hoc interdicto factum Athenienſes reſcindere noluerunt, ibid. Megarenſium exules factionem contrariam latroſiniis infeſtant, 352. F. Quando, quomodo, cur, & à quibus actum de Megarenſibus exulibus in vrbem reducendis, 352, 353.
Meliæi, 413. F.
Melancridas, Laconicæ claſſis prætor, 677.f.
Meleas Lacon. 211. p.
Meleſander Athen. dux in Lycia ſuperatus occidit, 172. F.
Meleſippus Diacriti filius ab Archidamo cur Athenas miſſus, 124, F. 125. p. Re infecta redit, 125. M.
Meliacus ſinus, 286. p. 381. p.
Melienſes in tres partes diſtincti, 282. p.
Melus inſula, 281, m. 479. F. Melo bellum ab Athenienſibus infertur, 479.f. 480.
Melij. cur Athenienſes claſſem aduerſus Melios miſerint, 281. m. 480. Melij Lacedæmoniorum coloni, 480. p. 486. F. Melius Athenienſes bellum illaturi, legatos mittunt, vt eos ad deditionem, & ad imperata faciendum impellant, antequam vllo maleficio afficiantur. Quomodo Legati à Meliis accepti fuerint. colloquium inter

Athenienſium legatos, & Melios habitum. Et legationis exitus. 480. 481. 482. 483. & d. Meliorum vrbs quandiu libera fuerit, 488. f. Melij vallo circundantur, 489. f. Deditione facta, quomodo ab Athen. tractati fuerint, 490.
Melitia Achaiæ oppidum, 363.
Menda vrbs in Pallene ſita, Eretrienſium colonia ab Athen. ad Lacedæm. deficit, 399. p. Ab Atheniensibus per vim occupata, 405. 406. 407. Mendeſium. Nulli cornua, 83.
Menedatus, & Maſſarius Spartani, 288. m. Tro Menedatus, & Maſſarius, quæ voces videntur corruptæ, legendum potius, Menedæus, & Macarius, vt extat pag. 295. T.
Mercurij ſimulachra lapidea vultu circuncisa, 515. 538. 543. 544. Facinoris autores ignorantur: ſed indicibus magna præmia publicè proponuntur. ibid. Quando, quomodo, cur, a quibus res indicata fuerit, 543. f. 544.
Meſſana Siciliæ vrbs, cuius incola Meſſanij, vel Meſſanenſes, 281. p. à Syracuſanis quando, cur, & quomodo fuerit occupata, at ab Athen. defecerit, 302. P. Meſſanæ ſitus ad inuadendam Siciliam opportunus, 302. m. 534. f. Meſſanam Athenienſes oppugnant: ſed non expugnant, 322. Meſſanam aliquandiu Locri tenuerunt, 413. f. Meſſanenſes Naxiis bellum inferunt, 321. Sed maximam cladem à Naxiis acceperunt, 321. 322.
Meſſapij, 288. f.
Meſſene, oppidum in agro Laconico ſitum, cuius incolæ Meſſenij vocabantur, 304.
Meſſenij. Meſſeniorum genus, cum vicinis cognatio, mores, lingua, ſtudia, 304. Meſſenij, qui Naupactiſ erant, Pylum reuerſi, Laconicum agrum latrociniis, ac maleficijs infeſtant, 335.
Metapontium, Italiæ vrbs, cuius incolæ Metapontini vocabantur, 616. m.
Methone in agro Laconico, 136. p. m.
Methone inter Epidaurum, & Trazenem ſita, 338. m.

Methy-

Methydrium, Arcadiæ oppidum, 459. f.
Methymna Lesbi vrbs, 208 p. Ab Athenienſibus deficit, 687. f. Methymnæi grauem cladem ab Antiſſæis quando, quomodo, cur acceperint, 220. m. Methymnæorum exules quando, quibuſue copiis Methymnã adorti fuerint, & quis fuerit illorum conatus exitus, 756. 757.
Metus, cladium magnarum cauſa, 190. f. Metus ſæpe facit, vt nos aduerſus hoſtem melius muniamus, ac proinde tutius rem geramus, 524. f. Qui priuatim aliquid metuunt, Reſpub. in magno timore conſtituere volunt, vt publico metu ſuum occultent, 525. m.
Metropolis, vrbs, 293 f.
Metropolis. Quid ei colonia debeat, 20. f. Metropolis, & coloniæ mutuum officium quod ſit, 27. f. 31. p. m.
Migrationes frequentes in Græcia cur olim factæ, pag. 2. p. m. frequentes migrationes impediunt opum incrementa, pag. 10. f.
Mileſij. Bellum inter Mileſios, & Samios Prienes cauſa excitatum, 85. f. Mileſiis bellum ab Athenienſibus infertur. Et quis fuerit eius exitus, 691. 692.
Mileſij Triſſaphernis caſtellum Mileti extructum, clam aggreſſi capiunt, & præſidium, quod illic erat, eiiciunt, 738. f.
Miletus, 86. p. m.
Miletus ab Athenienſibus deficit, 685. Miletum Athenienſes in ſuam poteſtatem cur redigere conarentur, 691.
Militaris diſciplinæ obſeruatio illis neceſſaria: qui rem præclarè gerere cupiunt, 124. f. Militis officium, 487. p. 190. Milites, vt rem feliciter gerant, quomodo ſe gerere debeant, 124. p. & f. Militum numerus, quem Athenienſes habebant, quum bellum contra Lacedæmonios ſuſceperunt, 127. p. m. f. Militiæ detrectatio quorum malorum Græcis autor fuerit, 75. m. f.
Mindarus Lacedæmoniorum nauarchus quando, quomodo, cur in Helleſpontum nauigarit, 756.

Minoa insula Megaris adiacens, 248. m. Minoa Megarensium insula, 353. F.
Minos, quis. & res ab eo gestæ, pag. 4. m. 7. p.
Misericordia quibus debeatur, & quibus sit tribuenda, 238. p. 262. F. 263.
Mitylene rursus ab Atheniensibus deficit, 687. F. ab illis recipitur, 688. p. Mitylene, Lesbi vrbs. 208. F. Ab Athenensibus obsidetur. 211. m. f. Terra, mariq; acriter ab iisdem obsidetur post aduentum nouæ classis, cui Paches Epicuri filius præerat, 220. F. Mitylenes ager ab Athen. in quot portiones diuisus, & quibus conditionibus singulæ portiones singulis assignatæ, 248. p. Mitylenæi. Ab Athenensibus deficiunt, omnesq; Lesbios, præter Methymnæos Atheniensibus amicos, Mitylenen commigrare cogunt. 208. p. m. f. Mitylenæis quid imperarint Athenienses. si bellum vitare vellent, 209. m. Mitylenæorum decem triremes cum ipsis viris quando, quomodo, cur ab Atheniensibus retentæ, viriq; in custodiam traditi. 209. m. f. Mitylenæis quando & quomodo infestus Atticæ classis aduentus significatus fuerit, & quid illi hoc audito fecerint, 209. F. Mitylenæis imperata facere recusantibus Athenienses bellum inferunt, ac imparatos adoriuntur, 210. p. Mitylenæi prælium nauale cum Athen. committunt: sed ab Athen. fugati, cum illorum ducibus in colloquium veniunt, & factis induciis legatos de re sua acturos Athenas mittunt, 210. p. m. Nihil impetrant. quare bellum parant, 210. F. 211. p. cum Athen. pugnant: sed in vrbem se recipere coguntur.
Methymnam adoriuntur: nec expugnant. sed ad alias vrbes se conferunt, quarum rebus arbitratu suo stabilitis, muriq; firmatis, domum redeunt. 220. m. Quando, quomodo, cur, quibus conditionibus deditionem fecerint. 227. p. m. f. Atheniensium crudele decretum de Mitylenæis factum, 232. m.

Quando

Quando, cur, quomodo mutatum fuerit hoc decretum. 232. F. Quomodo Mityl. grauiss. periculo vitato, ab Athen. tractati fuerint. 232. F. 233. 247. 248.

Moderatio. In mulctis, ac pœnis infligendis moderatio seruanda. Cur. 245. p. m.

Modestia, magnorum bonorũ causa. 64. F. Modestorum virorum officium. 89. F.

Molycricum. 187. F. Rhium Molycricum, 189. P. Molycricum, Corinthiorum colonia, 289. P.

Mortis periculo quinam potissimum se obiicere debeant, 150. p. m. Vide Periculo quinam.

Motus belli Peloponnesiaci quantus fuerit, pag. 1. F.

Motya, Siciliæ vrbs. 492. F.

Mulieris castarum laus nõ minima, si quam minimus de illis vel in bonam, vel in malam partem rumor apud vros dissemmetur, 151. F.

Multitudo hominum idem ferendi suffragii ius habentium, & eadem potestate præditorum, ac Imperatorum multitudo consultationum effecta, rerumq; peragendarum celeritatem impedit, ac Reipub. non raro magnas clades affert, cur, & quomodo, 109. F. 110. P. Multitudo militum, si fortitudo absit, hosti parum nocet, 192. F. Multitudo ducum, ac imperatorum in eodem exercitu multum Reipub. nocet, 555. P. Quomodo. 555. M.

Munera. Quanta sit munerum vis, ex Odryssarum more patet, 200. f. 201. p.

Munychiæ cum Piræo ambitus. 127. f.

Muri, quo Platæenses a Lacedæmoniis cingebantur obsessi, descriptio. 221. F. 222. Longi muri, τὰ μακρὰ τείχη 50. p. m. quid. ibid. Ab Athenien sibus ad mare vsque quando, & quomodo ædificari cœperint. 80. p. m. Quando absoluti. 81. F. Forum ad Piræum vsque longitudo, 127. F. Longi Megarensium muri ab Athen. ædificati, 78. m. Longi Megarensium muri

quales, 353. p. M. Ab Athenienſibus quando, quomodo, cur ab vrbe Megarenſium abrupti, 357. p. Cur poſtea à Megarenſibus æquati ſolo 388. Longi muri ab Argiuis quando, cur & quomodo ab vrbe ad mare vſque ædificati, 478. m. Hi muri quado & aquibus diruti, 478. p. Muros & munitiones cur Athenienſibus, aliiq; Græcis Lademonij nullas eſſe cuperent, atque adeo illis perſuadere conarentur, vt has demolirentur, 68. m. Murus albus tertia Memphidis pars, 78. F.
Myealeſſius vrbs à Thracibus capta, & direpta, 612. m. f. 613. 614.
Myceuæ paruum oppidum, pag. 8. F.
Myconus, 228. M.
Mygdonia, 203. p.
Mylæ Meſſeniorum oppidum, 280. F.
Myletidæ, 495. P.
Myonenſes, 288. F.
Myoneſius Teiorum, 229. F.
Myrcinij, 414. P.
Myrcinus vrbs Edonenſis, 386. F.
Myronides Athenienſium dux, & res ab eo geſtæ, 79. E. 81. F. 377.
Myus, Myuntis. Hæc ab Artaxerxe Themiſtocli pro opſonio data, 160. p.

N

Nauale prælium. Vide Prælium nauale.
Naualia Lacedæmoniorum ab Athenienſibus incenſa, 81. f.
Nauali, ac terreſtri ſocietatu iactura non par. 28. f. 29. P. Naualis, ac terreſtris prælij ratio diſſimilis, 309. M. 649. T. M.
Naues centum ab Athenienſibus inſtructæ, virium oſtentandarum cauſa, præter claſſem, quam ad Lesbum habebant, 218. f. 219. P. Naues CCL. vna, eadémq; æſtate ab Athenienſibus inſtructæ, ac in varia loca dimiſſæ, 219. f. Nauium ad Troiam profectarum numerus, & magnitudo, pag. 9. f. Nauium præſidio res omnes Græcorum olim aduerſus barbaros conſeruatæ, 56. F. Nauium numerus, quem Lacedæmonij ſocijs imperarunt ad bellum aduerſus Athen. gerendum, 120. f.

Nauium

Nauium numerus, quem Athen. habebant, quum bellum aduersus Laced. susceperunt, 127. f. Nauiũ formam quinam primi ferantur immutasse, & ad eam, quæ nunc est in vsu, accommodasse, pag. 11. f. Nauium ab Athen. in Siciliam missarum numerus, 530. f. Nautarum, ac nauticæ multitudinis ingenia, ac mores, 738. m. Nauticarum, ac maritimarum rerum studia magnas opes pariunt, pag. 53. p. m. 71. f. Nauticarum rerum peritia arte, & exercitationis assiduitate comparatur. 111. m. 604.

Naupactus. Vrbs à Locris Ozolis occupata, & ab Athenien sibus recepta 73. p. Helotes à Lacedæmoniis Ithome pulsi, ab Athenien sibus in hac vrbe collocati, 78. p.

Naxij grauissima clade Messanenses quando, quomodo, cur affecerint, 321. 322. Naxios, quia defecerunt, Athenienses bellum intulerunt, & seruitutis iugum imposuerunt. 75. p.

Naxus vrbs Chalcidica, 321. f. 493. p.

Necessitas. Necessitas optima rerum magistra, 65. M.

Nericum, 212. M.

Nessa Siciliæ oppidum, 290. P.

Nestus fluuius, 200. p.

Nicanor Chaonum dux. 182. F.

Niciæ Cretensis Gortynius, 188. F.

Nicias Nicerati filius, in re militari felicissimus, cur ad pacem cum Lacedæmoniis faciendam propensus esset, 423. Ex Sicilia cur epistolam Athenas miserit, 595. 596. 597. 598. 599. Religiosus erat, & prodigiorum obseruationi vehementer deditus, 634. f. 661. Nicias, quando, cur, & quibus conditionibus se Gylippo dediderit, 668. 669. Nicias, quando, cur, & à quibus interfectus, 669. F. 670. Niciæ encomium, 670.

Nicomedes Cleombroti filius, 80. M.

Nicostratus Diotrephis filius, Atheniensium dux, 268. M. 405.

Nisæa, 78. P. Nisæa Megarensium portus, 353. m. Nisæam Athenienses circumuallant, & per deditionem capiunt, quando, quomodo, cur. 356. 357.
Nisi sacellum, 394. f.
Nomina locorum, ac regionum ab ipsis incolis indita videntur. pag. 3. M. Nomina rerum, & significationes illarum à quibus olim, & cur immutatæ, 273. F. 274.
Notium Colophoniorum urbs, 231. p. Seditio hic exorta, & quis fuerit eius exitus, 231. p. m. f.
Nouem viæ, urbis nomen, quæ postea Amphipolis appellata, 76. p.
Nouissima. Nouissima quæq; in artibus inuenta semper eminent, & potiora censentur, 53. f.
Nudare. Quinam in Græcia primi corpora nudarint. pag. 6. p.
Numerus militum Lazedæmoniorum cur ignoretur, 467. f. Quomodo cognosci possit, 467. f. 468. p.
Nuntij, qui res incredibiles nuntiant, amentes habentur. 520. f. Nuntiis quibuslibet haud inconsideratis fides habenda, 548. f. 657. f.
Nymphodorus Pythei filius, 137. f. 138. p.

O

Obsidio Plataarum à Lacedæmoniis instituta, qualis, 177. 178. 179. 180. 221. 222.
Obsidio Potidææ quantam Athenienses pecuniam absumpserint, 219. f. 220. p.
Obsidio Mitylenes qualis, 220. f.
Obstinatio quot, & quantorũ malorum causa, 611. p. m.
Obtrectationes audire non est prudentis viri. 529. F.
Odomanti. 204. F. Eorum Rex Polles, 413. F.
Odrysæ, 138. Regnum Odrysarum à Tere amplificatum, ibid. Odrysarum imperium quam late pateret, 200. p. m. f. 201. p. Odrysarum tributum quantum. 200. F. Odrysarum principes nihil sine muneribus, in aliorum gratiam, apud suum Regem peragebant, 200. F. 201. P. Cur. ibid.
Oeanthenses. 288. F.
Oeniadæ Acarnaniæ oppidum, 83. F. situs, 205. F. 206. p. Oeniadis hyeme belli inferri nequit. 205. f.

Oenoe Atticæ castellum, 131. p. à Laced. oppugnatur: sed frustrà. ibid. Oenoen Aristarchus quando, quomodo, cur occuparit, 755.
Oenone Locridis oppidum, 285. m. 287. m. 289. p.
Oenophyta. Bœotiæ locus, 81. f. 377.
Oenussæ insulæ Chio adiacentes, 689. M.
Oesime Thasiorum colonia. 386.
Oetæi, 282. p. m.
Officium. Populi quomodo in officio, fideq; à Principibus sint continendi, 245. M.
Oligarchia quid, & quale. 528. M. F. Oligarchiæ vituperatio. 710. 739. 744. Olig. quando Athenis, & quorum opera fuerit sublata. 759.
Olophyxus urbs, 388. F.
Olpæ, castellum Argiuorum in colle munitum, ad mare situm. 292. M. 293. 295 296.
Olpæ, in singulari. 296. M. 298.
Olpæi, 288. F.
Olympia in Peloponneso, 94. f.
Olympieum, 548. p. 553. F. Præsidium in Olympieo à Syracusanis collocatur, 556.
Olynthus. Urbs ubi sita, 44. p. 46. F. Quantum à Potidæa distet. 46. F.
Onæus mons, 337. F.
Opes, agrig. fertilitas seditiones parit. pag. 2. F. Opes petulantiam, superbiam, violentiam, & pluris habendi perpetuam cupiditatem gignunt, 243. F. 706.
Ophionenses, 284.
Oracula multa ante bellum Peloponnesiacum edita, 121. M. Oraculum Delphicum à Lacedæmoniis de bello aduersus Athen. suscipiendo consultum, eiusq; responsum. 88. M. Item 158. F. Oraculum, quod vocem λοιμὸν continebat. 158. M.
Oratores quibus in rebus ingenij sui vires & acumen ostentare debeant, 238. M. Oratores quales plerunque soleant esse. 240. M. F. 241. 242. Orchomenus Bœotiæ oppidum, 84. M. 279. M. Orchomenus antè Minyæus, postea Bœotius appellatus. 362. Orchomenus oppidum quando, & cur ab Athenien sibus oppugnatum, & quibus conditionibus in deditionem

ab illis fuerit receptum, 463.
Oreſtæ. Oreſtarum Rex Antiochus, 183. P. Oreſtes Echecratidæ Theſſalorum Regis filius, 83. P.
Oreſtium Mænaliæ. 464. F.
Orneæ, 497. P.
Orneæ ab Argiuis oppugnantur, captæq; ſolo æquantur. 497. m. Orneatæ, 497. p.
Orobiæ in Eubœa. 280. p. Oropia, 373. m
Oropus, 378. à Bœotis per proditionem capitur. 718. m. Oropi ſitus. 718. f. 752. M.
Orædus Rex. 183. p.
Oſcius fluuius, 206. P.
Oſtracismus, 102. f.
Otium. Iners otium plus mali affert, quàm laborioſum negotium. 53. p. 510. p. Quorum malorum ſit cauſa. vide græcum Schol. pag. 56. annot. 6. 89. f. 165. m. 509. f. 510.

P

Paches Epicuri filius ab Athenienſibus aduerſus Mitylenen mittitur. 226. F. Res illic ab eo geſtæ, 227. f. 228.
Pædaritus Leontis filius. 696. m. f. 697. P. 709. 701. 715. Sic voce corrupta Pedaritus vocatur, 694. P. Ab Athenienſibus, vbi, quando, quomodo cæſus, 715. F.
Pagondas vnus ex Bœotarchis, 373. m.
Palienſes, 139. P.
Palladis ſimulachrum quod auri talentii eſſet ornatum, 127. P.
Pallas Chaleiœca, 96. f. 102. P.
Pallene. Pallenes iſthmus. 42. f. Pallene vrbs, 47. m. f. Pallenſes, Cephalleniæ ciuitas, 139. m.
Panactum Athenienſium caſtellum per proditionem à Bœotis quando captum. 412. P. Panactum à Bœotis euerſum, 443. 444. 445. f. Cur ibid.
Pangæum, 202. f.
Panormus Achaicus. 189. P. Panormus Siciliæ vrbs. Panormus agri Mileſij opidum, 689. P.
Paralus, & Salaminia naues Athenienſium publicis miniſteriis addictæ, 230. m. f. 270.
Parali, qui in Para[lo] nauí

nauí vehebantur. 730. P.
Paralis quando, curve
Paralum nauem Quadringenti viri abstulerint, & quomodo illos tractarint, 730. 741. m.
Paralus ager, 159. p.
Paralius ager, 159. m.
Paranæi, 183. p. m.
Parnes mons, 135. P. 378.
Parrhasij. Cur, & quando Lacedæmonij Parrhasios bellum intulerint, 438.
Quomodo Parrhasij in libertatem à Lacedæmoniis asserti, 438. m.
Patræ, 187. m.
Patriæ amans quis verè dicatur. 576. P.
Paupertas. propter paupertatem homines bella diuturna gerere nequeunt, 169. P. Paupertatem suam fateri non est turpe: sed turpe est non conari factis eam vitare, 146. P.
Paupertas quot, & quantorum malorum autor. 243. F.
Pausanias Cleombroti filius, Græcorum dux. & res ab eo gestæ, 72. m. f.
Tyrannicum imperium in socios exercet. Ideo& socij illum deserunt, & Athenienſium auſpicia, ductu& sequuntur. 72. f. à Lacedæmoniis in patriam cur reuocatus, 73. T.
Accusatur, damnatur. Cur. 73. p. m. In patriam à Lacedæmoniis quando, cur, & quomodo reuocatus. 96. f. 97. P. & deinceps. Qua ratione Xerxis Regis Persarum beneuolentiam sibi conciliare studuerit, & cur, 97. p. m. f.
Eius epistola ad Xerxem. 97. f.
Xerxis epistola accepta, quomodo in imperio superbè ac tyrannicè, dictis, factis, cultu& corporis præter patrium morem se gesserit, 98. f. 99. p. m. f.
Byzantio per vim ab Athen. cur pulsus, 99. T.
In carcerem ab Ephoris conijcitur, 99. m.
Quomodo illinc exierit, 99. m.
Ab Argilio defertur ad Lacedæmoniorum magistratus. Indicij modus, & probatio. 100. F. 101. P. m. f. In ædicula, quæ erat in Chalcioecæ Palladis templo, conclusus, ac obsessus à Lacedæmoniis

fame expugnatur, ac moritur, 162. P. Vbi sepultum eius cadauer, 102. M.
Pax summum bonum. 349. M. Paci cur multi totis viribus aduersentur, bellumque maximo studio sectentur. 422. f.
Peccare. Qui aliquos ad aliquod facinus faciendum impelliunt, ac ducunt, pœnis, grauiusq; peccant, quàm qui illos sequuntur. 261. M.
Peccata. In aliorum peccatis, victoriæ nostræ spes minimè collocanda: sed in virtute nostris consiliis, & prudentia. 65. M. Peccata cur puniendæ. 237 f. 238. 239. f. Peccata quænam venia sint digna. 238. P. 380. P. Nulla lex est, nullus pœnarum terror, qui mortales à peccatis deterrere valeat, 243. p. m. f. Cur. ibid. 244. M. Peccata sunt calamitatum, quas patimur, vera causa, 610.
Pecuniæ colligendæ causa duodecim naues cum Lysicle, quatuorq; collegis ad socios ab Athenienſibus mittuntur. 221. p. Pecuniarum inopia maximorum incommodorum causa, 18. p. f. Pecuniis potius, quàm armis bellum geritur. quomodo, cur. 64. P. Pecuniarum seueri exactores, Athenienſes. 75. M. Pecuniis minimè parcendum salutis tuendæ causa, 91. p. Pecuniarum copia, consiliog, bellum plerumq, feliciter administratur, 126. m. Pecuniarum quantitas, quam Athen. à ſociis pro tributo quotannis recipiebant. Item earum quantitas, quæ, quum bellum contra Laced. ſuſceperunt, erat in ærario, 126. m. f. 172. p. Pecuniam Athenienſes quando primum, & cur in vſus publicos contulerint, eiusq; collectæ ſumma, 220. f.
Pedaritus. Vide, Pædaritus.
Pegæ. quorum eſſent, à quibus occupatæ, & quando ſuis dominis reſtitutæ. 85. M.
Perthias Athenienſium hoſpes 266. p. Vbi quando, cur, & à quibus interfectus, 266. m. f.
Pelaſgica gens olim per varias regiones diffuſa, pag. 3. M.

Pelasgicum templum Athenis, 130. m. cur in eo non liceret habitare, ibid. Habitatum tamen, cur. 130. M.

Pella Macedoniæ vrbs. 203 p.

Pellene in Isthmo sita. 397. P.

Pelopidæ Persidis potentiores qua ratione facti. pag. 8. p.

Peloponnesij quo, & quando colonias emiserint, 11. M. Quam inopes essent, 109. p. Cur bella diuturna gerere non possent, 109. p. Peloponnesiorum, & Athen. vires, administrandi belli ratio, & vtriusque gentis collatio, 109. p. m. f. 110. p. m. f. 111. p. m. f. 112. p. m. f. Peloponnesius à Pelope dicta, pag. 7. m. f.

Pelops quomodo in Peloponnesum profectus, Peloponneso suum nomen imposuerit, pag. 7. m. f.

Peloris in agro Messanensi sita, 321, p.

Perœbi Thessalorum imperio parebant, 364. M.

Perdiccas. Alexandri filius, Macedonum Rex, Athenienſium hostis ex socio, amicoq; qua de causa factus, 43. p. Bellum inter Athenienses, & Peloponnesios cur astutè susciterit. 43. p. m. f. Cuius opera, & quomodo reconciliatus Athenienſibus, 139. p. fœdus cum illis init, ibid. Quando, & cur Peloponnesiorum copias adse ex Peloponneso euocarit. 364. 365. Quando, & cur ab Athenienſibus hostis Reipub. iudicatus, 366. 367. Cur, quando, quomodo bellum Arrhibæo Bromeri filio intulerit, & quis fuerit huius belli exitus 367. 368. Eidem Arrhibæo bellum rursus infert, 399, f. 400. 401. & d. Exitus belli quis. ibid. 403. 404. 405. Quando, quomodo, cur compositionem cum Athenienſibus fecerit. 407. 408. Perdiccas antiquitus Argis oriundus. 476. F. Perdiccas iterum Athenienſium hostis declaratur. quando, cur, quomodo, 479.

Pericles Xanthippi filius. & res ab eo gestæ. 83. m. f 85. M. 86. M. 87. P. Cylonio piaculo quomodo obnoxius, 96. P. Quanta esset eius autoritas apud Athen. & quomodo Lacedæmoniis in

Reipub. administratione semper aduersarctur, 96. m. In dicendo, & agendo praestantissimus, 107 p. Cur agros, fundosq; suos, Lacedæmoniorum exercitu in Atticam irrupturo, Reipub. dono dederit. 125. f. 126. P. Quomodo ciues sibi grauiter infensos regeret, ac impediret ne manum temerè cum hostibus conseruerent, 134. p. m. 161. f. 162. p. Pericles se ipsum laudat, 162. p. m. Pecunia cur ab Athenienfibus multatus, 167. m. Quomodo in Reipub. administratione se gesserit, 167. f. Quando mortem obierit, 167. f. 168 P. Periclu egregium, encomium 168. p. m. f.
Periculum vicinis impendens, nobis etiam impendet. Quare maturè pro viribus propulsandum, 89. m. 521. 522. 558. 559. 560. Vide Calamitas, & Mala. Pericula quinam potissimum subire debeant, 150 p. m. Vide, Mortis periculo. Periculum commune facit vt illi, qui inter se gerebant inimicitias, in gratiam redeant, & animis armisq; coniunctis communem hostem propulsare conentur, 521. 522. Pericula quænam sint & rarissima, & plurimi facienda, atq; adeo alacriter adeunda. 630 f. Pericula vel suorum, vel aliorum, quomodo homines spectare soleant, quum ipsi sint extra illorum periculorũ aleam. 654. f. 655 p.
Peripolium. 288. P.
Peritia. Rerum nauticarum peritia arte, & exercitationis assiduitate comparatur, 111. m.
Persæ nomen honoratum. vide pag. 71. annot. 8. Græc. Schol. Persarum Reges. I. Cyrus. II. Cambyses. III. Darius. pag. 12. m. f. IIII. Xerxes, 13. p. 97. f. V. Artaxerxes Xerxis filius, 104. f. 341. m. VI. Darius Artaxerxis filius, 676. p.
Perfidæ Pelopidis inferiores quarationefacti. pag. 8. p.
Pestis siue Pestilentia. Hæc maximis detrimentis Græciam affecit, 19. P. Pestis grauissima quando, & quomodo primum Athenienses inuaserit, 152. m. f. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 159.

Quando

Quando rursus, & quandiu pestis Athenienses aggressa vexarit, 279. p.
Quot Athenienſium millia pestis absumpserit. 279. p. m.
Petra Rhegini agri, locus sic appellatus. 618. f.
Phæaces Coreyram olim tenuerunt, rerumq; nauticarum gloria floruerunt. 21. P.
Phæax ab Athen. in Siciliam cur missus, 412. f.
Phagres, Phagretis, oppidum trans Strymonem fluuium. 202. F.
Phalius Corinthius coloniæ Epidamnum deductæ dux. 19. m.
Phalerici muri longitudo. 127. m.
Pharsalum Theſſaliæ vrbs, 83. m.
Pharnabazus Pharnabaci filius legatos cur Lacedæmonem miserit, 676. f. 677.
Phia Elidis vrbs, 136. m. à Messeniis capitur. 136. f.
Philippus. Perdiccæ frater, Alexandri filius, 43. P.
Philoctetæ naues quot. pag. 9. f. Quomodo instructæ. ibid.
Phocaenses, dum Massiliam conderent, Carthaginienses nauali prœlio vicerunt, pag. 12. f.
Phoceæ, 412. m.
Phocenſes, bellum Dorienſibus inferunt, & exitus belli quis, 80. m.
Phœnices olim insignes latrones, pag. 6. f.
Phœnicus, portus Mimanti subiectus, 697. f.
Phormio Aſopi filius & res ab eo gestæ, 47. m. f. 48. p. m. 172. p. m. f.
Corinthios nauali prœlio vincit, 185. 186. 187.
Quo stratagemate sit vsus. ibid.
Photus Chaonum dux, 182. f.
Phrynicus Athenienſium dux, & res ab eo gestæ, 690. 692. 693.
Vir non imprudens cur habitus, 693. p.
Dicta, factaque Alcibiadis improbat, eiusq; conatus quo stratagemate conatus sit impedire, 711. Ad Aſtyochi aduersus Alcibiadem scribit. ab Aſtyocho prodiuit per literas de eo

conqueritur. ab eo rursus proditur. Et quid aduersus hæc indicia sit molitus, vt imminens capitu periculum vitaret. 711. 712. Cur in constituendo paucorum dominatu se promptissimum præstiterit 725. 745. 748. Vbi, quando, cur, à quo, quomodo cæsus, 746. F.
Phyxeus. munitio. 453. M.
Physca, 203. p.
Phytia, 293. M.
Piaculum cylonium, quod, 94. m. f. 95. p. m. f. Piaculum ad Tænarum à Lacedæmoniis aduersus Helotas supplices admissum, 96. f. Piaculum Palladis Chalciœcæ, quod, 96. f. 97. p. m. f. & deinceps.
Pieres, & Pieria, 202. f.
Pierius sinus quis appelletur. 202. f.
Pierius Thessaliæ mons, 420 f.
Piræi partes non munitas Themistocles muniri iussit. cur, quomodo. Piræi descriptio ibid. 71. m. f. Piræi cum Munychia ambitus, 127. f. Piræum Atheniensium portum quando, quorum suasu, curve Peloponnesij tentare volue-rint, 197. p. Modus tentandi, 197. p. m. Cur Piræum postea non tentarint, 197. f. Piræus cur olim nullo præsidio custodiretur, nullúq; catenis clauderetur. 197. p. Quando primum, & quomodo Piræum Athenienses custodire cœperint, 198. f. Piræi portus Corinthiaci descriptio, 680. M.
Piratica regio, 135. M.
Pisander Atheniensibus suadet, vt Alcibiadem in patriam reuocent, & popularem dominatum tollant, ac paucorum magistratum in Repub. constituant, si Regem Persarum amicum habere, & Lacedæmonios superare velint, 713. 714. 715. Quis fuerit eius suasionis exitus. 714. 715. 720. 721. & d. Hic præcipuè statum popularem Athenis euertit, 725. p.
Piscis promontorium, 136. f.
Pisistratus Hippiæ filius, Hippiæ tyranni nepos, 539. f. Pisistrati tyrannis à quibus, & quando fuerit euersa. 538, 539. 540, 541. & d.
Pissuthnes Hystaspis filius. 86. p.

Pita-

Pitanates cohors apud Lacedæmonios nulla fuit. 16. f.
Pittacus Edonorum Rex 386. f.
Platæa Bœotiæ vrbs quando, quomodo, cur, à quibusdam Thebanis occupata fuerit, 115. f. Rerum ibi tunc gestarum exitus. 116. 117. 118. 119. 120. Platæam Lacedæmonij captam, funditus euertunt, solóq; æquant. 264. f. Platæam Athenienses profecti cum exercitu, frumentum important, & inutili mulierum, ac puerorum turba illinc exportata, præsidium in vrbe relinquunt. 120. p. Platæam Lacedæmonij Archidami ductu petunt, agrumq; vastant. 173. f. 174. p. Platæam obsident, circumuallant, omniq; oppugnationis genere tentant. 177. 178. 179. 180. Igne tentant, ac propemodum absumunt. Incendium quomodo restinctum. 170. p. m. f. Platæenses ad vrbem Lacedæmonijs dedendam, quibus conditionibus Archidamus inuitarit, 175. M. Quid Platæenses Archidamo respondérint, quid ab eo petierint, quid fecerint. 175. f. 176. p. Plat. à Laced obsidentur, & circumuallantur. 176. f. 177. p. Plat. quid contra Lacedæmoniorum obsidionem, ac circumuallationem excogitarint. 177. m. f. 178. 179. 180. Platæenses incendio à Lacedæmoniis excitato propemodum absumpti. Sed flamma vi aquæ cœlitus delapsæ restincta. 179. p. m. f. Platæenses in vrbe ad obsidionem tolerandam relicti, quot essent numero. 180. p. m. Plat. quando, cur, quomodo, quibus ducibus. eruptionem ex vrbe facere, & munitiones hostium superare, præsensq; famis, mortisq; periculum vitare decreuerint. Et quis fuerit huius consilij, & eruptionis exitus. 221. p. m. f. 222. 223. 224. 225. 226. Plat. quando, & cur. & quibus conditionibus se Peloponnesijs dediderint, & quomodo præter expectationem ab illis in Thebanorum gratiam tractati fuerint. 249, 264, 265
Plemmyrium, promontorium

in agro Siculo situm, 591 F. à Nicia cur, & quomodo munitum 591. f. 592. p. Plemmyrij munitiones ab Athenienſibus extructæ quando, & quomodo Gylippus occuparit. 605. 606. 607. Plemmyrij expugnatio cur Athenienſium copias maximè afflixerit. 606. 607.
Pleuron, Ætoliæ oppidum, 289 f.
Pliſtoanax Pauſaniæ Regis Lacedæm. filius, 80. m. Res ab eo geſtæ, 85. p. Cur ad pacem cum Athenienſibus faciendum propenſus eſſet. 423. 424. Eius in patriam reditus qualis fuerit. 423.
Pliſtolas Ephorus Spartæ, 427.
Pœnæ. Pro delictorum varietate & grauitate, variis etiam pœnis homines plectendi, 237. p. m f. 246. p. m. Pœnarum atrocitas nulla mortales à peccatis deterrere valet, 243. p. m. f. 244. Pœnæ peccatorum quales olim, quomodo, & cur paulatim auctæ fuerint, 243. m. f. 244. 245.
Pœnitentia. Illis, qui peccarunt, pœnitentiæ ſpes non eſt tollenda, Cur. 244. m. f.
Polichna, agri Troiani vrbs, 682. f. ab Athenienſibus capitur, 689. p.
Polichnitæ, 188. f.
Polis Hyæorum vicus, 288. F.
Polles Odomantum Rex, 413. F.
Polycrates Sami tyrannus Rheneam inſulam Apollini Delio ſubiectam conſecrauit. pag. 12. f. 290. 291.
Polydamidas Peloponneſiorum dux, 405, 406.
Pompam Panathenæorum ciues Athenienſes armati ſine tyrannorum ſuſpicione proſequi ſolebant, 541. m. Scutum autem, & haſtam in hac pompa gerebant. 542. F.
Popularis leuitatis, ac ingenij temerarij deſcriptio. 235. 236. 572.
Populus. Quicquid tyrannis aduerſatur, id populus nominatur, 572. P.
Portæ. Thraciæ portæ, 417. f. 419. p.
Portus Syracuſarum qualis, quantus.

quãtus. Eius ostium quàm latum: quando, cur, quomodo à Syracusanis clausum, 643.
Potentia ciuitatum ex ipsarum ædificiis certò cognosci nequit, pag. 8.f. 9.p.m. Potentia ciuitatum in vectigalibus, ac tributis, est sita 91.m. 126.m. Potentia bonis artibus parta quantum dominis prosit, 168.m.f. Potentiores quomodo erga imbecilliores se gerere soleant, pag. 7.m. 481.f. 485.f. 486.p. Potentiores quomodo erga imbecilliores se gerere debeant. 59.p.m.f. 481.f. Potentiores, imbecillioribus, iure naturæ imperare debent, 58 f. 481.f.
Potidæa. Vrbs in Pallenes ist hmo sita, 42.f. Ab Athenièsibus deficit, 44.m. Terra, mariq; grauiter ab Athenienſibus obsidetur, 47 f. machinis admotis, acriter oppugnatur, 160.f. Deditionem facit, 172.173. Hanc Athenienſes colonia de suis ciuibus missa incoluerunt, 173.f. Qui Potidæam obsidebant quot essent, & quod quiq; stipendiũ singulis diebus acciperent, 219.f. 220.p. Potidæa Brasidas quando, quomodo: sed frustra tentarit, 409. Potidæatæ Corinthiorum coloni. 42.f. Athenienſes per legatos orant ne muros vrbis suæ diruant, neve quid noui de se statuant, 43.f. Potidæatis quidnam Athenienſes imperarint, & quid in ipsorum damnum moliri cœperint. 42.f. 43.p.m. Potidæatæ quando, & cur ab Athenienſibus defecerint, 43.f. 44 p. Cum Athenienſibus pugnant, & vincuntur. 46.f. 47.p. Quando, cur, quibusve conditionibus se Athenienſibus dediderint. 172.f. 173.p.m.
Potidania Ætoliæ vrbs. 285.f.
Prælium nauale inter Corinthios, & Corcyræos commissum, omnium antiquissimum, pag. 11.f. 12.p. Prælium nauale inter Corinthios, & Athenienſes commissum, vnde Phormio classis Atticæ præfectus egregio stratagemate insignẽ victoriam reportauit, 185. 186. 187. Prælium nauale rursus inter Peloponne-

ſios, & Athenienſes committitur. Peloponneſiorum ſtratagema, quo Phormionem claſſis Atticæ prætorem in maris anguſtias attraxerunt, 194. Prælij quis fuerit exitus, 194.195. 196. Vtrique tanquam victores trophæum in diuerſis locis ſtatuerunt, 196.m. f. Prælium nauale commiſſum inter Peloponneſios, & Corcyræos, quibus Athenienſes aderant. 269. f. Quis fuerit eius exitus. 270. Prælium nauale inter Athen. & Lacedæm. Pyli cauſa commiſſum. Exitus prælij, 310. 311.312, 313. Præl. nau. inter Athen. & Corinth. commiſſum ex quo Athen. victoriam reportant, 336. 337. Prælium nauale in maris anguſtiis committere cur non omnibus conducat, 193. p. m. f Prælij terreſtris, & naualis ratio diſſimilis, 309. m. 649. p. m. Prælium terreſtre inter Athenienſes, & Bœotos commiſſum, vnde Bœoti victores diſceſſerunt, 377. 378. 379. 380. 382. Prælium terreſtre inter Lacedæmonios, & Argiuos. Mantineos, at Athenienſes commiſſum, quis fuerit prælij exitus, 468. 469, 470. 471. 472. Prælij committendi qua ratione periti duces vtantur, & quibus artibus hoſtem ſuperare conentur, 469.m.f. Præliorum omnium inter Græcos commiſſorũ quodnam fuerit maximum, 472, p. m. Prælium nauale inter Athen. & Syracuſanos commiſſum, & exitus, 605, 606, 619, 620, 621, 622.623, 624. Prælij naualis inter Athen. & Corinth. commiſſi quis fuerit exitus, 617, 618. Prælium nauale inter Athen. & Lacedæm. ad Eretriam commiſſum, vnde Lacedæmonij victoriam inſignem reportarunt. 752. Præl. nau. inter eoſdem committitur. vtriuſq; claſsis quantitas, & apparatus, & prælij exitus. 758. 760, 761, 762.

Præmium. Apud quos maxima virtutis præmia proponuntur, apud eos etiam viri præſtantiſſimi reperiuntur, 152. p.

Præſentia. De præſentibus, at præteri-

præteritis bellis quomodo iudicent homines, 17. m.
Præstantissimi viri quibus in ciuitatibus, & cur inueniantur, 152. P.
Trasiæ agri Laconici oppidum, 160. p. Ab Athen. capitur, diripitur. ibid.
Priene, 85. F.
Primi. Quinam primi fuerint ex Græcorum populis socius, quibus Athenienses, præter iuris consuetudinem, seruitutis iugum imposuerint, 75. p.
Principes erga subiectos quomodo se gerere debeant, 89. P. 245. p. m. Principes ciuitatum, belli tempore, propter varias clades, quas bella ciuitatibus afferunt, variis suorum ciuium calumniis, atque criminationibus plerunque sunt obnoxij. 424. p.
Priuatorum hominum negligentia, qua fit vt vnus quisque putet aliis Rempub. curæ pro se fore. Rempub. vniuersam perdit. 110. P. Priuatos homines quàm Rempub. affligi cur præstet, 161. f. 162. p.
Procne Pandionis filia. 138. p.
Proditio. Eum, qui proditionis reus fuisset, in Atticæ palàm sepelire non licebat. 106. M.
Pronæi, Cephalleniæ ciuitas. 139. m.
Proschium Ætoliæ oppidum. 289. F.
Prosopitis insula, 82.
Proteas Epicli filius, 135. p.
Prote insula, 312.
Protesilai delubrum. 758. M.
Prouentus. In his ciuitatum, ac Principum potentia sita est, 91. m. 126. m.
Proxenus Capatonis filius. 290. M.
Prudentia. Quando potissimum prudentia nobis sit vtendum, 374. p. Prudentiæ officium, 529. f.
Prytaneis, 452. p.
Ptychia insula, 338.
Pydius fluuius, 761. f.
Pydna, 45. p. oppugnatur. ibidem.
Pylus, oppidum in agro Messeniaco situm, a Sparta distans stadia circiter CCCC. 303. Demosthenis suasus ab Athenienſibus munitur. 303, 304, 305. Quanta esset huius loci opportunitas, 304, 305.
Pylo, Lacedæmoniorum iussu, ex omnibus Peloponn-

nesi partibus succurritur, vt recipiatur, 305. 306. Pylus à Lacedæmoniis terra, mariq; fortiter oppugnatur: sed non expugnatur, 310. 311. Pyli custodia cur Athenienſibus laboriosa, 322, 323. 326. Pylus est in eo agro, qui quondam Meſſeniorum fuit, 335. p. Pylum Athenienſes, facta pace, Lacedæmoniis cur restituere noluerint, 439. F. 440.

Pyra, Lesbi vrbs, 220. M. Hæc alibi Pyrrha nominatur, 226. p. 232. p.

Pythangelus Phylidæ filius, 115. f.

Tythen Corinthius, 586. p. 588. p.

Pythodorus Athenis Archon, 115. M. Pythodorus Isolochi filius, Athen. dux, 300. 301. Cur ab Athen. exilio mulctatus, 352. M.

Q

Quadringentorum summus Magistratus quando primum, quomodo, & cur Athenis constitutus. Et res ab hoc Magistratu in Reipub. administratione gestæ, 724. 725. 726. 727. & d. Quadringentorum legati Samum profecti, milites iratos lenire conantur, & qua de causa Reipub. status immutatus fuisset, eos docet. 739. f. 740. p. Quadringentos a Reipub. administratione amoueri Alcibiades iubet, 741. P.

Qui nulla de causa aliquem maleficio affecit, eum etiam, propter imminentis vltionis, periculi, metum, funditus perdere conatur, 239. p. Cur. 239. m.

Qui iniuriam accepit ab aliquo, à quo non oportuit, hic periculo vitato, in eum acerbior esse solet, quam in iustum hostem. 239. M.

Quod cupimus, id etiam speramus, ac vt iam presens spectamus, 489. P. Vide Homines, q. c.

Quinque hominum millibus ad Athenienſis Reipub. administrationem aditus patebat. Sed hoc verbum, non etiam re ipsa præstabatur. quomodo, cur, quando, 723. P. 728. F. 749. F. P. 750.

R

Reconciliationis inter hostes faciendæ vera ratio, 316. 317.

Regna olim hæreditaria, & certis honoribus definita, pag. 11. F.
Res, de quibus extra periculum positi, confidenter consultauimus, non eodem animi impetu geruntur, quo de illis consultauimus, 90. M.
Vide bellum non eodem. Et Administratio, 121. P.
Resistere. Nostrorum inimicorum postulatis, ac imperatis cur acriter sit resistendum, 108. F. 348. F. 374. 375.
Respublica. Dum vnus quisque rebus priuatis studet, Respub. magnum detrimentum capit. 110. P.
Respublica. Cur præstet Respub. quàm priuatos homines florere, 161. F. 162. P.
Respub. ex oratorum, ac eloquentium virorum concertationibus maxima detrimenta plerunque capit. Quomodo 234. 235. 240. 241. 242.
Quare præstaret nullos oratores esse in Repub. 240. F.
Respub. quomodo se gerere debeat erga bonos, malosq; consultores. 240. F. 241. p. m. f.
Rex. Quum Lacedæmoniorum Rex exercitum ducit, omnia ab illo reguntur, Modus, 466. F. 467. P.
Lacedæmoniorum duo Reges erant, quorum altero ad militiam proficiscente, alter domi remanebat; vt patet ex eo loco, vbi de Agide, & Plistoanacte verba fiunt. 472. F.
Rhegini, Italiæ populus, cuius vrbs Rhegium vocatur, 278 f. m. 279. P.
Rheginorum ager à Locris cur vastatus, 302. M. F.
Rhegium, Italiæ oppidum, 300. f. Rhegium seditionibus agitatum, 302. m. Rhegium Italiæ promontorium proximum Messanæ, quæ est in Sicilia, 320. 332. P.
Rheiti, quidam aquarum alnei sic appellati, 132. P.

Rheitum, 335.
Rhenea insula. Hanc Polycrates Sami tyrannus Apollini Delio subactam consecrauit, pag. 12. f. 290. 291.
Rhium promonterium 187 f.
Rhium Molycricum, 189. P.
Rhium Achaicum, 189. p.
Rhium duplex, vtriusque situs, & interuallum, quo alterum ab altero distat, 189. p. m.
Rhodus ab Atheniensibus deficit, & Lacedæmonijs se adiungit, 705. ab Atheniensibus propter defectionem ab ipsis factam, nauali bus incursionibus infestatur, 705.
Rhœtiam, 342. p.
Riuus ignis ex Ætna monte quando fluxerit, & quid mali fecerit, 301. Quoties hoc in Sicilia contigerit. 301.
Rumor. Quales sunt rumores, qui circumferuntur, tales etiam sunt hominum opiniones. 524. p. Multi sæpe varios rumores in sua ciuitate spargunt ad terrorem suis ciuibus incutiendum, vt ipsi ciuitatis imperio potiantur, 525. m. 526. f. 527. p.

S

Sabylinthus Tharypis Regis adhuc pupilli tutor. 183. p.
Sadocus Sitalcæ filius, 138. F.
Salæthus Lacedæmonius, 226. P. à Pachete captus, Athenas missus, ibiq; crudeliter interfectus, 232. p. m.
Salaminia, & Paralus Athenienſium naues publicis ministerijs addictæ, 230. p. m. f.
Salamis, siue Salamin insula. ad quam Atheniensis naualeprælium cum barbaris commiserunt, eosq; vicerunt, 56. m.
Salynthius Agræorum Rex, 297.
Salus. Quanam in re salutis nostræ præsidium plerunq; collocari soleat, 487. p. 512. m.
Samei, Cephallenia ciuitas, 139. m.
Samij. Bellum inter Samios, & Mileſios excitatum, 85. f. Qui Samo propter factionem popularem aufugerant, quando, quomodo Samum ingressi factionem aduersam tractarint, & quid postea fecerint, 86. p. m. Nauali prælio ab Athen.

Athen. vincuntur, 86. M. Eorum vrbs ab iisdem expugnatur, Deditionis conditiones, 86. m. f. 87. p. m. Ab Athenienſibus olim defecerunt, 33. p. In poteſtatem ab illis Corinthiorum opera redacti. 33. F. Samiorum ſeditio propter dominatus mutationem, 729. 730. 731.

Saminthus, 460.

Samos, ſive Samus, 729. f. 732. f. Quando, quomodo, cur ſtatum popularem Athenienſes in ea conſtituerint, 85. f. Samiorum ciuitatis opes, ac potentia. 729. f. 732. f. Samos vrbs ab Ath. expugnatur, 87. p. m. 686. 711. f. 712. p. Seditio inter nobilitatem, & plebem hic orta, & quis fuerit eius exitus. 686. F. 687. 729. 730. 731.

Sandius collis, 221. P.

Sane Andriorum colonia,

Sapientes viri quomodo tam in ſecundis, quàm aduerſis rebus ſe gerere debeant, 315. 316.

Sardis. cui Σάρδεις. 86. P.

Scalarum altitudinem, ac menſuram quomodo Plataenſes, ad hoſtium minitiones ſuperandas, ex hoſtilium murorum contemplatione ſint aſſequuti. 221. M. F. 222.

Scandea vrbs maritima in inſula Cytheris ſita, 343. P.

Sceleris nomen quibus flagitiis impoſitum, 380. M.

Scientia. Rerum pulchrarum, ac hominibus vtilium ſcientia arte, & exercitatione aſſiduitate comparatur. 111. M.

Scione, vrbs apud Pellenen ſita deficit ab Athen. 396. Quomodo Braſidas Scionen intrarit, 396. 397. Quando defectionem fecerit, 398. F. Ab Athenienſibus circumuallatur. 407. F. 409. P.

Scionæi, quinam eſſent, 396. F. Braſidam, vt Græciæ liberatorem, aurea corona coronant, 397. Ab Athenienſibus expugnantur, & crudeliſſimè tractantur. 436. F. 437.

Scirita in Lacedæmoniorum exercitu quinam ſint, 467. P. Scirita erant ſexcenti, 468. P.

Scirphondas Thebanus, vnus ex Bœotarchis. à Thraci-

bus interfectus, 613. F.
Scomius mons, 200. P.
Scyrus insula in Ægæo sita, 74. F. Ab Athenienſibus capta, & direpta, incolis in ſeruitutem abſtractis. ibid.
Seditio quot, & quantorum malorum autor. Et grauiſſimæ ſeditionis exemplum memoratu dignum. 265. F. 266. 267. 268. 269. 270. 271. 272. 273. 274. 275. 276. 277. 338. 339. 340. Seditio Corcyræorum, omnium, quæ olim in Græcia fuerunt, prima grauiſſimaq; fuiſſe fertur 272. F. 273. 277. F. Seditio Corcyræorum quem exitum habuerit 338. 339. 340. Seditionum cauſa, 273. M.
Selinuntij cur bellum cum Egeſtæis gererent, 495. F. 496. P.
Selinus Siciliæ vrbs, 494. P.
Senatus Athenienſis quando, & quomodo à quadringentis viris ex Curia pulſus & ſua priſtina autoritate, ac iure priuatus fuerit, 726. F. 727. P.
Sepulchrum illuſtrium virorum quod eſſe ſoleat, 149. F. 150. P.
Sepultura modus, & quo Athenienſes humarunt eos, qui primi in bello Peloponneſiaco mortem obierunt, 141. P. M. F.
Seruitutem multi quæſtus faciendi cauſa ſuſtinent, pag. 7. P.
Seſtus à Medis occupata, & ab Athenienſibus obſeſſa. quomodo, & quando capta. 68. P.
Seueritas, Nimia ſeueritas, qua Principes in ſubiectos vtuntur, ſæpe plus illis nocet, quam prodeſt, 245. P. M.
Seuthes Odryſarum regni poſt Sitalcen potitus, 205 F. 382. Seuthes Spardoci filius, 205. P. 382.
Sicani, 491.
Sicania à Sicanis Iberiæ fluminu accolis dicta quondam Sicilia, 492. P.
Sicilia. Viginti naues quando primum quibus ducibus & cur ab Athenienſibus in Siciliam miſſæ 278. M. F. Athen. 60 naues inſtruunt, quas in Siciliam tranſmittant. Cur. Ex hoc numero quot poſtea miſerint. & quibus ducibus. 300. 301. 303.

Sicilia breuissimo interuallo distat à continente, ab ea parte, vbi Rhegium Italiæ promontorium oppositum est Messanæ in Sicilia sitæ, 320. Siciliæ omnes populi vno, eodemq; communi Siculorum nomine vocabantur, 251. F. Siciliæ descriptio. 491. 492. 493. 494. 495.
Sicilia à Siculis dicta 492. F.
Siciliæ cur bellum ab Athenienſibus illatum 495. F. 496. 497. 498. 513. F. 557. 558. & d. Hoc Alcibiades ipſe verbis diſertiſſimis demonſtrat in ſua concione ad Lacedæmonios habita, 572. F. 573. p.m.f.
Sicilienſes. Quando primum inter ſe bellum geſſerint, 280. F.
Siculi, Hermocratis ſuaſu compoſitionem inter ſe quibus conditionibus fecerint, 352. Siculi quando, & cur ex Italia in Siciliam traiecerint, Siculorum alij Syracuſanis, alij Athenienſibus ſe adiunxerunt, 569.
Sicyone popularis ſtatus in paucorum dominatum mutatus, 477. M. Sicyonij ab Athenienſibus prælio vincuntur, 83. M. F.
Significatio. Viſitata vocabulorum ſignificatio à quibus olim, & cur immutata, 273. F. 274.
Simonides Athenienſium dux 305. P.
Sinti populi, 201. F.
Siphæ maritimum agri Theſpici oppidum, 362. Has perproditionem quidam Athenienſibus tradere ſtatuerant quando, quomodo, cur, 361. 362. 363. Quomodo Siphas Bœoti conſeruarint aduerſus proditorum conatus, 372.
Sitalcès Teræ filius, Thracum Rex. 138. P. 139. P. Perdiccæ Alexandri filio, & Chalcidenſibus, qui erant in Thracia, quando, cúrve bellum intulerit, 198. f. 199.
Sitalcæ regnum, regiones, tributum, potentia, mores, gentium illius imperio ſubiectarum, 199. f. 200. 201. Copiarum eius quantitas, & qualitas, 202.
P. M. Quando, quomodo, cur, cuius verbis adductus, cum exercitu toto domum redierit, 205. P. M. Quando, & quomodo mortem obierit, 382.

Societas Naualis, & terrestris societatis alienatio, ac iactura non est par. 28. F. 29. P. In societatem suam quos, & cur recipere non liceat. 33. P. M. Societas constans inter quos iniri possit. 213. M. Societatem fidelem, firmamq; sola mutui metus æqualitas facit, 214 f. Cur. ibidem. Societatis inter Athenienses, & Lacedæmonios initæ formula, 429. 430. Societas cum quibus sit ineunda, 503. P. Societatis inter Lacedæmonios, & Regem Persarum initæ formula, 685. 699. 717. 718. Societas subsidiaria quæ, 35. M. 453. P. Sociorum auxilia cur nobis accersenda, 348. P. Sociorum, qui Lacedæmoniorum, vel Atheniensium partes in bello Peloponnesiaco sunt secuti, nomina, 121. 122. 638. F. 639. 640. 641. 642. Causæ, quæ singulos ad hoc faciendum impulerint ibid.
Socrates Antigenis filius, 135. P.
Solis defectiones frequentissimæ in bello Peloponnesiaco extiterunt, 18. F. 19. P. Solis defectus post meridiem, 137. F. Solis defectus ex parte, circa nouilunium, 341. F.
Solium Corinthiorum oppidum quomodo ab Atheniensibus captum, & quibus datum. 139. P.
Soloïs, Soloentis, Siciliæ vrbi, 492. F.
Solygius collis, 335. F.
Solygia castellum, 335. F. 336. 337.
Sophocles Sostratidæ filius, 301. Cur ab Athen. exilio mulctatus, 352. M.
Sparta, siue Lacedæmon qualis, & quomodo condita, ac habitata, pag. 8. F. 9. P. Quando, curve magno terræmotu quassata, 96. F.
Spartolus Bottiæa, 180. F.
Spectare. Quonam modo vel suos, vel alios in aliquo periculo positos, ac dimicantes vnus quisque soleat spectare, 654. F. 655. P.
Spes. Multos sæpe fallit, ac frustratus euertit, 51. F. 350. 484. 485. 658. F. 659. 660. Spes hominem ad grauissima quæque scelera perpetrandum impellit, 243. P. M. F. 244. Spes pœnitentiæ non est tollenda iis, qui

qui peccarunt. Cur. 244. M. F. Spes compositionis faciendæ cur hostibus, vel iis, qui defectionem à nobis fecerint, non sit tollenda, 245. p. m. Spes periculi solatium, 484. f. Spes maxima plerumque maximam etiam animorum alacritatem hominibus affert in rebus, quas gerendas suscipiunt, 649. P.

Spacteria insula eiusq; situs, 306. 307. Milites in hanc insulam quando, quot, & cur à Lacedæmoniis transmissi. 306. 307.

Spacteria ab Atheniensium victrice classe obsidetur, ne Lacedæmoniorum intercepti milites effugiant, 313. 314. obsidionis & custodiæ modus, 319. F. Quomodo victus Lacedæmonius in insula obsessis, clam Atheniensibus, à Lacedæmoniis importaretur, 321. Quomodo Lacedæmonij in hac insula intercepti, à Cleone intra paucos dies expugnati, & Athenas delati, 325. & deinceps usque ad pag. 335. Quãdo, & quomodo Spacteria incendium sit passa, 326. 327. Quot milites Lacedæmoniorum in insulam transmissi, quot ab Atheniensibus ibi cæsi, quot capti, viuiq; Athenas delati, 333. F. Rerum ad Spacteriam gestarum tempus, & diuturnitas, 333. F. 334. P. Lacedæmonij quomodo suos ciues ab Atheniensibus in insula Spacteria captos, & fact i pace redditos tractarint, & cur, 438. F. 439.

Stagirus Andriorum colonia ab Atheniensibus deficit, 371. 372.

Status popularis quando Athenis sublatus, & paucorum dominatus constitutus. tempus, autores, modus, causæq; mutationis huius, quæ ab iisdem & in aliis locis facta, 713. 714. 715. 720. 721. 722. 723. & deinceps. Quot, & quanta mala hinc nata sint, 722. 723. 724. & d. Cur, & quomodo hic status popularis mutatio Athenis fieri potuerit, 725. F. 726. P. De populari statu Athenis iterum constituendo, vbi, quando à quibus agi cæptum. & quando transactum.

hic constitutus, 747. 748. 749. 750. & d. 756. 757. & d.
Stesagoras, 86. F.
Sthenelaidas Lacedæmoniorum Ephorus, 66 P.
Stipendium nimis magnum militibus cur non sit dandum, 706. Stipendium, si militibus bona fide persoluatur, eos in officio continet, & ducibus magna commoda affert. Contra, nisi persoluatur, animos militum à ducibus alienat, contumaciam parit, magnasq; clades & ducibus, & Reipub. affert. 706. 707. 708 717. 734. 735. 738. 739.
Stratij 183. F. 184. barbaros vincunt, & trophæum erigunt, 185. T.
Siratonice Perdiccæ soror, Seuthæ uxor. 205. M.
Stratus maxima Acarnaniæ urbs. 183. M.
Strombichides Diotimi filius, 683. Res ab eo gestæ, 683. 684. & deinceps.
Strongyle, una ex Æoli insulis, 279. M.
Strymon fluuius ex Scomio monte per Graios, ac Leæos fluit, 200. P.
Subiecti. Subiecti quomodo se gerant erga dominos. Et illorum, ingenium ac mores, 59. F. 60. P.
Subligacula cur ab athletis in certaminibus olim gestarentur, pag. 6. P. Quando gestari desierint. ibid. Subligaculorum gestatio apud nonnullos barbaros adhuc in vsu pag. 6. P.
Subsidiaria societas, quæ, m.
Successus. Felici bellorum successu extolli non oportet, 89. F. Vide Felici successu.
Sumptus hominum priuatorum, qui in rerum magnificarum apparatum, ac splendorem fiunt, quid boni, quidue mali tam priuatis, quam Reipub. afferant, 502. 504. 505.
Sunium ab Atheniensibus cur munitum fuerit, 675. P.
Supplices occidere nefas. 255. p.
Suspiciones, quas de aliquo concepimus, animum nostrum ab eo reddunt alienorem. Quare qui cupit sibi fidem haberi, has prius à se remoueat est necesse. 571. M.
Sybaris fluuius, 618. m.
Sybota, Sybotorum tres parua insula, quæ (vt docet scholi-

scholiastes græcus pag. 32. annot. 10.) à copia suum, quos alunt, dictæ sunt. 36. F. Sybota desertus Thesprotidis portus, 39. M. 40. M. Sybota in continente, 41. M. 269. F. Sybota in insula, 41. F.
Syracusani quando primum, ubi, cur prælium nauale cum Atheniensibus committere coacti fuerint, in quo victi castra celeriter repetierunt, 320. F. Syr. cum Athen. iterum pugnant: sed æquo Marte res gesta, 321. M. Syr. se aduersus infestum Atticæ classis aduentum accuratè præparant. 532. 547. Syr. quando, quomodo, cur ab Athen. allecti fuerint, ut cum frequentibus copiis procul ab vrbe proficiscerentur, 547. F. 548. 549. 550. Syr. prælium cum Athen. committunt, 550. 551. 552. 553. Ab Athen. fugantur, 553. M. F. Syr. quando, & quomodo Catanæorum agrum vastarint, & Atheniensium tabernacula, & castra incenderit, 557. Syr. ab Athen. prælio victi vrbem repetunt, 579. 580. 582. 583. 592. Syr. cur de compositione cum Nicia agere cœpissent, 585. M.
Syracusani, & Leontini bellum inter se cur gesserint, & quibus vtriquæ sociis vsi fuerint, 278. M.
Syracusæ quando, & à quibus conditæ, 493.
Syracusani quando, quorum suasu, cur, & quomodo rebus nauticis operam seriò dare, prælio nauali fortunam periclitari cœperint, 604. Syr. victoriam insignem ab Atheniensibus nauali prælio victis, quando, & quomodo reportarint. 637. & in præcedentibus pag.

T

Tanarum, 96. F.
Tages Tissaphernis proprætor, 684.
Talenta. Quot talenta quotannis Athenienses à sociis pro tributo reciperent. Item quot in ærario tunc essent, quum bellum contra Lacedæmonios susceperunt. 126. M. F. Talenta mille cur sæpe fuerint, nec impendenda, nisi extrema necessitate cogente, censuerint 135. F. Hæc mille ta-

lenta quando, & cur lege abrogata tetigerint, 683. p.
Tamus Ioniæ prator, 695. F. 742. P.
Tanagra Bœotia oppidum, 81. P. 281. F. Eius muros quinam, quando, quomodo demoliti fuerint, 81. Tanagræi ab Atheniensibus superati Tanagram repetunt, 281. F. 282.
Tantalus Patroclis filius. 345. F. Ab Atheniensibus in vincula coniectus, 346.
Taulantij barbari, gens Illyrica, 19. M.
Tegea quantam in Peloponneso potentiam haberet, 437. P.
Temenidæ maiores Alexandri Argis oriundi, 202. F.
Temenites locus in Sicilia, 556. F. 582. F. Temenites erat collis vertex in agro Siculo situs, 590. F.
Teij deficiunt ab Atheniensibus. & Lacedæmonios in vrbem recipiunt, qui muros vrbis Teia demoliuntur. 684.
Teos, vrbs. 684. 686.
Templum Iouis Nemeæi, 285. F. Templum Iunonis, quod erat Argis, quando, quomodo crematum, 408. 409.
Templum Palladis in vrbe Amphipolitana, 418. P.
Templum Thesei Athenis, 545. P. Templa. Quum agrum hostilem quis inuadit, à templis, locisq; sacris abstinere debet, Cur. 379. p.
Templa cuiusque regionis penes illos sunt, penes quos est & ipsa regio. 379. F.
Templum Bacchi, 753. P.
Teres Sitalcæ pater, primus Odrysarum regnum quantum amplificarit, 138. P.
Teres, & Tereus diuersa Regum nomina, nec in eadem regione regnarunt, 138. P. M. F. Terias Siciliæ fluuius, 536. P.
Terra, siue tellus in mare conuersa, 280. m,
Terræmotus. maximi terræmotus in bello Peloponnesiaco extiterunt, 18. F. 96. F. 279. M. 280.
Teuglussa insula, 703. f.
Teutiaplus Eleus, 228. M.
Thapsus peninsula vbi sita, 579. M.
Tharyps, Tharypis. Rex. 183. p.
Thasus insula, Pariorum colonia. 384. F.
Thasij cur ab Atheniensibus defecerint, 75. F. 76. p. Ab illis prælio nauali victi. ibid.

Lacedæ-

Lacedæmoniorum auxilium aduersus Athen. implorant, 76. P. M. Athenienſibus quando, cur, & quibus conditionibus ſe dediderint, 76. F. Suam vrbem quando, & cur ſuam vrbem munire cœperint, 721. F.
Theagenes Megarenſis, 94. F.
Thebani. Quidam Thebani Plataeam Bœotiæ vrbem armati, noctu inuadunt, 115. F. Quando, quomodo, cur. ibid. Quid ibi fecerint, & quem exitum res habuerit, 116. P. M. F. 117. P. M. F. 118. P. M. F. 119. P. M. F. 120. P.
Thanetus Timidæ filius, vates, 221. M.
Themiſtocles. Quando, & cur Athenienſibus perſuaſerit, vt naues facerent. pag. 13. P. Dux præſtantiſsimus, cuius ſuaſu nauale prœlium cum barbaris commiſſum, in quo barbari ſuperati, 56. M. Ipſe maximis honoribus à Lacedæmoniis adeo præter morem affectus. ibidem. Quomodo Lacedæmonios deceperit, quum ſuaderent Athenienſibus, vt vrbis muros demoliren-
tur, 68. F. 69. P. Lacedæmoniis amicus, & apud eos gratioſus, 69. F. Primus Athenienſibus ſuaſit, vt imperij propagandi cauſa rebus maritimis operam darent, 71. F. à Lacedæmoniis accuſatur quòd cum Medis ſenſiſſet, 102. F. Per oſtraciſmum patria pulſus, Argis habitabat, 102. F. Corcyram profugit. non recipitur. cur. ad Admetum Moloſſorum Regem diuertit, 103. P. M. F. Quomodo exceptus, ibid. Varij caſus, & pericula, in quæ incidit. 103. M. F. 104. P. M. Ad Artaxerxem Regem Perſarũ quid ſcripſerit, & quomodo ab eo exceptus fuerit, 104. F. 105. P. M. F. Themiſtoclis ingenium præſtantiſsimum & encomium ipſius amplisſimum, 105. M. F. Mors eius, & duplex opinio. 105. F. 106. P. Quas vrbes, & cur, à Perſarum Rege datas habuerit, 106. P. Magneſiæ ſepultus, 106. P.
Theramenes quando, & quomodo ex hominum conſpectu ſublatus, 699. F. Theramenes Agnonis filius, vir

nec infacundus, nec imprudens, inter illos, qui popularem statum euerterunt, primus fuit, 723. F. 748. 749. 751. 752.
Therme. 139. P.
Theseus. Qualis fuerit. & quomodo totam Atticam excoluerit, ac opibus auxerit, 128. F.
Thespienses. Thespiensium popularis factio nobilitatem, ac Magistratus suos aggreditur. Quis fuerit huius seditionis exitus, 578. M.
Thessaliam sine duce, præcipuè verò cum armis pertransire difficile erat. Cur. 363. Thessali dominatu Regulorum potius, quam statu populari vtuntur, 363. f. Thessalus Hipparchi, & Hippiæ frater, ibid. M.
Thrasyllus Argiuorum dux cur ab Argiuis propemodum lapidibus obrutus fuerit. quomodo præsens periculum vitarit, 462. M.
Thrasyllus Athenienſium dux. 729. 731. 757. 758.
Thrasybulus, 729 f. Hic fuit Lyci filius. Res ab eo gestæ. 731. 732. 761.
Thraces. horum magna pars sui iuris erat, sunt q; legibus viuebat, 138. P.
Thriasij campi, 85. P.
Thronium, 137. P.
Thucydides Athenienſis bellum Peloponnesiacum conscripsit. pag. 1. M. tempus, causæq;, quibus hoc fecerit, ibidem. In sua historia conscribenda quomodo se gesserit, 17. F. 18. P. 431. 432. Peste laborauit. 151. M. Thucyd. in Thracia erat quum Brasidas Amphipolin occupauit. 384. f. Thucyd. auri fecturas, & aurarias officinas in Thracia habebat, ac opibus inter illus regionis primores ideo valebat. 385. Thucyd. eò vsque bellum Peloponnesiacum conscripsit, donec Athenienses à Lacedæmoniis debellati suum imperium amiserunt, 431. Thucydides qualis esset animo, corporeq;, quum suam historiam conscripsit. quando, cur, vbi per 20 annos vitam in exilio traduxerit. quomodo res certas scribere potuerit. 431. 432. Thucydides alter ab historico. res ab eo gesta, 87. P. 751. M.
Thyamis fluuius vbi fluat. 36. M.

36. M.
Thyamus mons, 293. M.
Thymocharis, 751.
Thyrea. Lacedæmonij cur Æginetis Thyream incolendam dederint, 137. M. F. 345. Thyreaticus ager vbi situs. 137. F. 345. P. Thyream Athenienses capiunt, 345. F.
Thyssus vrbs. 388. 439.
Tibicinum cantu cur in exercitu Lacedæmonij vtereutur, 469. M.
Tichium Ætoliæ oppidum, 285. F. Tichiussa agri Mylesij castellum, 692. P. 693. M.
Timanor Timanthis, F. 23. M.
Timocrates Lacedæmonius cur gladio se transegerit, 196. M.
Tintinnabulum in vrbium custodia à custodibus noctu circunferri solitum, 409.
Tissaphernes, Regis Darij, Artaxerxis filij, prætor inferioris prouinciæ, 676. Lacedæmonios ad bellum Athenienſibus acriter faciendum solicitat, & stipendium ipsis pollicetur. Cur. 676. 677. Quando, & quomodo præstiterit quæ Lacedæmonij per legatos promiserat, 694. M. F.
Tissaphernes Alcibiadis suasu stipendium Lacedæmoniis promissum quomodo minuerit, 705. F. 706. 707. Cur in gratiam cum Peloponnesiis redierit, & stipendium illis persoluerit, 717. Quomodo promissis non staret. 736. 737. Lacedæmoniis cur, quando, per quos se purgare sit conatus. 739. 740. 741.
Tolmides Tolmæi filius. & res ab eo gestæ, 81. f. 84. f.
Tolophonij, 283. M.
Torona, vrbs Chalcidica, 389. Quomodo Brasidas eam in suam potestatem redegerit, 389. 390. 391. 392. Ab Athenienſibus quando, & quomodo per vim recepta, 410. 411.
Trachinij, 282. P.
Trachinius ager, 282. P.
Tragia insula, 86. M.
Tranquillitas quid boni, maliue afferat, quibus conducat, & quomodo seruari possit. 165. M.
Tributum. Quid quando primum Græcis, cur, & quantum ab Athenienſibus imperatum, 74. P. Tributum. Quantum esset tributum,

quòd Athenienſes quotannis à ſociis recipiebant, 126. M.
Trinacria, 492.
Triopium, promineus ara Cnidiæ promontorium, Apollini ſacrum, 698. P.
Tripodiſcus agri Megarenſis vicus, 317. P.
Triremes ex omni Græcia Corinthij primùm ædificata. pag. 11. F. Triremium, quibus, vbi, & quando magna copia fuerit. pag. 12. F. 13. P. Triremium numerus, quem Athenienſes habebant, quum bellum aduerſus Lacedæmonios ſuſceperunt, 127. F. Triremes centum omnium præſtantiſſimæ cur quotannis Athenienſes ſeposuerint, 135. F.
Tritæenſes, 288. F.
Troezen, 85. M.
Trogilus, ſiue Trotilus, loci nomen in Sicilia, 493. 581. P.
Troiani cur, & quomodo per decem annos reſiterint, 10. M.
Tumultus maximus quando, & cur Athenis exeitatus, 751. 753.
Turpitudo quomodo multos ſæpe perdat, 411. P.
Tyrannides in Græcia ciuitatibus quando, & quomodo conſtitutæ fuerint. pag. 11. F. Tyrannis quando fuerit Athenis tolerabilis, 539. Tyrannidem cur adeò metuerent Athenienſes, 538. 539. & d. Tyrannis quando, & cur Athenis aſperior extiterit, 542. F. 543. Tyranni quales olim Athenis fuerint, & quomodo in ea Repub. ſe geſſerint, 539. 549. 541. 542. & d. Tyranni. Plerique tyranni ex Græcia à Lacedæmoniis ſublati, 14. F. Tyranni quomodo in Græcis vrbibus ſe gererent, & quibus rebus operam potiſſimùm darent, 14. P.

V

Vectigalia. In his Principum, ac Rerumpub. vires ſunt ſitæ, 91. M. 126. M.
Venia quibus danda, ſi peccarint, 237. F. 238. 380. P.
Verba ſunt rerum doctores, 240. P. quomodo, ibid.
Verecundia quomodo multis ſæpe ſit damnoſa, 488. P.
Veritatis inueſtigatio difficilis, 16. F. 17. P.
Vicesima mercium mari ve-

Harmo

Etiarum cur, & quando populis Athenienſi Reipub. ſubiectis imperata fuerit ab Athenienſibus, 612. P.

Victi. Qui ſemel ab hoſte victi fuerunt, idem periculum iterum pari audacia ſubire non ſolent, 194. P. 644. F. 648. F. Victi quomodo tractentur à victoribus, 650.

Victimæ quadam ex farinæ ſubactæ maſſa ad verarum ſimilitudinem factæ, ac immolatæ, 95. P.

Victoria penes quos plerunque ſoleat eſſe, 191. P. Victoria parta, quomodo milites ſe gerere ſoleant. 657.

Viri, non mœnia ciuitatem faciunt, 662. M.

Vis. Vis aperta cur ſpecioſa fraude ſit honeſtior, 370.

Vita, quam priſcorum ſeculorum homines in Græcia degebant, qualis, pag. 1. P. M. F. Vitæ genus delicatius quinam in Græcia primi coluerint, pag. 5. F. Vitam tutiſſimam quomodo quis degat, 28. P.

Vita hominum variis fortunæ caſibus obnoxia, 150. M.

Vlciſci. Non ſolum pro malefitiis ſed etiam pro conſiliis aduerſus nos initis, hoſtes ſunt vlciſcendi, 527. F.

Vltio iniuriarum acceptarum qualis eſſe debeat, 234. F. Vltio non poteſt in eadem re ſimul & iuſta eſſe, & nobis prodeſſe, 246. M. F. Vltio non protinus ei ſuccedit, qui grauem iniuriam ab alio accepit, 350. P.

Vngere. Athletæ certaturi corpus vngere ſolebant, pag. 6. P.

Vocabulorum vſitata ſignificationes à quibus olim, & cur immutatæ, 273. F. 274.

Voluptas. Qui propter voluptatem, quam ex pacis otio percipit, ab armis abhorret, is ea celeriter priuatur, 89. F.

Vrbes in Græcia quales olim eſſent, pag. 2. M. Ad ipſa littora cur, & quomodo conderentur, pag. 6. M. Vrbes vetuſtæ cur procul à mari olim ædificarentur, pag. 6. M. Vrbium potentia, gloria, ex ipſis earum ædificiis certo cognoſci nequit, pag. 8. F. 9. P. Vrbium vires, potius quàm ſpeciem ſpectare oportet, pag. 9. P. M.

Vtilitas inde potissimum percipitur, vbi quis minimè peccat, 34. P. *Vtilitate æquitatem plerique metiuntur, & quod ipsis est vtile, id etiam æquum, ac rationi consentaneum dicunt*, 561. M.
Vulcanus in insula Hiera fabrilem artem exercere cur crederetur, 279. f.

X

Xenares Ephorus Spartæ, 440. 441. 442.
Xenares Lacedæmonius, Heracleotarum dux, in prælio cæsus, 465. f.
Xenophon Euripidis filius, 180. f.
Xerxes. Eius ad Pausaniam epistola, 98. P.

Z

Zancle vrbi Siciliæ quando, & à quibus condita, & vnde dicta, 494. f.
Zanclon Siculi falcem appellant, 494. f.
Zancle postea Messene dicta, 474. f.
Zacynthus in insula, situs eius, à Lacedæmoniorum classe inuaditur. expeditionis illius exitus. 169. P.

FINIS.

Errata typographica lector humanus humaniter excusans, sic emendabit.

Pag. 12. M. legendum, Cambysæ, & deinceps. Pag. 22. M. Pallenses. & Trœzenij. 27. P. putat fore bellum. 47. F. Aristeus. 67. F. Europa discesserunt. 80 M. Cytinium. 85. P. mil. à Megar. 107. P. impediendam. 108. P. præcipiunt. 109. f. perduci solet. 111. M. successuis operis. &, nos auertat. 115. f. ipsisque resistere. 116. F. perterriti. 117. P. ne in luce. 119. M. colloquio. 122. f. per totam. 125. P. remiserunt. &, quid in post. 128. P. supellectilē. quæ. 131. P. disterminans. 138. P. & circa f. cōdē. & 205. m f. Sitalcæ. 148. P. Rep. produxi. 149. P. corpore tuerunt. 152. P. Zeuxidami. 153. f. conuulsionem, quæ. 156. P. noluissent metu. 156. m. miserabantur. 169. f. 170. f. Aristeus. 172. P. Chaonibus. 177. f. quâ agger. 178. M. periculo constitui. 179. M. nullus vnquam. 180. f. sese aduncturā. 182. f. quibus præerant. 184. P. locum deligere. 185. P. à Strato. 188. f. mandarunt, vt. 189. M. consilio, hi quidem. 190. f. maximè. 196. P. dantes Panormum. 198. P. tantum non contra. 198. f. hyemis initium. 200. P. mare quidem. 208. f. & Methymnæi, quinetiam quidam ex ipsis Mitylenæis. &, Lesbios [à Mitylenæis] Mityl. 210. M. si fortè 213. P. odoq; prosequuntur. 217. f. à vobis. 223. f. qui in vrbe. 226. P. incœpto. 240. M. eoq; hoc. 241. f. Reipub. 249. f. in medium. 263. P. evobis conciliarent. 268. P. se interficeret. 277. f. hom. dum alios. 281. M. inire vellent. 284. f. longo interuallo. 287. f. & 289. P. Oenonem. 298. P. iam insessas. 298 f. & quot ex. 299. P. Idomenen. 301 f. primam ignis. 309 f. mari contingant. &, [hunc puto] & tum arcentes. 310. f. [quæ acceperant.] 313. M. Peloponnesi reg. 313 f. conditionem [ab. 323. P. importassent. 324 f. res explorarent, 325. aduersus hostes. 326 f. quacunq; vellet, 327. posita mittere decreuerunt, vt, 342. f. Diotrephis. 344 f. Ac bellum. 351. f. nomine vocemur. 359 f. ipsos] non. 366. P. Peloponnesi ciuit. 363. P. Oeniadas. 375 f. ipse adfuit, 381. consistere potuerit, 382. P. prorsus ignarus, 389. P. sed Sane, &, 389 f. neg. datum fuerat. 390. M. quidem protinus, 391. P. f. non ad perd. 395. P. fœderæ

Sint. 387. f. quodam [non. 399. f. Chalcidicam. &, Atque hi quidē. 406. P. Methonæu. & Niciæ iuerat. 410. P. quæ in anni ſpatiū. 415. M. apparatui 425. f. Mecybernæi. 430. P. Amyclæ. 433. P. Peloponn. princip. 441. f. fore & bellū. 451. f. ab eo die. 456. M. Apoll. Pythium. 458. f. defeni. denudatam. 468. P. [id eſt, 469. P. cunctabātur. 474. f. quam hoc nomine. 479. P. interp. feciſſet. 481. & deinceps. In Athen. & Mehorum colloquio perſonæ interloquētes Mel. & Ath. deſiderantur. 501. f. quod iam obtinemus. 520. M. quippe quòd. 533. P. magn contemnere. 541. m frequentes eſſe. 543. f. eo conſilio. 547. f. ad ſecum in. 553. P. inde factas,] 562. P. commune Sic. 565. M. [qua geruntur,] 579. f. ocius aſcendit. 580. F. tum Siculorum. 585. M. oſtenderent. 587. P. Mantineū. 589. P. [id eſt, 624. f. exercitui, vt. & inferiores eſſe. 625. P. Syracuſani. 627. f. [illos ſe mutuò, 629. P. præcip. interemerunt. 631. P. nam & ex Syrac. 634. P. aſtriū non abiſſent: 642. P. νεοδαμώδης. & nuper donati. 651. P. [futuros,] 649. P. nec imparati, 652. P. cum [ſuas, 661. E. quales, & qui, 663. P. [id eſt, promontorium, in quo ſitū eſt vrbs, cui nomen Acra. pag. 495. P.] 225. 667. f. ſe paratum eſſe. 676. P. ſed ad ipſam, 679. P. [hoc illi,] 686. M. Atticas naues. 687. f. & illinc in. 698. f. obſeſſiſſent, 701. P. videretur) mitterent. 711. P. hacq; ab Athen. 713. f. & ſimul, 717. P. magna claſſ. 728. M. compoſitionis ab illis, 733. P. ruſus prohiberent. 784. P. opperirentur.

BIBLIOTEKA KÓRNICKA PAN 2

D. 1980
3000 — W.
KSIĘGARNIA
ANTYKWARIAT
DOM
KSIĄŻKI
DOM
Nr 623651

BIBLIOTEKA KÓRNICKA

13865

THVCYDIDES

ellschaft
. Kunst.
ummer:
10
Brett: